Digitized by Google

I

14-1-9-81

Digitized by Google

Digitized by Google

12-33-6.15.

DISPVTATIONES IN TRES LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA.

AVTHORE P. FRANCISCO ALFONSO
Malpartidenſi è Societate IESV ſacræ Theologiæ
Profeſſore in Collegio Complutenſi.

SOC. IESV. BIBL. SEC. COLL. COMPL.

IHS

Anno 1640.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CVM PRIVILEGIO.

COMPLVTI APVD ANTONIVM
Vazquez Typographum Vniuerſitatis.

Digitized by Google

Digitized by Google

TIENE Priuilegio el P. Franciſco Alonſo de la Compañia de IESVS, por tiempo de diez años, para imprimir vn libro intitulado *Diſputationes in tres libros Ariſtotelis de Anima*. Y para que ningun otro lo pueda imprimir, como parece por el teſtimonio q̃ dello dio Franciſco Gomez de Laſprilla Eſcriuano de Camara. En Madrid a 9. de Setiembre de 1638. años.

APROBACION DE LOS SVPERIORES.

CON Licencia de ſus Superiores, del Ordinario, y del ſupremo Conſejo de Caſtilla, y aprobaciones del P. Fr. Alonſo de Herrera de la ſagrada Orden de los Minimos, y del P. Fr. Luis de Moya, de la ſagrada Orden de la ſantiſsima Trinidad.

SVMA DE LA TASSA.

LOS Señores del Conſejo taſſaron eſte libro intitulado *Diſputationes in tres libros Ariſtotelis de Anima*, à quatro marauedis y medio cada pliego, como parece por el teſtimonio de Martin de Segura Eſcriuano de Camara. En Madrid à 27. de Nouiembre de 1640. Años.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

¶ 2 Erra-

Digitized by Google

Errata ſic corrige.

PAG. 1. col. 1. lin. 1. 3. & 8. Philoſophiæ, lege Phyſicæ. Pag. 23. col. 2. lin. 1. dependentur, lege dependenter. Pag. 25. col. 2. lin. 30. ex partes, lege ex partes. Pag. 59. col. 1. lin. 15. conſita, lege compoſita. Pag. 73. col. 2. lin. 15. explicatur. Ergo, lege Explicatur ergo. Pag. 88. col. 1. lin. 19. diſpoſitione, lege diſputatione. Pag. 90. col. 1. lin. 2. animatorem, lege animatorum. Pag. 124. col. 2. lin. 12. identitatē, lege identitatem. Pag. 128. col. 1. lin. 26. pecie, lege ſpecie. Pag. 134. col. 2. lin. 26. illud, lege illum. Pag. 136. col. 1. lin. 2. repugnat, lege repræſentat. Pag. 139. col. 1. lin. 16. ab es, lege ab eis. Pag. 147. col. 2. lin. vlt. ſſet, lege, eſſet. Pag. 156. col. 1. lin. 13. prædacantur, lege, producantur. Pag. 160. col. 1. lin. 29. num. 61. lege, num. 71. Pag. 172. col. 1. lin. 34. *plata*, lege, *planta*. Pag. 195. col. 2. lin. 29. exiſtentiam, lege exigentiam. Pag. 202. col. 2. lin. 35. calorem, lege colorem. Pag. 203. col. 2. lin. 30. Id primis, lege, In primis. Pag. 240. col. 1. lin. 10. contractus, lege contactus. Pag. 268. col. 1. lin. 38. pariter, lege paritur. Pag. 281. col. 1. lin. 33. mediato, lege immediato. Pag. 328. col. 2. lin. 36. voluntatis, lege voluntarij. lin. 40. ratione, lege ratio. lin. 41. voluntatis, lege voluntarij. Pag. 330. col. 2. lin. 28. licet ōn, lege licet non. Pag. 387. col. 2. lin. 21. confirmatio, lege, conformatio. Pag. 395. col. 2. lin. 12. obiectio, lege obiecti. Pag. 403. col. 2. lin. 21. *poſitis*, lege *poſsitis*. Pag. 418. col. 1. lin. 22. efficiepi, lege efficiendi. Pag. 430. col. 1. lin. 18. formaut, lege, vt forma. Pag. 439. col. 2. lin. vlt. illud, lege illum.

¶ Demptis his mendis cætera ſuo reſpondent exemplari Compluti, die 24. Nouembris. Anno Domini 1640.

Dr. Franciſcus de Porres.
Corrector.

AVGV-

IV

AVGVSTISSIMO
SAPIENTIAE
ASYLO, AMPLISSIMO HONORIS AMPHITHEATRO, DOCTAE

admirationis epilogo, Optimæ, Maximæ Dei hominis Protoparenti Virgini Mariæ, animorum centro, ſub operis huius argumento, animum hunc meum ſiſto, voueoque æternùm.

AFFIRMATO in pietatem tuam, & bonum meum animo, O Auguſtum pietatis ſacrarium, gremium magnitudinis tuæ iterùm, atque iterùm aduoco. Ignoſces ſi quid in te peccauit amoris audacia, nec iniuria vertes veſtiam in aliena litora carbaſa flectere, altaria tua importunâ pietate repetere. Nati ſub lucis tuæ patrocinio, & de amica nube tua irrigui floſculi hi ſunt. Tibi redduntur. Ambitioſâ retributione manus tuæ honorem, & culminis tui beneficium exoptant. Vides hederas quantùm velis premas ad ſuprema conari, & nullo præeunte ſuſpendi; quod malint parietibus iuuehi textili ſyluâ, quàm humi teri voluntariâ iniuriâ. *Sic medebar Septimij exemplo opinionis periculo, ne pertinacis audaciæ piaculum obiectet inuidia, dum celſitudinis tuæ verticem bono ſuo leuioris opuſculi humilitas exambit.* Multa valde precioſa videntur (*aiebat ille*) quia ſunt templis dicata. *Commendationem puſillam hoc, & leuidenſe rudis animi monumentum ſi be.tis*

paſsim literis obſignatis ab auguſto nominis tui fauore capiet, & quod ſub umbra prodit tuâ felici ſenio vtilitati publicæ perennabit. Debebam pietati in te meæ has de Anima tractationes, cui iam diu animum meum deſponderam. Nemo hæc profanus tangat. Tibi ſolum quidquid animum ſonat ſacrum eſto. Et quidem cui niſi animorum centro animum ſiſterem meum? Et non profunderem in animi ſymbolo animum, ſi peregrina adirem altaria? Vendicabat dein ſpeciali iure patrocinium tuum, Vitæ armarium *appoſitè à Cryſippo dici, vt quæ aſſeruandis omnium animis. Regale archiuum ſis, nec alibi melius animum reponerem, quàm vitæ promptuario. Inſpirabis morituro operi immortalem animum, aptè enim à ſapientiſsimo Idiota* vitæ ſpiraculum *diceris, à qua velut inſititiâ omnium animâ vitalis omnis deriuatur vigor. Sol præterea es, cuius ad inſtar electam te Diuina teſtantur oracula: Et verò aſtrum hoc pœnitiſsime contemplatus Philoſophus ille,* mundi totius animum ac planius mentem *eſſe definijt. Ob id forſam ſapientiſsimè Diuinus ille naturæ artifex nō primo mundialis opificij die; ſed poſt iacta terræ fundamina, veſtitâque iam amænâ viriditate camporum planicie, ad expanſum pulcherrime cœlorum fornicem quarto die Solem appendit, præclarum virtutis tuæ ſimulacrum. Sic addubitabat Seuerianus:* Cur prima die Solem non fecit Deus? Quia nondum erant terræ naſcentia, quæ luminarium calore fouerentur. *Id plane ne limpidiſsimum lucis ſuæ beneficium in inanime, & nondum vegetum creaturarum vulgus diffunderet vitale aſtrum. Etenim Sol viuentium Choripheus, vniuerſique animus ante exortum viuentium gregem ab innato ſibi animationis abſtineret officio. Ergo quarto demum prodeat die, quo, præmiſſa vitali camporum amænitate, prima ſaltem viuentis creaturæ rudimenta ſint poſita, ne generoſa lampadis huius virtus violento naturæ ingenio ab ingenita ſibi vacaret munificentia. O penè Diuinum Marianæ lucis exemplar, cuius tota in vitam virtus munifica eſt. Hunc exiguo de Animo operi vt faueas ipſa, O Regina, & fauoris publici viā maternâ liberalitate inſtruas, facilè poteris exorari. Ergo adeſto animis Matris vigore, luce, & nobili calore tuo Solaris luminis prototypica lux. Sub leui opellæ huius ſymbolo tibi omnis militat affectuum animus, quæ animorum animus es.* Nobis autem (*bellè Damaſcenus*) quemodnodum erit vita vitalis, ſi Mariam non habeamus, cum qua verſemur? *Non tam enim animo, quàm felici virtutis tuæ*

ſpira-

Digitized by Google

ſpiracula viuitur. Viue ergo æternùm animis noſtris, & non moriturâ pietate tuâ æſtuantes animi adoleſcant amoris ſenio. Rege ductrici luce obæratum ſpeciali iure tibi vectigale donum. Facultates guberna: impera renuentes in bona voluntatis greſſus potentiſſimo virtutis tuæ genio: mentem vltroneis inuolutam tenebris Solis tui lumine perfla. Cæco oberrantes impetu per inſulſa creaturarum prata compone ſenſus. Eia anime potenti hac nixus dexterâ ne time aduerſa ſortis iacula: maiora hinc tenta forti audacia nactus tam pij numinis patrocinium. Obortum tibi fulgentiſſimum maris aſtrum ſequere, nec infames alieno malo ſcopulos formida. Non lutea ex inceps viuat domo, qui Solem aſtat, & familiari iam Maria cælo ſyderibus integatur animus. Non addam plura. Quò petis anime? Siſte manum. Tu Diua votis annue, vt quem ſub operis huius argumento animum voui, æterna protectione gubernes.

12-32-6:15

DISPVTATIONES
IN TRES LIBROS
ARISTOTELIS DE ANIMA.

PROOEMIVM.

1 PERACTA diſputatione de ſubſtā tiā generabili, & corruptibili, primo loco ſuccedit explicanda ſubſtantia animâ conſtans, quæ inter illius ſpecies primum in perfectione, & nobilitate locū iure ſibi vendicat. Obiectum attributionis horum librorum eſt ipſa ſubſtantia, ſeu, quod idem eſt, corpus animâ conſtans (non anima ſola, vt putarunt aliqui) quia obiectum attributionis librorū de Cœlo eſt corpus cœleſte; & librorum de Generatione, & Corruptione, corpus generabile, & corruptibile: ergo & librorum de Anima debet eſſe corpus animâ conſtans. Ratio à priori eſt: quia corpus naturale eſt obiectū attributionis totius Philoſophiæ: ergo obiectum attributionis partium ipſius Philoſophię erunt ſpecies ipſius corporis naturalis: ſed vna è pręcipuis ſpeciebus illius eſt corpus animâ conſtans; ergo debet eſſe obiectum attributionis alicuius partis Philoſophiæ: non alterius, niſi huius: ergo.

2 Dices: Ariſtot. in hoc opere definiuit animam, & non corpus animâ conſtans. Præterea hi libri inſcribuntur de Anima, nō de Corpore animato: ergo anima eſt obiectum attributionis illius. Reſpondeo ad primum, animam hìc eſſe definitam, quia per eius definitionem explicatur id, per quod corpus animâ conſtans diſcernitur à reli-

reliquis. Nam cum in Phyſic. definitum fuerit ens, ſeu corpus naturale, & in libris de Generatione corpus generabile, ſeu corruptibile, ſub quibus cõtinetur corpus animâ conſtans tanquam ſub generibus inter ſe ſubordinatis, in præſenti nihil aliud erat neceſſarium ad ſpecialem cognitionem corporis animâ conſtantis, niſi explicare id, per quod differt ab alijs: id autem eſt anima, & ideò oportuit eam ſolùm definire, ne actum ageretur. Inſcribuntur verò hi libri de Anima, vel quia eſt pars præcipua corporis animâ conſtantis, vel quia ſumitur pars pro toto, vt non raro contingit.

3 Ad hos libros pertinet corpus animâ conſtans non ſolùm prout animas materiales; ſed etiam prout rationalem animam, adhuc vt talem, continens. Ratio eſt: quia ad hos libros pertinet corpus animâ conſtans, quod eſt ſpecies corporis naturalis: ſed non ſolùm eſt ſpecies corporis naturalis prout includens animas materiales; ſed etiam prout includens animam rationalem, adhuc vt talem: ergo, &c. Minor conſtat ex Phyſic. diſput. 9. ſect. 1. num. 17. vbi diximus, animam rationalem adhuc vt talem eſſe naturam, non ſolùm quando eſt coniuncta corpori; ſed etiam quando ab illo ſeiuncta: ergo totum, quod conſtituit, adhuc vt rationalis, eſt ſpecies corporis naturalis. Vide, quæ ibi diximus. Reliqua ad proœmiũ pertinentia conſtant ex dictis in proœmio Phyſicæ.

4 In tres libros diuiſit Ariſtoteles hoc opus. In primò refutauit ea, quæ alij philoſophi docuerant circa eſſentiam, & naturam animæ. In ſecundo propriam ſententiam explicuit, & deinde gradum fecit ad potentias animæ in communi: quibus explicatis deſcendit ad eas facultates, quæ ſunt propriæ animæ vegetatiuæ, & ad ſenſus externos animæ ſenſitiuæ. In tertio denique egit de ſenſibus internis, intellectu, & nonnullis alijs affectionibus ad animam in genere pertinentibus. Hęc omnia, licet non eodem ordine, diſcutiemus Deo volente per ſequentes diſputationes.

(.§.)

LIBER

Digitized by Google

LIBER PRIMVS ET SECVNDVS ARIST. DE ANIMA.

IN primo libro explicata huius ſcientiæ præ cæteris partibus Philoſophię dignitate, & excellentia totus eſt Ariſtoteles in refellendis antiquorum placitis circa naturam animæ. Deinde in ſecundo libro eſſentiam animæ manifeſtat, & eius ſpecies, ac proprietates inueſtigat. Nos verò relictis philoſophorum delirijs, incipimus à vera animæ definitione, ex qua facile oppoſitæ ſententiæ refelluntur. Et ideo ſub vno titulo vtrumque librum comprehendimus.

DISPVTATIO I.

De eſſentia, & quidditate animæ.

1 INdubitatum eſt omnibus, animam re ipſa exiſtere: operationes enim variæ, quas in viuentibus, Planta, Bruto & Homine experimur, & vitales appellamus, ortum habent ab agente aliquo intrinſeco, quod ex ſe ſit prima radix illarum: hoc autem eſſe non poteſt materia prima, quia ex ſe nô magis inclinatur ad has operationes, quam ad non vitales; neque poteſt eſſe aliquod accidens, quia ratio primæ radicis ſolum conuenit primo enti, quo nomine appellatur ſola ſubſtantia: prout diſtincta ab accidentibus, quæ ſecunda entia nuncupantur apud Ariſtotelem, vt vidimus in Logica ad prædicamentum ſubſtantiæ: ergo præter materiam alia ſubſtantia aſsignari debet in viuentibus, quæ ſit prima radix operationum vitalium. Hanc ergo appellamus animam, & eius naturam ſuſcipimus explicandam in hac diſputatione.

SECTIO I.

Prima definitio animæ explicatur.

2 DVplicem definitionem animæ adducunt Philoſophi ex Ariſt. 2. lib. de Ani. cap. 1. & 2. Prima, quæ explicanda eſt in hac

Digitized by Google

ſectione, ſumitur ex capite primo, textu 6. & eſt huiuſmodi; *Anima eſt actus primus corporis phyſici, & organici potentia vitam habentis.* τὸ *actus* ponitur loco generis, in quo anima conuenit non ſolum cum reliquis formis; ſed etiam cũ quouis actu ſecundo (actum enim Ariſtoteles 9. Met. tex. 10. diuiſit in primum, & ſecundum, vt vidimus in Phyſic. diſp. 3. ſect. 2. num. 13.) differt tamen ab actu ſecundo per τὸ *primus.* Porrò duplicem rationem actus primi inuenies in anima: vnam reſpectu operationum vitalium; alteram reſpectu actualis cõſtitutionis totius; anima enim ex natura ſuã tã eſt actus primus ad conſtituendum totum, quàm ad eliciendas operationes vitales. Per illam ergo particulã, *actus primus,* explicuit Ariſtot. in præſenti virtutem conſtitutiuam totius, quia hìc agebat de anima, vt eſt principiũ conſtitutiuũ corporis animati, vt infra videbimus. In ea tamen particula implicitè continetur principium operationum vitalium, vt conſtabit ex dicendis.

13 Additur deinde *corporis*, circa cuius intelligentiam haud modicum inter authores diſsidium eſt. Scotus putauit, per illam intelligi materiam primam cum forma corporeitatis. Sed iam probauimus in Phyſic. diſp. 3. ſect. 4. non dari in materia talem formam corporeitatis, ac proinde hoc placitum reijciendum eſt. Alij dicunt per τὸ *corporis* intelligi materiam nudam omni diſpoſitione. Sed hi aberrant prorſus à veritate: neque enim Ariſtoteles vnquã materiã hoc modo ſumptam nomine *corporis* appellauit. Alij denique exiſtimant, ſignificari materiam organis inſtructam, hac enim ratione appellatur *corpus* apud Ariſtotelem. Sed hæc ſententia refutabitur explicatione noſtræ.

14 Dicendum ergo eſt per τὸ *corporis* ſignificari apud Ariſtot. totum compoſitum reſultans ex materia corporea, & anima, prout eſt forma ſubſtantialis. Ita P. Toletus hìc ad tex. 7. & 8. & P. Suarez diſp. 15. Met. ſect. 10. num. 15. Hæc ſententia conſtat clare ex Ariſtotele. Primò: quia in definitione dicit animam eſſe *actum corporis phyſici*, hoc eſt, *naturalis*; corpus autem naturale in phraſi Ariſtotelis dicitur corpus conſtans naturã; non verò dicitur conſtans naturã materia organizata; ſed ſolum cõpoſitum ſubſtantiale, quod quia ex materia, & forma (quibus ratio naturę competit, vt diximus in Phyſ. diſp. 9. ſect. 2.) tãquam ex partibus eſſentialibus compingitur, ideo dicitur conſtare naturã; Quod autem Ariſtoteles in præſenti vſurpauerit corpus naturale ſecundum prædictam acceptionẽ, conſtat ex tex. 2. huius capitis, vbi diuidens corpus hæc habet: *Maxime autẽ corpora videntur eſſe ſubſtantia, & ipſorum ea magis, quæ naturalia: hæc enim cæterorũ principia ſunt*, vbi loquitur de principio efficiẽte operationũ: ſed materia organizata non eſt principium effi-

efficiens; ſed ſolum paſsiuum operationum: ergo non loquitur de materia organizata; ſed de compoſito ſubſtantiali, cui conuenit eſſe principium efficiens operationum.

5 Quod autem ibi loquatur de corpore, quod ſit principium efficiens, conſtat ex his, quæ ſubiungit: *Naturalium verò corporum* (inquit) *quædam habent vitam, quædam non habent; vitam autem dicimus nutritionẽ, accretionẽ, & decretionem; quæ quidem per id ipſum fit, quod viuere dicitur*. Vbi diuidens corpora naturalia in viuẽtia, & non viuentia, ea dicit eſſe viuentia, quæ faciunt nutritionẽ: ſed materia organizata neque dicitur viuens, neque facere nutritionem; ſed ſolum id competit cõpoſito ſubſtantiali conſtanti materia, & anima: ergo hoc ſolum vocat Ariſtoteles in hoc loco corpus naturale; ac per conſequens dum paulo inferius animam definit per ordinem ad corpus naturale, non ſignificat materiam organizatam; ſed compoſitum ſubſtantiale.

6 Secundò probatur eadem ſententia ex eodem 1. cap. 2. lib. tex. 8. vbi, traditâ iam definitione concludit: *Vniuerſaliter igitur diximus quidnam anima ſit. Eſt enim ea ſubſtantia, quæ eſt vt ratio; hæc autem eſt quidditas corporis talis*; at forma nunquam dicitur ab Ariſtotele eſſe ratio, ſeu quidditas materię; ſed ſolum totius compoſiti: ergo hoc ſignificatur hìc nomine corporis. Deinde tex. 10. explicans particulam illam, *potentia vitam habentis*, quam poſuerat in definitione animæ, ait: *Non eſt autem id potentia viuens, quod abiecit animam, eaque vacat; ſed id, quod ipſam habet*. Vbi id dicit eſſe potentiâ viuens, quod actu habet animam: nõ alia de cauſa, niſi quia eſt potens elicere operationes vitales, per quas actualiter viuit.

7 Obijcies 1. ipſum Ariſtotelem qui tex. 4. illius 1. capit. vt probaret, animam diſtingui à corpore, cuius actũ eſſe dixerat, hanc attulit rationem: *Corpus namque non ſubit rationem eorum, quæ ſunt in ſubiecto; ſed vt ſubiectum potius eſt, & materies*: Ergo hìc ſumit *corpus* pro materia. Cæterum ex his verbis oppoſitum deduci deberet: quia, ſi Ariſtoteles vſurparet hìc *corpus* pro materia, non diceret, corpus eſſe, *vt ſubiectum, & materiam*; ſed eſſe ſubiectum, & materiam. Reſpondeo ergo, ibi aperte loqui Ariſt. de compoſito ſubſtantiali, quia immediatè antè dixerat, omne corpus naturale particeps vitæ eſſe ſubſtãtiam compoſitam: ergo aperte loquitur de corpore, quod ſit compoſitum ſubſtãtiale. Ex eo autem probat, animam eſſe diſtinctã ab hoc corpore, quià, videlicet, anima eſt in ſubiecto; corpus verò, de quo dixerat eſſe ſubſtantiam compoſitam, non eſt in ſubiecto; ſed potius ſe habet vt ſubiectum, & materia, quia, cum in ſe recipiat operationes vitales (ſaltem vt ſubiectum denominationis) taliter vt ipſum non recipiatur in alio, ſimilitudinem maximam habet cum materia, quæ

A 3 ita

ita recipit formas, vt ipſa non recipiatur in alio.

8 Obijcies 2. ipſum Ariſtotelem tex. 11. vbi, cum dixiſſet, corpus eſſe potentiâ viuens, ſubiungit: *Verum vt pupilla, viſuſque oculus eſt, ſic anima & corpus eſt animal*: atqui animal non dicitur eſſe anima, & compoſitum ſubſtantiale; ſed anima, & materia organizata: ergo per τὸ *corpus* ſignificat Ariſtoteles materiam. Reſpondeo, Ariſtotelem in hoc loco ea verba *anima, & corpus* poſuiſſe loco eorum *corpus animatum*, hoc eſt, conſtans animâ, de quo recte dicitur eſſe animal. Moueor ad id, tum quia immediate anteà vſurpauerat *corpus* pro compoſito ſubſtantiali, vt conſtat ex verbis pro noſtrâ ſententiâ adductis ex tex. 10. non autem eſt credendus immediate poſt vſurpaſſe eandem vocem in diuerſa ſignificatione, ne dicatur æquiuoce locutus in tam breui ſpatio; tum etiam, quia talis modus loquendi eſt in vſu apud ipſum Ariſtotelem, quia 2. Phyſi. definiens naturam dixit, eſſe *principium, & cauſam motus, &c.* vbi particula, *& cauſa* ſumêda eſt pro: *exaſ*[illegible]*tiuum*, ne dicamus, τὸ *principium* ſuperfluere in ea definitione.

9 Ex dictis conſtat, τὸ *corporis* in definitione animæ ſignificare compoſitum ſubſtantiale conſtans naturâ, hoc eſt, materia, & forma ſubſtantiali, & ideo, dum anima dicitur; *actus primus corporis naturalis*, ſignificatur, eſſe actum conſtitutiuū compoſiti ſubſtantialis naturâ conſtantis, per quod differt à compoſitis artificialibus, imò & à ſubſtantialibus non conſtantibus naturâ, ſi quæ ſunt.

10 Deinde additur *organici*, vt ſignificetur, animam eſſe actum corporis habentis diuerſam diſpoſitionem, & organizationem partium. Per quam particulam ſecernitur anima à formis ſubſtantialibus totius homogenei, quales ſunt forma lapidis, ignis, &c. imò & ab ijs, quæ conſtituunt totū conſtans partibus heterogeneis, vt ſunt forma iaſpidis, & aliæ eiuſmodi, quia organicum in communi acceptione non ſignificat quancunque diuerſitatem diſpoſitionum; ſed eam tantum quæ eſt apta ad opera vitæ. Per hanc tamen particulam conuenit aliquo modo anima cum forma embrionis, quæ quidē conſtituit compoſitum admittens diſpoſitiones, per quas materia eius præparetur & ad animam recipiendam, & ad vitæ opera exercenda. Propterea, vt anima diſtinguatur ab hac forma, additur in definitione particula *potentia vitam habentis*, hoc eſt, potentis elicere operationes vitales, vt colligitur ex Ariſtot. tum tex. 3. tum etiam 1. ſupra adductis: quod quidem non conuenit formæ embrionis, cum hæc non conſtituat compoſitum potens elicere operationes vitales.

11 Duo inuoluuntur in prædictis verbis. Primum eſt, compoſitum naturale, cuius actus conſtitutiuus eſt anima, debere eſſe viuens,

dens; hoc enim ſolum eſt, quod poteſt elicere operationes vitales. Secundum eſt, ipſam animam eſſe actum primum elicitiuum operationum vitalium, quia, cum viuens non ſit elicitiuum harum operationum; niſi quatenus eſt viuens, & ſit viuens ratione animæ, ratione eiuſdem habet virtutem elicitiuam talium operationum. Senſus ergo definitionis prædictæ erit: *Anima eſt actus conſtitutiuus corporis naturalis inſtructi organis, & potens elicere operationes vitales.* Vnde per priora verba definitionis Ariſt. ſcilicet, *actus primus corporis phyſici* conuenit anima cum alijs formis ſubſtantialibus, quæ etiam conſtituunt corpus naturale. Per reliqua verò verba differt ab illis: quia anima cõſtituit corpus naturale, quod ſit viuens; ſecus aliæ formæ ſubſtantiales.

An prædicta definitio ſit eſſentialis animæ?

12 RESPÕDEO affirmatiue: quia per priora verba, quibus anima dicitur *actus cõſtitutiuus corporis naturalis*, explicantur ea omnia prædicata, in quib⁹ eſſẽtialiter conuenit cum reliquis formis ſubſtantialibus. Per ea enim verba explicatur primo virtus conſtitutiua compoſiti ſubſtantialis, vt conſtat: deinde explicatur, quod anima ſit ſubſtantia; quia id, quod totũ ſubſubſtantiale conſtituit, debet eſſe ſubſtantia: tertio explicatur virtus informandi, ſeu actuandi materiã; id enim, quod totum ſubſtantiale conſtituit vt actus (alterius compartis intellige) eſt, quod informat, & actuat materiã, ſed hæc omnia ſunt eſſentialia cuiuis formæ ſubſtantiali, vt conſtat ex definitione formæ adducta in Phyſ. diſp. 3. ſect. 2. ergo, &c. Præterea per vltima verba explicatur, quod anima debeat cõſtituere corpus viuens, per quod eſſentialiter differt à reliquis formis: ergo eſſentialiter definitur per hanc definitionem.

13 Hic aduerte, quod, cũ operationes propriæ corporis, ſeu entis naturalis, hoc eſt, conſtantis natura, oriri debeant efficiẽter à forma iuxta dicta in Phyſ. diſp. 9. nu. 13. eo ipſo quod anima dicitur eſſe forma corporis naturalis viuẽtis, implicite ſaltẽ affirmatur, eſſe principium effectiuũ operationũ vitalium, quæ ſunt propriæ ipſius viuẽtis; id quod clarius tradidit Ariſt. in ſecunda definitione animæ.

14 Obijcies: ſi eſſet de eſſentia animæ eſſe conſtitutiuã corporis naturalis, id conueniret omni animæ: atqui id nõ cõuenit animæ rationali: ergo nõ eſt de eſſentia animæ vt ſic. Minor probatur: quia homo, quẽ cõſtituit anima rationalis non eſt corpus incõpletum, vt patet; neque completũ, quia corpus cõpletum debet conſtare partibus corporeis: ſed anima rationalis nõ eſt corporea; ſed ſpiritualis: ergo totũ, quod cõſtituit, nõ eſt corpus cõpletũ. Aliqui reſpondent, hominem eſſe corpus completum, quia ex vna parte habet materiam, ratione cuius ſit corpus; & ex alia animam complentem materiam, ratione cuius dici poteſt completum. Cæterum; ſi ob hanc

Digitized by Google

ſolùm rationem dicendus eſſet homo corpus completum, non eſſet, cur non poſſet dici etiam ſpiritus completus, quia ratione animæ poſſet dici ſpiritus, & ratione materiæ completus.

15 Reſpondeo ergo, hominem adhuc vt compoſitum ex materia, & anima rationali eſſe corpus cópletum: quia ratio corporis conſiſtit in impenetrabilitate cum alio corpore ea ratione, qua dicemus infra: cum autem anima rationalis, dum componit totum, debeat eſſe in eodem loco cum materia, & hæc, vtpote corporea, ſit impenetrabilis cum alio corpore, neceſſarium eſt, quod & ipſa anima (licèt ſecundum ſe ſit ſpiritualis, & penetrabilis) dum totum cum materia componit, non poſsit penetrari. Vnde ipſe homo, qui eſt totum reſultans ex materia, & anima, erit impenetrabilis non ſolũ ſecundum materiam; ſed etiam ſecundum ſe totum, ac per conſequens erit corpus completum, adhuc vt compoſitum ex materia, & anima rationali.

16 Neque inde licet inferre, animam rationalem, dum componit totum, eſſe porpus: quia, vt aliquid habeat rationẽ corporis, non ſufficit, quod in hoc, vel illo ſtatu non poſsit penetrari; ſed eſt neceſſarium, quod ſecundum ſe in nullo ſtatu poſsit naturaliter penetrari, vt dicemus diſp. 4. quod quidem non conuenit animæ rationali. Hinc deſumitur ratio, cur homo non poſsit dici ſpiritus completus, licèt conſtet vna parte ſpirituali: quia vt eſſet ſpiritus, neceſſarium erat, quod poſſet ex natura rei penetrari cum alio corpore; eo autẽ ipſo quod conſtat vna parte corporea, non poteſt penetrari ex natura rei cum alio, vt cõſtat ex dictis, atque adeo non poteſt dici ſpiritus.

SECTIO II.

Explicatur ſecũda definitio animæ.

17 Aliam animæ definitionem tradidit Ariſt. eodem lib. 2. cap. 2. tex. 24. in hunc modum, *Anima eſt id, quo primo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus*: in cuius explicatione non parum diſsidium eſt inter authores. Aliqui enim dixerunt, hanc definitionem eſſe vnam; non tamen competere animæ vt ſic; ſed ſoli animæ rationali, quandoquidem ea ſola eſt principiũ harum omnium operationum. Cæterum hæc ſententia aperte eſt contra Ariſt. qui in initio illius cap. 2. dixit, ſe velle iterum definire animam, quam præcedente capite definierat: atqui capite præcedente definierat animam, vt abſtrahit à rationali, & reliquis, vt conſtat ex dictis ſect. præcedente: ergo, &c.

18 Alii docent, in illis verbis, *anima eſt id, quo primò viuimus*, contineri tantùm definitionem animæ in communi, & cæteras particulas coniungi ad maiorem explicationem. Sed contrà: vel per τὸ *viuimus* intelligitur vita vt ſic, vt præſcindens à vegetatione, ſenſatione, & intellectione: & ſic de-

ſectuo-

fectuoſa erit explicatio ibi ſubiuncta, quia in illa non meminit Ariſt. vegetationis, quæ eſt operatio propria animæ vegetatiuę. Vel per τὸ *viuimus* intelligitur vegetatio vt ſic, præſcindens à vegetatione plātæ, bruti, & hominis: & hac ratione in primis erit etiam defectuoſa explicatio ſubiuncta, quia non ponitur in ea vegetatio plantæ, quæ eſt vna ex ſpeciebus vegetationis vt ſic. Secundò vegetatiuum vt ſic non eſt quid commune omnibus animæ ſpeciebus, vt conſtabit ex dicendis diſp. 2. ſect. 1. Ergo ſi per τὸ *viuimus*, intelligatur vegetatiuum vt ſic, non poterit definiri anima prout communis omnibus animabus. Alij dicunt has eſſe tres definitiones trium animarum.

19 Ego verò exiſtimo 1. per hanc definitionem definiri ab Ariſtotele animam in cōmuni comprehendentem omnes animas. Id conſtat ex Ariſt. adducto contra primam ſententiam; & ex cap. illo 2. in quo Ariſt. hanc tradidit definitionem. Exiſlimo 2. prædictam definitionem eſſe explicationem prioris: quia in priori dixit Ariſt. *animam eſſe actum primum corporis naturalis potentis elicere operationes vitales*: quibus verbis non expreſsit, an anima eſſet principiū effectiuum operationum vitalium, & qualium; quod quidem exprimit in hac ſecunda, quia per illa verba, *id quo primò, &c.* Significatur, animam eſſe primum principium, & primam radicem operationum vitalium, id enim ſignificat τὸ *primò* ibi poſitum. Per ſequētia verò verba explicatur qualium operationū vitalium ſit principium: quia per τὸ *viuimus* ſignificantur nutritio, & accretio, quæ ſunt operationes animæ vegetatiuæ. Quod quidem conſtat ex Ariſt. qui cap. pręcedente vitam vſurpauerat in hoc ſenſu tex. 3. vbi ait, *vitam autem dicimus nutritionem, accretionem, & decretionem.* Per reliquas particulas explicantur operationes animæ ſenſitiuæ, & rationalis: ergo id expreſſe tradidit Ariſt. in hac definitione, quod implicite tradiderat in priori.

20 Exiſtimo 3. hanc definitionem eſſe deſcriptiuam animæ in communi. Ratio eſt: quia definitio generis tradita per omnes differentias, per quas adæquate diuiditur in ſuas ſpecies, eſt deſcriptiua: ſed prædictis verbis definitur anima per differentias, per quas adæquatè diuiditur in ſuas ſpecies, vt conſtat ex dictis, & conſtabit ex infra dicendis: ergo eſt deſcriptiua. Maior eſt certa; quia differentię, per quas genus diuiditur in ſuas ſpecies, accidunt ipſi generi, cum illud ſupponant in ſua ratione formali conſtitutū; & quidem taliter, vt quatenus ab illo diſtinctæ nulli alteri accidant niſi ipſi: ergo ſunt accidentia propria illius (non phyſice; ſed logice) ergo vt definitur per illas, deſcriptiue definitur.

21 Dices: definitio deſcriptiua conueniens generi debet conuenire cuiuis ſpeciei: ſed hęc definitio non conuenit cuiuis ſpeciei

ani-

animæ: ergo non eſt deſcriptiua animæ vt ſic. Minor probatur: quia anima vegetatiua plantæ non eſt id, quo viuimus, & ſentimus, &c. Diſtinguo maiorem: definitio conueniens generi ſecundum ſe ſumpto debet conuenire cuiuis ſpeciei, concedo: conueniens generi prout præciſo ab ſpeciebus debet conuenire cuiuis ſpeciei, nego maiorem. Deinde cõceſſa minori, diſtinguo cõſequens: non eſt deſcriptiua animę vt ſic ſecũdum ſe ſumptæ, concedo: non eſt deſcriptiua animę prout pręciſę ab ſpeciebus, nego conſequentiam: differentiæ enim non ſunt accidentia generis ſecundum ſe ſumpti, cum non diſtinguantur ab illo ſecundum ſe ſumpto; ſed ſunt accidentia illius prout præciſi ab ſpeciebus, & ideo non debent accidentaliter conuenire ſingulis ſpeciebus.

22 Exiſtimo quarto, in prædicta definitione animæ vt ſic contineri tres definitiones eſſentiales trium ſpecierũ ipſius animæ. Probatur: quia in prædicta definitione continetur genus, & propria differentia cuiuslibet ſpeciei animæ, vt conſtat ex dictis: ergo cõtinetur definitio eſſentialis cuiuſlibet ſpeciei animæ. Patet conſequentia: quia definitio tradita per proprium genus, & per propriam differentiam eſt eſſentialis. Prima ergo definitio eſt animæ vegetatiuæ plantæ, & continetur illis verbis, *id quo primò viuimus*; hoc eſt, quo primò vegetantur plantæ. Secunda eſt animæ ſenſitiuæ bruti, & continetur illis verbis, *id, quo primò ſentimus, & mouemur*, hoc eſt, quo primò ſentiunt, & mouentur bruta. Tertia eſt animę rationalis, & continetur illis verbis, *id, quo primò intelligimus*, hoc eſt, quo primò intelligunt homines.

23 Dices: de eſſentia animæ eſt totum conſtituere, & informare materiam: ſed hæc non ſignificantur in his definitionibus: ergo non ſunt eſſentiales ſingularum animarum. Nego minorem: quia per ea verba, *id, quo primò, &c.* ſignificatur anima vt id, quo compoſitum conſtituitur in eſſe vegetatiui, ſenſitiui, &c. Deinde, cum totum non conſtituatur in eſſe talis, niſi per formam (loquor de compoſitis, quæ nouimus de facto dari) per eadem verba ſignificatur vis informatiua animæ.

24 Dices 2. Prius concipitur in anima hoc, quod eſt informare materiam, & totum ineſſe viuentis cõſtituere, quam eſſe radicem, ſeu principium operationum vitaliũ: ergo nõ eſt de eſſentia ſaltem metaphyſica ſingularum animarum eſſe radicem, ſeu principium operationum vitalium, quæ ſunt propriæ ſingularum; ſed id ſolùm pertinebit ad earũ proprietates. Nego antecedens: quia per eandem formalitatem, qua anima eſt prima radix operationum vitalium, conſtituit totum in eſſe viuentis: eatenus enim totum eſt viuens, quatenus eſt primum principium, ſeu prima radix operationum vitalium: ergo per eandem formalitatem, qua conſtituitur in eſſe principij talium operationũ, conſtitui-

ſtituitur etiam ineſſe viuentis: ſed anima conſtituit illud ineſſe principij operationum vitalium per formalitatem, qua ipſa eſt prima radix illarum: ergo per eandem conſtituit illud ineſſe viuentis, ac per conſequens, ſi viuens conſtituere ineſſe talis eſt de eſſentia animæ, de eſſentia eiuſdem erit eſſe primam radicem operationum vitalium.

DISPVTATIO II.

De diuiſione animæ, & eius informatione.

COgnitâ eſſentiâ animæ, diuidenda eſt in ſuas ſpecies, & eius informatio inueſtiganda.

SECTIO I.

Examinatur communis animæ diuiſio.

1 IN tria membra partitus eſt animam Ariſtoteles, nempe in vegetatiuã, ſenſitiuam, & rationalem. Prima conſtituit plantam, quæ eſt principium ſolius vegetationis. Secunda conſtituit brutũ, quod eſt principium vegetationis, & ſenſationis ſimul. Tertia conſtituit hominem, qui præter dictas operationes elicit etiam ratiocinationem. Sunt tamen, qui exiſtiment, formam vegetatiuam non eſſe viuentem, ac per conſequens neque animam; & propterea animam in communi ſolum diuidendam eſſe in ſenſitiuam, & rationalem. Ita olim Stoici, quorũ ſententiam iam diu extinctam ſuſcitarũt hoc tempore recentiores aliqui. Probant ſuam ſententiam: quia de ratione viuentis vt talis, eſt immanenter operari: ſed vegetatiuum vt tale non operatur immanenter: ergo nõ eſt viuens. Maior datur ab omnibus. Minor probatur: quia operatio immanens eſt, quæ manet in principio, à quo oritur, tanquam in ſubiecto: ſed vegetatio non manet tanquam in ſubiecto in principio, à quo oritur: ergo non eſt immanens. Minor probatur: quia nõ recipitur in ea parte vegetatiui, à qua oritur ipſa vegetatio; ſed in materia alimenti, quod conuertitur in ipſum vegetatiuum.

2 Sed immerito iſti authores recedunt à communi Philoſophorum, & Theologorum ſententia admittentium prædictam diuiſionem animæ ab Ariſtot. adductam, & aſſerentium plantam viuere per vegetationem. Sic Ariſtoteles in hoc lib. 2. de Ani. tex. 3. Auguſt. tom. 1. lib. 8. de Ciuit. cap. 6. & tom. 10. ſerm. 17. S. Dionifius capit 7. de Diu. nomin. quem refert & ſequitur S. Thomas 1. p. q. 18. art. 1. quibus ſubſcripſere hucuſq; omnes Theologi, & Philoſophi. Argumentum, quo nituntur recentiores, nullius eſt momenti: quia ad hoc, vt actio aliqua ſit immanens, neceſſarium nõ eſt, quod recipiatur immediatè in ipſo principio, à quo phyſice oritur; ſed vel in ipſo, vel in aliquo, quod vnum cõpoſitum cum illo conſtituat: hoc enim

enim ſufficit, vt agens dicatur agere in ſe ipſo, & actio manere in ipſo agente; quandoquidem, vt totum aliquod dicatur agere, ſufficit, quod vna pars illius agat; & vt dicatur recipere, ſufficit, quod vna pars illius recipiat: ergo, vt totum aliquod agat in ſe ipſo, ſufficiet, quod ſecundum vnam partem ſui agat, & ſecundum alteram recipiat: ſed dum planta per vegetationem acquirit ſibi nouam partẽ, agit ſecundum vnam partem, & ſecundum alteram recipit ipſam vegetationem: ergo vere dicetur agere in ſe ipſa. Minor probatur: quia materia alimenti, in qua recipitur talis actio, eſt pars plantæ in eo inſtanti, in quo datur vegetatio, per quam fit maior ipſa planta: ergo iam planta agit in ſe ipſa per vegetationem: ergo vegetatiuum non eſt excludendum à ratione viuẽtis ex defectu actionis immanentis.

3 Alij putant addendam eſſe aliam ſpeciem animæ locomotiuæ. Dicunt itaque, animam in communi diuidi in vegetatiuam, ſenſitiuam, locomotiuam, & rationalem. Probatur: quia ſicut dantur aliqua viuentia, quæ ſunt vegetatiua tantum ſine vlla ſenſatione, ita dantur alia, quæ ſunt ſenſitiua ſine motu progreſsiuo: ergo ſicut ponitur vna ſpecies animę, ad quã pertineat vegetatio tantum; & alia, ad quam præter vegetationem pertineat ſenſatio, ita etiam ponẽda eſt alia, ad quam præter vegetationem, & ſenſationem pertineat motus progreſsiuus.

4 Hæc ſententia mihi diſplicet: quia, vt infra dicemus, motus progreſsiuus animalium non eſt formaliter actio vitalis; licet per ſe ſupponat in ſuo principio ſenſationem, & appetitionem: ergo nõ eſt diſtinguenda diuerſa ſpecies animæ per ordinem ad illum. Datur tamẽ in nonnullis animalibus; non veró in alijs, quia per ſe ſupponit quendam modum ſentiendi, & appetendi, qui nõ inuenitur niſi in aliquibus ex ſpeciebus ſenſibilium; & propterea ſpecies animæ locomotiuæ non pertinet ad primam diuiſionem animę in communi; ſed ad diuiſionem animæ ſenſitiuæ in ſuas ſpecies.

5 Dicendum ergo eſt, diuiſionem animæ ab Ariſt. adductam eſſe bonam, & adæquatam: quia anima in communi tres illas ſpecies ſub ſe continet, & nullam aliam, quæ alicui ex illis non ſubordinetur; neque enim hucuſq; nouimus animam, quæ vegetatiua non ſit, aut ſenſitiua, vel rationalis: ergo recte diuiditur anima ab Ariſtot. in eas tres ſpecies. Non me latet, nonnullos addere aliam ſpeciem animæ, cuius proprium ſit à ſe moueri circulariter. Hi tamen ſine fundamento hanc ſpeciem animæ confingunt, & eos impugno in lib. de Cœlo.

6 Eſt tamen difficultas, & nõ leuis in explicando, an prædicta diuiſio mediata ſit, an immediata? Eſt dicere: an anima immediatè in has ſpecies diuidatur, vel dentur aliæ ſuperiores, in quas prius, & immediatiùs diſſecetur? Pro enodatio-

datione noto 1. nutritionem, ſeu vegetationẽ, quæ eſt propria operatio animæ vegetatiuæ vt talis, conſiſtere in actione, qua ipſa anima nouam partem integralem acquirit viuenti, quod in eſſe vegetatiui conſtituit. Id eſt certum apud omnes. Noto 2. animam ſenſitiuã cõſtitui in eſſe talis formaliter per ordinem ad ſenſationem: eo enim ipſo quod eſt productiua ſenſationis, præciſo quocumque alio, habet omnia requiſita, vt propriè & formaliter dicatur anima ſenſitiua. Idem eſt de anima rationali per ordinem ad ratiocinationẽ, prout omnibus compertum eſt.

7 Noto 3. ex prædicato ſenſitiui præciſè non repugnare animã, quæ, cum ſit ſenſitiua, non ſit vegetatiua. Id oſtendo infra diſput. 4. ſect. 4. & facilè ſuaderi poteſt: quia, eo ipſo quod anima ſit productiua ſenſationis, erit ſenſitiua: ſed ex vi prædicati ſenſitiui nõ repugnat anima productiua ſenſationis, quin ſit vegetatiua: ergo, &c. Minor eſt certa: quia totus cõceptus principij ſenſationis ſaluatur optimè abſq; vllo ordine ad vegetationẽ: recte enim concipitur vis productiua ſenſationis abſque vlla mẽtione vegetationis, vt experientiã cõſtat: ergo in prædicato ſenſitiui ſecundũ ſe nulla inuoluitur connexio cum vegetatione, ratione cuius repugnet dari ſenſitiuũ ſine vegetativo. Idẽ forſam dici poteſt de anima rationali, nempe quod ſit poſsibilis anima rationalis non vegetatiua, imo neque ſenſitiua.

8 Noto 4. nonnunquam contingere, quod prædicatum ſe habens vt genus reſpectu duarũ ſpecierum, ſit differentia, ratione cuius eæ duæ ſpecies differãt ab alijs, cum quibus conueniunt ratione ſuarum differentiarum. Id apparet in quantitate iuxta ſententiam admittentem, quantitatem ſucceſsiuam, & permanentem; continuã, & diſcretam eſſe verè, & propriè ſpecies quãtitatis: quia iuxta hanc ſententiam quantitas diuiditur in ſucceſsiuam, & permanentem; & rurſus quælibet ex iſtis in continuam, & diſcretã. Ex quo infertur, continuã, & diſcretam permanentes conuenire in ratione quantitatis permanẽtis, & differre ratione cõtinuationis, & diſcretionis. Rurſus continua permanens conuenit cum continuã ſucceſsiua ratione cõtinuationis, & differt ab illa ratione permanentiæ: & idem eſt de permanente diſcreta, nempè quòd cum diſcreta ſucceſiua cõuenit ratione diſcretionis, & differt ab illa ratione permanẽtiæ. His poſitis.

9 Sic cõpono diuiſionẽ animę in cõmuni in ſuas ſpecies. Anima primo diuiditur in vegetatiuã, ſecundum quod eſt principium vegetationis præciſè, & in ſenſitiuam, ſecundum quod eſt principiũ ſenſationis præciſè; & in rationalem, ſecundum quod eſt principium ratiocinationis præciſè. Rurſus vegetatiua diuiditur in vegetatiuam tantùm, hoc eſt, in vegetatiuã plantæ; in vegetatiuam bruti; & in vegetatiuam hominis. Contrahitur quidẽ ad animã vegetatiuã tantũ, nõ per negationẽ aliquam, ſed per

præ-

prædicatũ poſitiuũ, ratione cuius conſtituit plantã, & ex quo oritur negatio ſenſitiui, & rationalis. Deinde contrahitur ad vegetatiuã bruti per differentiã ſenſitiui, hoc eſt, per principiũ ſenſationis: quia ratione huius determinatur prædicatũ vegetatiui ad hoc vt ſit productiuum partis viuẽtis, non qualiſcũque; ſed quæ ſenſitiua ſit. Præterea contrahitur ad vegetatiuam hominis per differẽtiã rationalis, hoc eſt, per principiũ ratiocinãdi; quia ratione huius determinatur prædicatum vegetatiui ad hoc, vt ſit productiuum partis viuentis rationalis.

10 Similiter anima ſenſitiua, vt ſic diuiditur in ſenſitiuã tantùm; & in ſenſitiuã, quæ ſit vegetatiua, & in ſenſitiuã, quę ſit etiã rationalis. Contrahitur ad ſpeciẽ ſenſitiuã tantum, nõ per negationẽ; ſed per differentiam quandã poſitiuã, ex qua oritur negatio vegetatiui. Deinde ad ſenſitiuã, quæ ſit vegetatiua cõtrahitur per rationem vegetatiui, hoc eſt, per principium vegetationis, ſeu acquiſitionis nouæ partis viuẽtis; & eodẽ modo philoſophãdum eſt de ſenſitiua, quæ ſit vegetatiua, & rationalis; ad hanc enim contrahitur ratio ſenſitiui per differentiam vegetatiui, & rationalis modo nuper explicato. Ex his facile erit colligere diuiſionem prędictarum ſpecierum in alias ſpecies inferiores.

11 Hinc fit primò vegetatiuũ, quod eſt genus reſpectu vegetatiui plantæ, bruti, & hominis, eſſe differentiã, per quã brutũ differt à ſenſitiuo tantùm; & præterea ſenſitiuum, quod eſt differentia, per quam differt brutum à planta eſſe genus, in quo ipſum brutũ conuenit cum ſenſitiuo tantùm. Fit 2. animã vt ſic latius patere, quam vegetatiuũ vt ſic; ſenſitiuũ vt ſic, &c. quia anima extenditur ad omnes animas rationales, ſenſitiuas, & vegetatiuas; at vegetatiua non extenditur ad omnes ſenſitiuas, cum non extendatur ad eas, quæ ſunt ſenſitiuæ tantùm; neque ſenſitiua extẽditur ad omnes vegetatiuas, cum nõ extendatur ad plantas; & idem eſt de rationali, ſi forſam ſunt poſsibiles alię ſpecies rationalis.

12 An verò ratio formalis animæ includatur formaliter in differentijs, per quas cõtrahitur, cõſtat ex dictis in Log. vbi docuimus, genus nõ poſſe icludi formaliter in differentijs: & ideo cõceptus animæ, quæ eſt genus reſpectu inferiorum, in quæ diuiditur, nõ poteſt includi formaliter in eorũ differentijs; ſed ratio animę vt ſic cõſtituitur per ordinẽ ad operationẽ vitalem vt ſic; & differẽtiæ illã contrahentes cõſtituuntur per ordinẽ ad talitates operationũ vitalium, quæ ſunt propriæ vniuſcuiuſq; animæ.

SECTIO II.

Vtrùm omnis Anima ſit actus informans.

13 EX dictis diſp. præced. conſtat, animã eſſe actũ corporis. Reſtat diſcutiendũ; an ſit actus informans, vel ſolũ aſsiſtẽs? Actus aſsiſtens dicitur ille, qui, cũ ſit cõpletus in ſuo eſſe, rei alteri aſsiſtit nulla vnione interueniẽte, ratione

cuius

cuius, vnũ cũ illa cõſtituat; ſed aliqua dumtaxat operatione, quâ illã moueat, ſeu gubernet. Eiuſmodi eſt nauarchus reſpectu nauis, & intelligentia, ſeu Angelus reſpectu orbis cœleſtis, quẽ mouet. Actus informans eſt actus incompletus, qui adhærens ſubiecto per vnionẽ phyſicam, vnum tertium cum illo conſtituit. Talis eſt forma ignis.

14 Dico 1. omnes animæ materiales, ſeu corporeæ, quales ſunt reliquæ omnes præter rationalẽ, ſunt act⁹ informãtes. Probatur 1. quia nulla anima corporea poteſt ſeiungi à corpore: ergo nõ eſt act⁹ illi tantũ aſsiſtens; ſed informans. Cõſequentia eſt bona: quia actus aſsiſtens poteſt ſeparari à ſubiecto, neq; illud exigit ad ſui cõſeruationem, vt cõſtat in nauarcho, & Angelo, quorũ ille ſine naui, & iſte ſine cœlo poſſunt cõſeruari, & ſubſiſtere. Secũdò: quia omnis anima materialis eſt actus incõpletus reſpectu ſubiecti: ergo & informans. Cõſequẽtia patet: quia actus incõpletus ſubiecti ordinatur ad vnũ tertium cũ illo cõponendũ, quod non præſtat niſi per informationẽ. Antecedens verò probatur: quia omnis forma materialis producitur depẽdenter à ſubiecto recipiẽte, & ſuſtẽtãte, vt diximus in Phyſ. diſp. 3. ſect. 3. ergo eſt actus incõpletus, quia quod eſt completum in ſuo eſſe, in ſe ſubſiſtit, neque indiget ſubiecto ſuſtentante, vt conſtat.

15 Cõfirmatur: quia nulla anima corporea eſt principiũ in ratione ſubſtãtiæ cõpletũ alicuius operationis: ergo neq; ipſa eſt ſubſtãtia cõpleta. Cõſequentia eſt bona: quia ſicut de ratione ſubſtãtiæ eſt eſſe primũ principiũ accidentium, ita etiã de ratione ſubſtantiæ cõpletæ debet eſſe hoc, quod eſt eſſe principiũ cõpletũ ſaltem alicuius accidẽtis. Antecedens verò probatur: quia omnes operationes animæ corporeæ recipiuntur in materia; ad id enim dantur illi tot organa, & diſpoſitiones, vt poſsit tales operationes recipere: ergo ex materia, & anima corporea reſultat vnũ principiũ operationũ, ac per cõſequẽs vna ſubſtãtia cõpleta, ad cuius cõpoſitionem quævis ex illis ordinetur. Id magis confirmabitur rationibus adducendis pro ſequenti concluſione.

16 Dico 2. anima rationalis eſt actus vere informãs vt vera forma hominis. Hęc cõcluſio eſt Fide ſancta: quia primo eſt definita in Clemẽt. vnica de Sũma Trin. §. 2. Deinde eſt cõfirmata in Concil. Later. ſeſſ. 8. Et ratione naturali facilè cõuinci poteſt. Primò: quia anima rationalis in homine eſt idem realiter cũ ſenſitiua, vt dicã ſect. ſeq. ſed anima ſenſitiua, quæcunq; ſit, eſt vere informans corpus per verã vnionẽ cũ illo: ergo & rationalis, quæ in homine eſt identificata cũ illa. Minor probatur: quia anima ſenſitiua hominis elicit ſuas operationes, ſenſationes videlicet, in materia, ad id enim præparatur iſta per organa corporea, & membrorũ diſtinctionem: ſed non poteſt elicere ſenſationes in materia, niſi vnum cum illa componat per veram vnionem: ergo eſt illi vere vnita.

Mino-

Minorem probo: quia ſenſationes ſunt operationes vitales: ergo & immanentes, quia in omnium ſententia immanentia eſt de ratione vitalitatis: ſed, ſi anima non eſſet vnita materię, non poſſent eſſe immanentes, quia neque reciperentur in agente, neq; in ſubiecto conſtituente vnum compoſitum cum illo: ergo, vt animus immanenter eliciat has operationes, neceſſariũ eſt, quod ſit corpori vnitus. Hæc ratio vrget eos, qui dicunt ſenſationem recipi in ſola materia.

17 Secundò probatur concluſio: quia animus rationalis aut eſt phyſice incompletus, aut completus. Si primum? ergo petit ſubſtãtialiter cõpleri per vnionem phyſicam cum corpore. Si ſecundum? ergo homo neque eſt phyſice vnus, neque reuera viuens: ſicut nauis cum nauarcho neque conſtituit vnum, neque viuens. Tertiò: quia anima rationalis talẽ habet connexionem cum organo corporeo, vt in hoc ſtatu nullã poſsit operationẽ elicere independenter ab illo, quod quidem non inuenitur in nauarcho reſpectu nauis, cuius eſt actus aſsiſtens: ergo aliquã habet maiorẽ connexionẽ anima rationalis cum corpore, quã nauarchus cum naui: at hæc maior connexio nõ poteſt dari aliter, niſi ratione informationis: ergo anima rationalis eſt actus informans. Et ſane ſi ſolùm eſſet aſsiſtens, neſcio, cur tantam connexionem haberet cum diſpoſitionibus corporeis, vt eis deficientibus auolaret? Sed poſt illas corruptas poſſet corpori præſens permanere, quã diu vellet: imo & perſeuerãtibus diſpoſitionibus, inde pro libito diſcedere, ſicut nauarchus diſcedit è naui.

18 Obijcies 1. animus rationalis eſt ſpiritualis, & indiuiſibilis: ergo nõ poteſt informare materiã corporeã, & diuiſibilẽ. Conſequẽtia probatur: quia actus, & potentia debent eſſe eiuſdẽ rationis, iuxta illud cõmune proloquiũ, *vnumquodq; recipitur ad modũ recipientis*: ergo, &c. Nego primã conſequentiã. Ad probationẽ nego antecedens; alioquì non poſſet accidens informare ſubſtantiã, cum nõ ſit eiuſdẽ rationis cum illa. Neq; proloquiũ illud intelligendum eſt eo modo, quo adducitur in obiectione; alioquì non poſſet ſupernaturalis forma recipi in ſubiecto naturalis ordinis; quod quidẽ neceſſario concedendũ eſt in actibus ſupernaturalibus Fidei, & Charitatis, qui recipiuntur in potentijs naturalis ordinis. Proloquiũ ergo illud ſolũ ſignificare debet, nullam rem poſſe recipi in ſubiecto nõ habente potentiã ad illã recipiendã. Materia autẽ corporea habet veram potẽtiã, vt illi vniatur animus ſpiritualis, & indiuiſibilis taliter, vt totus ſit in tota materia, & totus in qualibet parte materiæ, & ideo poteſt vniri cum illa. Dices: vnio animæ rationalis cum materia non poſſet eſſe corporea, quia attingeret animũ ſpiritualẽ; neque ſpiritualis, quia attingeret materiam corpoream: ergo nulla. Reſpondeo, fore materialẽ, & corpoream iuxta dicenda diſp. 4.

19 Ob-

Digitized by Google

19 Obijcies 2. anima rationalis eſt actus ſubſiſtens, & independens à corpore: ergo non poteſt eſſe actus informans. Conſequentia probatur tum ex Angelo, qui, cum ſit actus ſubſiſtens, non informat aliquod ſubiectum, tum etiam ex quantitate Euchariſtica, quæ producta per creationem independenter à ſubiecto nullum informat ſubiectum. Diſtinguo antecedens quoad priorem partem: eſt ſubſiſtens ſubſiſtentia completâ, nego: incõpletâ, concedo antecedens; & nego conſequentiam. Angelus vero eſt ſubſiſtens ſubſiſtentia cõpleta, & propterea nõ informat. Ad ſecundam partem antecedẽtis dico, animam rationalem eſſe independentem à corpore in ſui productione, quatenus per creationem producitur independenter à ſubiecto; cum hoc tamen bene ſtat, quod exigat vnionem cum illo ad totum conſtituendũ. Quantitas vero Euchariſtica per creationem, quâ ibi conſeruatur non amittit exigentiam vnionis cum ſubiecto adhuc ſuppoſitâ ipſâ creatione, quia hæc non opponitur cum vnione; ſed cũ eductione. Ibi tamen non vnitur cum ſubiecto, quia nullum adeſt, cui vniatur.

SECTIO III.

An in aliquibus viuentibus dentur plures animæ realiter diſtinctæ?

20 Certum eſt primò, in ſingulis hominibus eſſe ſingulas animas rationales realiter diſtinctas. Id eſt Fidei cõforme, quia alioquin vno homine peccante non poſſet alius non peccare; & alia plura ſequerẽtur abſurda contra Fidẽ. Idem adſtruit bona philoſophia, quæ ſemper multiplicauit formas pro diuerſitate ſubiectorum, & diſpoſitionum, cum quibus coniunguntur. Neque vna & eadem forma poſſet tot, ac tam oppoſitas operationes ſimul elicere in omnibus hominibus, cum virtutem habeat valde limitatam, vt vnuſquiſque in ſe ipſo experitur.

21 Certum eſt ſecũdo, in nullo homine eſſe plures animas rationales realiter diſtinctas. Id quod definitum eſt in Concil. 8. Conſtant. can. 11. & apud philoſophos eſt certum, qui nunquam agnouerunt in eodem ſubiecto duas formas ſubſtantiales numero diuerſas. Eſt ergo difficultas: an in bruto ſint duæ animæ realiter diſtinctæ, quarum vna ſit vegetatiua, & alia ſentitiua; &, in homine præter has duas detur alia rationalis? Nonnulli exiſtimarunt, partem affirmantem eſſe veram rati , operationes adeò diuerſas, quales ſunt vegetatio, ſenſatio, & ratiocinatio, non poſſe ab eodem principio prouenire. Hos refert P. Tolet. lib. 2. de Anim. cap. 3. quæſt. 7.

22 Dicendum tamen eſt, vnam tantum animam eſſe in homine, quæ ſimul eſt vegetatiua, ſentitiua, & rationalis. Hæc ſententia eſt iam certa apud ſcholaſticos, & fidei valde conſenta-

nea, vt docet P. Tolet. ſupra, vbi pro ea adducit Auguſtin. S. Thom. & plures alios. Probatur 1. quia in homine non dantur plures animæ rationales, quarum vna eliciat intellectionem, alia volitioně; alia aſſenſum, alia diſſenſum; alia amorem, alia odium: ergo neq; debent dari plures animæ, quarum alia eliciat vegetationem; alia ſenſationem; & alia intellectionem. Patet conſequentia; quia aſſenſus, & diſſenſus; amor, & odium ſunt operationes interſe maximè diſtantes; & nihilominus poſſunt ab eadem anima prouenire: cur ergo non poterunt ſenſatio, intellectio, & vegetatio idem principiũ ſortiri? Et ratio à priori eſt: quia res ſimpliciſsima ob ſui excellẽtiã poteſt continere effectus plurium rerum diuerſarum: ſic Sol continet lucem, & calorem alioſque effectus, quos res imperfectiores ſeorſim producunt: ergo anima rationalis ob ſuam perfectionem poterit præter intellectionem continere nutritionem, & ſenſationem, quæ in bruto, & planta à diuerſis animabus proueniunt.

23 Secundo probatur ſententia: quia forma ſenſitiua bruti, & anima rationalis ſunt formaliter vegetatiuæ: ergo non ſunt addendæ illis aliæ diſtinctæ ad eliciendam vegetationem, ſeu nutritionem. Antecedens probatur: quia, dum homo, & brutum augentur per nutritionem, non ſolum augentur ſecundum partes vegetatiuas; ſed etiam ſecundum rationales, & ſenſitiuas: atqui tale augmentum non poteſt prouenire ab anima, quæ ſolum ſit vegetatiua: ergo prouenire debet à ſenſitiua, & rationali: Minor probatur: quia anima ſolum vegetatiua eſt imperfectior homine, & bruto: ergo non poteſt attingere productionem partis hominis, & partis bruti.

24 Dices, animam vegetatiuam producere partem hominis, & partem bruti non attingendo productioně formarum, quæ ſunt illa perfectiores; ſed introducendo diſpoſitiones in materia alimẽti, & poſtea concurrendo ad vnionem ſubſtantialem illarũ formarum cum materia iam diſpoſita. Neq; id mirum videatur, quia forma ſeminis diſponit materiam ad prolem generandam, & deinde forma prolis à Deo producta ad exigentiam diſpoſitionum vnitur cum materia, cõcurrente formâ ſeminis immediate ad productionẽ vnionis, vt diximus in lib. de Gen. diſp. 7. quia, cũ forma ſeminis ſit perfectior vnione prolis, non eſt, cur illã non poſsit producere, cum ad eius productionem ordinetur ex natura ſua. Quid ergo mirum dicatur idem de anima vegetatiua reſpectu partis ſenſitiuæ, & rationalis denuo acquirendæ per nutritionem?

25 Sed contrà: anima ſenſitiua bruti, & rationalis habent virtutem ad introducẽdas diſpoſitiones in parte alimenti, & ad vnio-

vnionem ſui cũ parte iam diſpoſita producendam: deinde ſunt applicatæ alimẽto; cur ergo non eliciẽt has operationes? Antecedens probatur quoad priorẽ partem: quia quæuis ex illis habet virtutẽ ad prolem ſibi ſimilẽ generandam, diſponendo prius materiã ad formã ipſius prolis: ergo multo melius habebunt virtutem ad acquirendã nouam partẽ ſibi ſimilem: vt quid ergo addetur alia forma vegetatiua ad id munus obeundum? Exemplum de ſemine nihil fauet aduerſarijs: quia ſemen eſt datũ generanti, vt materiã fœtus, cui pater non poteſt eſſe præſens, præparet ad generationem ſubſtituendo uices patris abſentis: at vero anima ſenſitiua bruti, & rationalis hominis ſẽper ſunt præſentes partibus acquirẽdis per nutritionem: ergo nõ eſt, cur addamus illis aliam formam, cui⁹ muneris ſit præſtare id, quod ipſæ perſe ipſas præſtare poſſunt.

26 Obijcies Ariſtotel. qui 2. de Gen. anim. cap. 3. dixit hominem prius viuere vitâ plantę, poſteà vero vitâ animalis; & deinde vitâ hominis: ergo ſenſit habere tres animas ſucceſsiue introductas. Nego cõſequentiam: quia ibi ſolùm voluit Ariſtot. animam rationalem exercere prius in materia operationes vegetandi, deinde ſenſitiẽdi, & poſtea ratiocinãdi, quia videlicet, quãdo anima rationalis primo introducitur in materia habet diſpoſitiones ſufficientes ad exercendã vegetationem; ſecus ad ſenſationem, & ratiocinationem, quouſque ſucceſſu temporis, ita ſuo ordine perficiantur tales diſpoſitiones, vt deſeruire poſsint animo rationali ad eas operationes obeundas. Hanc explicationem colligo ex ipſis verbis Ariſt. non enim dixit introduci prius in materia hominis animam vegetatiuam, deinde ſenſitiuam, &c. ſed hominem prius viuere vitã plantæ, deinde bruti, &c. ergo ſenſit eã vitã prouenire ab homine: atqui non datur homo ante introductionem animæ rationalis: ergo, &c. Dixit autẽ Ariſt. hominem prius viuere vitã plantæ non quia putaret habere vegetationem, quæ eſt propria plantę; quis enim hoc exiſtimaret? ſed quia tũc temporis, quando primo introducitur in materia, ſolũ habet id genus operationis, quod inueniri ſolet in plantis; ſub differentia tamen inferioris ordinis.

Qua ratione anima rationalis contineat ſenſitiuam, & vegetatiuam?

27 Rogas primo: an anima rationalis contineat formaliter, vel eminenter ſenſitiuam, & vegetatiuam? Pro reſponſione aduerto, poſſe eſſe ſermonem de anima vegetatiuã, & ſenſitiua ſecundum ſe ſumptis, prout ſunt principiũ nutritionis, & ſenſationis; vel de anima vegetatiua plantæ, & ſenſitiua bruti determinate.

28 Dico ergo primò: ſi ſumātur primo modo, anima rationalis continet illas formaliter. Probatur: quia id, quod eſt de eſſentia alicuius rei cōtinetur formaliter in illa: ſed ratio formalis vegetatiui, & ſenſitiui vt ſic eſt de eſſentia animæ rationalis, ergo continetur formaliter in illa. Minor probatur: quia eſſe, eſſent aliter vegetatiuum, & ſenſitiuū eſt eſſe principium radicale vegetationis, & ſenſationis: atqui anima rationalis ex ſe eſt principium radicale vegetationis, & ſenſationis; quia in genere cauſæ efficientis non datur in homine vlla alia radix harum operationum: ergo, &c. Confirmatur: quia homo eſt formaliter vegetatiuus, & ſenſitiuus: at qui hoc prouenit illi ab anima rationali; ea enim eſt, qua primo vegetatur, & ſentit homo: ergo ea eſt forma.iter vegetatiua, & ſenſitiua, ſaltem *vt quo*. Hic aduerte, animam rationalem non ex eo eſſe formaliter vegetatiuam, quia per nutritionem ſibi acquirat nouam partem; eſt enim indiuiſibilis; ſed quia eſt principium, quo homo per nutritionem acquirit ſibi nouam partem hominis.

29 Dico ſecundo: ſi vegetatiuū, & ſenſitiuum ſumantur pro vegetatiuo plantæ, & ſenſitiuo bruti, neque eminenter; neque formaliter continentur in anima rationali. Quod non contineantur formaliter eſt certū. Quod vero neque eminenter probatur: quia illud dicitur cōtinere aliud eminenter, quod, cum ſit ſuperioris ordinis, vel poteſt illud efficere, vel ſaltem operationes proprias illius. Sic lux dicitur continere eminenter calorem, quia illum poteſt efficere, & eius operationes elicere: ſed anima rationalis neq; poteſt efficere animam vegetatiuam plantæ, aut ſenſitiuam bruti, vt conſtat neque proprias operationes elicere earum, quia homo neque poteſt per nutritionem acquirere partem plantæ, neque efficere propriam ſenſationem bruti, eam videlicet, quæ ex ſe deſeruire nequit ad ratiocinationem: ergo anima rationalis non cōtinet eminenter vegetatiuam, & ſenſitiuam prædicto modo ſumptas. Quod ſi aliquādo S. Thom. dixit, animam rationalem continere eminenter vegetatiuam, & ſenſitiuam, ita intelligendus eſt, vt ſolum velit vegetationem & ſenſationem vt ſic, quas planta, & brutum eliciunt contractas per differētias imperfectas, produci ab homine contractas per differētias perfectiores. Hæc tamen non adeo proprie dicitur continentia eminentialis. Quod diximus de anima rationali reſpectu vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, dictum puta de anima ſenſitiua bruti reſpectu vegetatiuæ.

Anima

Anima non producitur prius tempore informatione.

30 Rogas ſecundò : an anima producatur, antequā corpus informet? De anima materiali non eſt dubium, quin tunc producatur, quando vnitur corpori: quia, cum producatur dependenter à materia tanquam a ſubiecto recipiente, non poteſt produci, niſi hæc ſit vltimo diſpoſita ad illam recipiendam: diſpoſitio vero, quæ vltima eſt ad receptionem, eſt etiā vltima ad vnionem, vt fatentur omnes, & ideo in eodem tempore, in quo producitur anima corporea, debet vniri corpori.

31 Idem dicendum eſt de anima rationali; quia oppoſitum eſt error in Fide dānatus à Leone 1. Epiſt. 31. contra errores Priſcillian. & in Concil. Conſtantinop. 5. act. 11. in Epiſt. Sofronij. Vide P. Arriga hìc diſput. 1. ſect. 10. vbi fundamentū, (quod quidem valde leue eſt) huius erroris manifeſte ſoluit. Et quidē ratione naturali cōſtat noſtrum aſſertum; quia Deus vt author naturæ nihil operatur, niſi iuxta exigentiam, & naturam rerum naturalium: ſed nihil eſt in rebus naturalibus, quod poſsit exigere productionem animæ rationalis, antequam corpus informet: ergo nunquam ex natura rei producetur prius tempore, quam informet. Minor probatur: quia, ſi aliqua daretur exigentia, vel ſe haberet ex parte materiæ, vel ex parte ipſius animæ; neque enim aliud eſt in natura, quod talem productionē exigere poſsit: ſed non datur ex parte materiæ, quia materia nunquam exigit productionem formæ, niſi quādo eſt vltimo diſpoſita ad ipſam formam; datâ vero vltima diſpoſitione, datur informatio formæ: ergo non datur in materia exigentia productionis animæ ante eius informationem. Deinde non datur talis exigentia ex parte animæ; quia ipſa ex natura ſua eſt forma corporis ex ſe ordinata ad hominem cum illo conſtituendum: ergo, ſi iuxta naturam & exigentiam propriam producatur, debet produci vnita corpori, cuius vnione perficitur, & cōpletur in ſuo eſſe ſubſtantiali, & conſtituit totum, quod eſt finis naturalis eius.

32 Dices anima, diſſolutâ vnione, conſeruatur ex natura rei: ergo potuit ex natura rei produci ante vnionem. Nego conſequentiam. Diſcrimen eſt apertum; quia anima ſemel producta exigit ſuam cōſeruationem, dummodo conſeruans non deficiat, vel non detur quidquam aliud exigens eius deſtructionē: atqui nihil datur exigens deſtructionē animæ ſeparatæ à corpore, vel aſsigna: neque deficit conſeruans, tum quia, cum anima producatur independenter à materia tanquam à ſubiecto recipiente, à ſolo Deo, qui nunquam de-

B 3 ficit

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ficit, conſeruatur; tum etiã quia, cum ipſa ſeparata à corpore poſſit operari per ſpecies (ſaltẽ quas in corpore à ſenſibus accepit, & tunc tẽporis conſeruantur, vt dicemus diſp. vltim.) nõ ceſſat finis conſeruationis illius. At vero in prima productione nihil eſt, quod exigat eius productionem ante vnionem cum corpore, & ideo non producitur ex natura rei ante talem vnionem.

33 Adde, animã ſemel a corpore ſeiunctam, non poſſe iterũ coniungi corpori ex natura rei: quia vel in corpore (vt ſemper cõtingit) habuit aliquid dignũ gloriã æternâ, aut æternâ pænâ; vel non. Si primum? certum eſt non poſſe naturaliter revniri; quia, cũ æternam gloriam conſequatur ſummũ gaudium, & pœnam æternã ſummus dolor, ac ſumma triſtitia, cũ quibus cõponi nequit ex natura rei vnio naturalis animæ cum corpore (vt conſtat experientiâ, qua nouimus, ſæpe homines pre nimio gaudio, aut pre nimia triſtitia expiraſſe) non poterit anima ſemel ſeparata à corpore illi revniri ex natura rei. Si ſecundũ? implicabit revnio ſaltẽ ex eo, quod nulli agenti naturali eſt debitus concurſus ad reuniendã animam, quæ ſemel vnionem amiſit, quia cum ſint aliæ poſsibiles, quę nunquã corpori vnitæ fuere, fortius eſt ius harum, vt ſemel vniantur, quã illius, vt vnionẽ ſemel amiſſam recipiat: ergo iam datur ratio a l hoc vt agẽs naturale productarũ vnionẽ animæ cum corpore, determinetur potius ad veniendam animam, quæ nunquam vnita fuit, quam illam, quæ ſemel vnita vnionem amiſit. Vide, quæ diximus in Phyſ. diſput. 14. num. 65. Ex his refutatus manet error Pythagoreorũ aſſerentium animas rationales in varia corpora emigrare. Vide P. Hurtad. diſp. 1. ſect. 7.

SECTIO IIII.

An Animus rationalis vt rationalis informet corpus, vel ſolum vt vegetatiuus, & ſenſitiuus?

34 EX dictis conſtat, animam rationalem vere, & realiter eſſe formã corporis, ac vnã, & eandẽ entitatem cum vegetatiua, & ſenſitiua hominis, eaſque eſſentialiter involuere. Conſtat 2. animam rationalem informare corpus vt vegetatiuam, & ſenſitiuam. Eſt tamen difficultas modò: an corpus informet formaliter vt rationalis, vel ſolum id præſtet, vt vegetatiua eſt forliter, & ſenſitiua? Poteſtque in duplici ſenſu exagitari hoc dubium. Primo an anima rationalis ex parte ſui realiter vniatur corpori ſecundum gradum vegetandi, & ſentiendi; non vero ſecundum gradum ratiocinandi. Secundo an ſaltem id contingat noſtro modo concipiendi? Et quidem, ſi loquamur in 1. ſenſu negatiua pars eſt mordicus tenenda: quia, cum ea omnia prædicata ex parte animæ ſint realiter idem, non poteſt vnum

realiter

realiter vniri corpori ex parte animæ, quin etiã reliqua vniãtur.

35 In ſecundo ſenſu eſt maior difficultas. Circa quam Caiet. 1. part. q. 76. art. 1. §. *In reſponſione ad primum* docet, animam rationalem non vniri corpori formaliter vt rationalem, & intellectiuam. Fundamentũ huius ſententiæ eſt: quia operationes animæ intellectiuæ vt talis, quales ſunt intellectiones, non exercentur in corpore; ſed in ſola anima: ergo non cõmunicãtur corpori: ergo neq; potentia earum. Probatur hæc vltima cõſequentia: quia eiuſdem eſt actus, cuius eſt potentia: ergo, ſi actus intelligendi non communicatur corpori, neque comunicabitur potentia intellectiua.

36 Pro enodatione prædictæ difficultatis noto 1. dari in homine aliquas operationes corporeas, quæ per ſe ab anima vt intellectiua, & volitiua depẽdent. Hæ ſunt riſus, fletus, locutio; & deinde operationes potẽtiæ locomotricis executioni mandantur media directione intellectus, & imperio voluntatis. De riſu, fletu, & locutione eſt certũ apud omnes: quia hæ operationes ſunt propriẹ hominis, vt homo eſt, vt ignorat nullus: ſed homo vt homo, eſt intellectiuus, & volitiuus: ergo oriũtur ab homine vt intellectiuo, & volitiuo, ac per conſequẽs ab anima vt intellectiua, & volitiua. Quod ad operationes potẽtiẹ locomotiuẹ attinet, etiam eſt certum: quia frequenter fiunt in homine depẽdentur à directione intellectus, & imperio voluntatis: ergo intellectio dirigens, & volitio imperans concurrunt per ſe ad eorũ productionẽ, quando hæ de facto fiunt dependenter ab illis: ergo anima vt intellectiua, & volitiua concurrit per ſe ad has operationes. Patet hæc cõſequentia: quia anima vt intellectiua, & volitiua cõcurrit per ſe ad eos effectus, ad quos per ſe cõcurrunt intellectio; & volitio (id nullus negat) ſed ad operationes potẽtiæ locomotiuæ concurrunt per ſe intellectio dirigens, & volitio imperans: ergo ad eaſdem concurrit anima vt intellectiua, & volitiua.

37 Noto 2. animã non poſſe cõcurrere media intellectione, & volitione, modo explicato, ad prædictas operationes, niſi ſit vnita corpori. Id cõſtat: quia intellectio, & volitio in me exiſtẽs non ſufficit ad excitandũ riſum in Petro; cuius nulla alia ratio aſsignari poteſt, niſi quia anima non poteſt excitare, dirigere, & imperare tales motus, niſi in corpore, cui eſt vnita, alioqui non eſſet, cur non poſſet per intellectionẽ, & volitionẽ eos dirigere, & imperare in corpore, cui non eſt vnita. Noto 3. animam in ſolo capite elicere volitionẽ, & intellectionem, mediis quibus concurrit ad prædictos motus corporeos. Id conſtat experientiã, qua nouimus, defatigari caput, non vero alia membra, dum animus dat operã actibus intellectionis, & volitionis: ergo exercentur in capite ta-

Digitized by Google

les actus: alioqui cur defatigaretur potius caput, quã reliqua mẽbra. Et ratio à priori eſt: quia animus pro hoc ſtatu non elicit intellectiones, niſi per ſpecies acceptas à phantaſmatibus, vt dicemus infra: ſpecies autẽ accipit à phãtaſmatibus in capite, vbi phãtaſia reſidet, & ideo ibidẽ exercentur intellectiones. His poſitis.

38 Dico 1. anima rationalis informat corpus non ſolũ vt vegetatiua, & ſenſitiua; ſed etiã formaliter vt rationalis, & intellectiua. Ita P. Hurt. hìc diſput. 1. ſect. 5. num. 30. & PP. Connimb. lib. 2. de Anim. cap. 1. quæſt. 6. art. 2. concl. 2. Et eſt expreſſa S. Thom. 1. p. q. 76. art. 1. eamq; ſequuntur nonnulli recent. Probatur: quia anima rationalis vt intellectiua, & volitiua dirigit, & imperat mot⁹ aliquos corporeos media intellectione, & volitione: ſed hos motus non dirigit, & imperat, niſi vt vnita corporis ergo vt intellectiua, & volitiua vnitur corpori, ac per conſequens illud informat vt talis, quia non aliter informat corpus niſi per vnionẽ. Maior eſt nota. Minor cõſtat ex præmiſſis. Et quidẽ ſi vnio cum corpore eſt cõditio prærequiſita, vt media intellectione, & volitione cõcurrat anima ad eos motus corporeos dirigendos, & imperãdos, neceſſariũ erit, quod vniatur vt intellectiua, & volitiua, quia ea cõditio, quæ per ſe cõducit ad exercitiũ aliquod propriũ intellectionis, & volitionis debet pertinere ad animã vt intellectiuã, vt ex ſe cõſtat: ergo, cũ vnio per ſe cõducat ad illos mot⁹ corporeos dirigendos, & imperãdos, quod eſt propriũ exercitũ intellectionis, & volitionis, per ſe pertinebit ad animã vt intellectiuã, ac per conſequens hæc vt talis vnietur corpori. Secundo probatur cõcluſio: quia homo in quantum homo eſt cõpoſitum ſpecie diſtinctũ a reliquis animalibus: ergo in quantũ homo aliquã partẽ debet includere, ratione cuius ſpecie diſtinguatur a reliquis: nõ aliã, niſi animam rationalẽ vt talẽ: ergo hæc vt rationalis eſt vera forma illius.

39 Dico 2. Animus rationalis vt talis informat corpus non ſolũ in capite, vbi eliciuntur intellectiones, & volitiones dirigentes, & imperantes motus illos corporeos; ſed etiam in reliquis partibus corporis, in quibus eliciuntur ſenſationes ſolum, & vegetationes. Ita authores citati pro 1. concluſione. Probatur: quia idẽ animus, qui vnitur reliquis partibus corporis, vnitur capiti; deinde vnitur ſingulis per vnionẽ eiuſdẽ rationis, vt dicemus diſp. ſeq. ſed capiti vnitur formaliter vt intellectiuus, vt cõſtat ex dictis pro 1. concluſione: ergo & reliquis partibus vnitur vt intellectiuus. Patet conſequẽtia: quia idem animus non poteſt vni parti vniri formaliter vt intellectiuus, & reliquis ſub diuerſã formalitate, niſi ratione vnionis diuerſæ rationis; ſed vnio eſt

eiuſdem

eiuſdem rationis in omnibus partibus, vt dictum eſt: ergo ſub eadẽ ratione vnietur omnibus.

40 Dices non elicit intellectiones, in omnibus: ergo nõ vnitur omnibus vt intellectiuus. Nego conſequentiam: quia ad eliciendas intellectiones præter vnionẽ gradus intellectiui requiruntur certæ diſpoſitiones, ex quarũ defectu prouenit, quod nõ eliciantur ipſæ intellectiones in omnibus partibus: in ſingulis tamẽ habet anim⁹ vnionẽ ex ſe ſufficiẽtẽ, vt intellectio in ſingulis eliceretur, ſi in ſingulis eſſent diſpoſitiones requiſitæ. Quod vero defectus diſpoſitionũ ſufficiat ad non eliciendã intellectionẽ, etiam ſi animus vnitus ſit vt intellectiuus, cõſtat experiẽtiã, qua nouimus, deficiẽtibus in cerebro (cui animus eſt vnitus vt intellectiuus) diſpoſitionibus requiſitis ad intellectionem, ceſſare etiam intellectionem in ipſo cerebro.

41 Ex dictis facile ſoluitur ratio ad ducta pro ſententia Caietani: licet enim anima non eliciat intellectionẽ in ſingulis partibus corporis; nihilominus taliter eſt vnita illis, vt ſi nõ deficerent diſpoſitiones, intellectionẽ eliceret in ſingulis, quod ſufficit vt dicatur vnita illis formaliter vt intellectiua. Vnde bene poteſt potẽtia cõmunicari ſubiecto, cui nõ cõmunicatur actus talis potẽtiæ, quãdo id prouenit ex defectu diſpoſitionis, quæ, cũ nõ requiratur ad potentiam, requiritur tamen ad actum.

42 Tertiò probatur concluſio aliâ viâ: quia anima rationalis ita eſt vnita ſingulis partibus materiæ, vt in illis acquirat nouas partes, non cuiuſcunque viuẽtis; ſed hominis ſolius: at acquiſitio taliũ partiũ pertinet ad illã vt rationalẽ: ergo vnitur ſingulis partibus vt rationalis formaliter.

SECTIO V.
Quæ partes viuentis habeant animam?

43 ILlæ partes dicuntur animã habere, quæ vitalẽ aliquam operationẽ eliciunt, quia, vt cõſtat ex diſp. 1. ſect. 1. anima eſt, quæ in corpore efficiẽter efficit operationes vitales tanquã primũ principiũ illarũ. Certũ ergo eſt 1. omnes illas partes, quæ in plãtis vireſcunt, & augentur, habere animã, quia augmẽtatio earũ eſt actio per ſe immanẽs, vt deducitur ex dictis in lib. de Gen. diſp. 8 & præterea habet alia requiſita ad vitalitatem, vt conſtabit ex dicendis diſp. 5.

44 Certũ eſt 2. in animalibus carnẽ, neruos, & oſſa cõſtare animã, quia ex partes augentur per nutritionẽ propriã viuentiũ; imo & caro, ac nerui ſenſationem eliciunt, vt cõſtat experiẽtiã. Oſſibus negarũt aliqui ſenſationem. Ego vero exiſtimo, ea non ſolum vegetari; ſed etiam ſentire, quia non raro vehementi angũtur dolore, cuius ſenſatio tribui nõ poteſt ſoli carni propinquæ, cum in ipſis etiam oſſibus dolorem experia-

Digitized by Google

Minorem probo: quia ſenſationes ſunt operationes vitales : ergo & immanentes, quia in omnium ſententia immanentia eſt de ratione vitalitatis : ſed, ſi anima non eſſet vnita materię, non poſſent eſſe immanentes, quia neque reciperentur in agente, neq; in ſubiecto conſtituente vnum compoſitum cum illo: ergo, vt animus immanenter eliciat has operationes, neceſſariũ eſt, quod ſit corpori vnitus. Hæc ratio vrget eos, qui dicunt ſenſationem recipi in ſola materia.

17 Secundò probatur concluſio: quia animus rationalis aut eſt phyſice incompletus, aut completus. Si primum? ergo petit ſubſtãtialiter cõpleri per vnionem phyſicam cum corpore. Si ſecundum? ergo homo neque eſt phyſice vnus, neque reuera viuens: ſicut nauis cum nauarcho neque conſtituit vnum, neque viuens. Tertiò: quia anima rationalis talẽ habet connexionem cum organo corporeo, vt in hoc ſtatu nullã poſſit operationẽ elicere independenter ab illo, quod quidem non inuenitur in nauarcho reſpectu nauis, cuius eſt actus aſsiſtens: ergo aliquã habet maiorẽ connexionẽ anima rationalis cum corpore, quã nauarchus cum naui; at hæc maior connexio nõ poteſt dari aliter, niſi ratione informationis: ergo anima rationalis eſt actus informans. Et ſane ſi ſolum eſſet aſsiſtens, neſcio, cur tantam connexionem haberet cum diſpoſitionibus corporeis, vt eis deficientibus aduolaret? Sed poſt illas corruptas poſſet corpori præſens permanere, quãdiu vellet; imo & perſeuerãtibus diſpoſitionibus, inde pro libito diſcedere, ſicut nauarchus diſcedit è naui.

18 Obijcies 1. animus rationalis eſt ſpiritualis, & indiuiſibilis: ergo nõ poteſt informare materiã corporeã, & diuiſibilẽ. Conſequẽtia probatur: quia actus, & potentia debent eſſe eiuſdẽ rationis, iuxta illud cõmune proloquiũ, *vnumquodq; recipitur ad modũ recipientis*: ergo, &c. Nego primã conſequentiã. Ad probationẽ nego antecedens; alioquì non poſſet accidens informare ſubſtantiã, cum nõ ſit eiuſdẽ rationis cum illa. Neq; proloquiũ illud intelligendum eſt eo modo, quo adducitur in obiectione; alioquì non poſſet ſupernaturalis forma recipi in ſubiecto naturalis ordinis; quod quidẽ neceſſario concedendũ eſt in actibus ſupernaturalibus Fidei, & Charitatis, qui recipiuntur in potentijs naturalis ordinis. Proloquiũ ergo illud ſolũ ſignificare debet, nullam rem poſſe recipi in ſubiecto nõ habente potentiã ad illã recipiendã. Materia autẽ corporea habet veram potẽtiã, vt illi vniatur animus ſpiritualis, & indiuiſibilis taliter, vt totus ſit in tota materia, & totus in qualibet parte materiæ, & ideo poteſt vniri cum illa. Dices: vnio animæ rationalis cum materia non poſſet eſſe corporea, quia attingeret animũ ſpiritualẽ; neque ſpiritualis, quia attingeret materiam corpoream: ergo nulla. Reſpondeo, fore materialẽ, & corpoream iuxta dicenda diſp. 4.

19 Ob-

Digitized by Google

19 Obijcies 2. anima rationalis eſt actus ſubſiſtens, & independens à corpore: ergo non poteſt eſſe actus informans. Conſequentia probatur tum ex Angelo, qui, cum ſit actus ſubſiſtens, non informat aliquod ſubiectum, tum etiam ex quantitate Eucharistica, quæ producta per creationem independenter à ſubiecto nullum informat ſubiectum. Diſtinguo antecedens quoad priorem partem: eſt ſubſiſtens ſubſiſtentia completâ, nego: incôpletâ, concedo antecedens; & nego conſequentiam. Angelus vero eſt ſubſiſtens ſubſiſtentia côpleta, & proptereà nô informat. Ad ſecundam partem antecedêtis dico, animam rationalem eſſe independentem à corpore in ſui productione, quatenus per creationem producitur independenter à ſubiecto; cum hoc tamen bene ſtat, quod exigat vnionem cum illo ad totum conſtituendû. Quantitas vero Eucharistica per creationem, quâ ibi conſeruatur non amittit exigentiam vnionis cum ſubiecto adhuc ſuppoſitâ ipſâ creatione, quia hæc non opponitur cum vnione; ſed cû eductione. Ibi tamen non vnitur cum ſubiecto, quia nullum adeſt, cui vniatur.

SECTIO III.

An in aliquibus viuentibus dentur plures animæ realiter diſtinctæ?

20 CErtum eſt primò, in ſingulis hominibus eſſe ſingulas animas rationales realiter diſtinctas. Id eſt Fidei côforme, quia alioquin vno homine peccante non poſſet alius non peccare, & alia plura ſequerêtur abſurda contra Fidê. Idem adſtruit bona philoſophia, quæ ſemper multiplicauit formas pro diuerſitate ſubiectorum, & diſpoſitionum, cum quibus coniunguntur. Neque vna & eadem forma poſſet tot, ac tam oppoſitas operationes ſimul elicere in omnibus hominibus, cum virtutem habeat valde limitatam, vt vnuſquiſque in ſe ipſo experitur.

21 Certum eſt ſecûdo, in nullo homine eſſe plures animas rationales realiter diſtinctas. Id quod definitum eſt in Concil. 8. Conſtant. can. 11. & apud philoſophos eſt certum, qui nunquam agnouerunt in eodem ſubiecto duas formas ſubſtantiales numero diuerſas. Eſt ergo difficultas: an in bruto ſint duæ animæ realiter diſtinctæ, quarum vna ſit vegetatiua, & alia ſentitiua; &, in homine præter has duas detur alia rationalis? Nonnulli exiſtimarunt, partem affirmantem eſſe veram rati, operationes adeò diuerſas, quales ſunt vegetatio, ſenſatio, & ratiocinatio, non poſſe ab eodem principio prouenire. Hos refert P. Tolet. lib. 2. de Anim. cap. 3. quæſt. 7.

22 Dicendum tamen eſt, vnam tantum animam eſſe in homine, quæ ſimul eſt vegetatiua, ſentitiua, & rationalis. Hæc ſententia eſt jam certa apud ſcholaſticos, & fidei valde conſenta-

nea, vt docet P. Tolet. ſupra, vbi pro ea adducit Auguſtin. S. Thom. & plures alios. Probatur 1. quia in homine non dantur plures animæ rationales, quarum vna eliciat intellectionem, alia volitionē; alia aſſenſum, alia diſſenſum; alia amorem, alia odium: ergo neq; debent dari plures animæ, quarum alia eliciat vegetationem; alia ſenſationem; & alia intellectionem. Patet conſequentia; quia aſſenſus, & diſſenſus; amor, & odium ſunt operationes interſe maximè diſtantes; & nihilominus poſſunt ab eadem anima prouenire: cur ergo non poterunt ſenſatio, intellectio, & vegetatio idem principiũ ſortiri? Et ratio à priori eſt: quia res ſimpliciſsima ob ſui excellẽtiã poteſt continere effectus plurium rerum diuerſarum: ſic Sol continet lucem, & calorem alioſque effectus, quos res imperfectiores ſeorſim producunt: ergo anima rationalis ob ſuam perfectionem poterit præter intellectionem continere nutritionem, & ſenſationem, quæ in bruto, & planta à diuerſis animabus proueniunt.

23 Secundo probatur ſententia: quia forma ſenſitiua bruti, & anima rationalis ſunt formaliter vegetatiuæ: ergo non ſunt addendæ illis aliæ diſtinctæ ad eliciendam vegetationem, ſeu nutritionem. Antecedens probatur: quia, dum homo, & brutum augentur per nutritionem, non ſolum augentur ſecundum partes vegetatiuas; ſed etiam ſecundum rationales, & ſenſitiuas: atqui tale augmentum non poteſt prouenire ab anima, quæ ſolum ſit vegetatiua: ergo prouenire debet à ſenſitiua, & rationali. Minor probatur: quia anima ſolum vegetatiua eſt imperfectior homine, & bruto: ergo non poteſt attingere productionem partis hominis, & partis bruti.

24 Dices, animam vegetatiuam producere partem hominis, & partem bruti non attingendo productionē formarum, quæ ſunt illa perfectiores; ſed introducendo diſpoſitiones in materia alimẽti, & poſtea concurrendo ad vnionem ſubſtantialem illarũ formarum cum materia iam diſpoſita. Neq; id mirum videatur, quia forma ſeminis diſponit materiam ad prolem generandam, & deinde forma prolis à Deo producta ad exigentiam diſpoſitionum vnitur cum materia, cõcurrente formâ ſeminis immediate ad productionē vnionis, vt diximus. in lib. de Gen. diſp. 7. quia, cũ forma ſeminis ſit perfectior vnione prolis, non eſt, cur illã non poſsit producere, cum ad eius productionem ordinetur ex natura ſua. Quid ergo mirum dicatur idem de anima vegetatiua reſpectu partis ſenſitiuæ, & rationalis denuo acquirendæ per nutritionem?

25 Sed contrà: anima ſenſitiua bruti, & rationalis habent virtutem ad introducẽdas diſpoſitiones in parte alimenti, & ad vnio-

vnionem ſui cũ parte iam diſpoſita producendam: deinde ſunt applicatæ alimẽto; cur ergo non eliciẽt has operationes? Antecedens probatur quoad priorẽ partem: quia quæuis ex illis habet virtutẽ ad prolem ſibi ſimilẽ generandam, diſponendo prius materiã ad formã ipſius prolis: ergo multo melius habebunt virtutem ad acquirendã nouam partẽ ſibi ſimilem: vt quid ergo addetur alia forma vegetatiua ad id munus obeundum? Exemplum de ſemine nihil fauet aduerſarijs: quia ſemen eſt datũ generanti, vt materiã fœtus, cui pater non poteſt eſſe præſens, præparet ad generationem ſubſtituendo uices patris abſentis: at vero anima ſenſitiua bruti, & rationalis hominis ſẽper ſunt præſentes partibus acquirẽdis per nutritionem: ergo nõ eſt, cur addamus illis aliam formam, cui muneris ſit præſtare id, quod ipſæ per ſe ipſas præſtare poſſunt.

26 Obijcies Ariſtotel. qui 2. de Gen. anim. cap. 3. dixit hominem prius viuere vitã plantę; poſtea vero vitã animalis; & deinde vitã hominis: ergo ſenſit habere tres animas ſucceſsiue introductas. Nego cõſequentiam: quia ibi ſolùm voluit Ariſtot. animam rationalem exercere prius in materia operationes vegetandi, deinde ſenſitiẽdi, & poſtea ratiocinãdi, quia videlicet, quãdo anima rationalis primo introducitur in materia habet diſpoſitiones ſufficientes ad exercendã vegetationem; ſecus ad ſenſationem, & ratiocinationem, quouſque ſucceſſu temporis, ita ſuo ordine perficiantur tales diſpoſitiones, vt deſeruire poſsint animo rationali ad eas operationes obeundas. Hanc explicationem colligo ex ipſis verbis Ariſt. non enim dixit introduci prius in materia hominis animam vegetatiuam, deinde ſenſitiuam, &c. ſed hominem prius viuere vitã plantæ, deinde bruti, &c. ergo ſenſit eã vitã prouenire ab homine: atqui non datur homo ante introductionem animæ rationalis: ergo, &c. Dixit autẽ Ariſt. hominem prius viuere vitã plantæ non quia putaret habere vegetationem, quæ eſt propria plantę; quis enim hoc exiſtimaret? ſed quia tũc temporis, quando primo introducitur in materia, ſolũ habet id genus operationis, quod inueniri ſolet in plantis; ſub differentia tamen inferioris ordinis.

Qua ratione anima rationalis contineat ſenſitiuam, & vegetatiuam?

27 Rogas primo: an anima rationalis contineat formaliter, vel eminenter ſenſitiuam, & vegetatiuam? Pro reſponſione aduerto, poſſe eſſe ſermonem de anima vegetatiuã, & ſenſitiua ſecundum ſe ſumptis, prout ſunt principiũ nutritionis, & ſenſationis; vel de anima vegetatiua plantæ, & ſenſitiuã bruti determinate.

28 Dico ergo primò: ſi ſumatur primo modo, anima rationalis continet illas formaliter. Probatur: quia id, quod eſt de eſſentia alicuius rei cõtinetur formaliter in illa: ſed ratio formalis vegetatiui, & ſenſitiui vt ſic eſt de eſſentia animæ rationalis, ergo continetur formaliter in illa. Minor probatur; quia eſſe, eſſent aliter vegetatiuum, & ſenſitiuũ eſt eſſe principium radicale vegetationis, & ſenſationis: atqui anima rationalis ex ſe eſt principium radicale vegetationis, & ſenſationis; quia in genere cauſæ efficientis non datur in homine vlla alia radix harum operationum: ergo, &c. Confirmatur: quia homo eſt formaliter vegetatiuus, & ſenſitiuus: at qui hoc prouenit illi ab anima rationali; ea enim eſt, qua primo vegetatur, & ſentit homo: ergo ea eſt forma.iter vegetatiua, & ſenſitiua, ſaltem *vt quo*. Hic aduerte, animam rationalem non ex eo eſſe formaliter vegetatiuam, quia per nutritionem ſibi acquirat nouam partem; eſt enim indiuiſibilis; ſed quia eſt principium, quo homo per nutritionem acquirit ſibi nouam partem hominis.

29 Dico ſecundo: ſi vegetatiuũ, & ſenſitiuum ſumantur pro vegetatiuo plantæ, & ſenſitiuo bruti, neque eminenter; neque formaliter continentur in anima rationali. Quod non contineantur formaliter eſt certũ. Quod vero neque eminenter probatur: quia illud dicitur cõtinere aliud eminenter, quod, cum ſit ſuperioris ordinis, vel poteſt illud efficere, vel ſaltem operationes proprias illius. Sic lux dicitur continere eminenter calorem, quia illum poteſt efficere, & eius operationes elicere: ſed anima rationalis neq; poteſt efficere animam vegetatiuam plantæ, aut ſenſitiuam bruti, vt conſtat neque proprias operationes elicere earum, quia homo neque poteſt per nutritionem acquirere partem plantæ, neque efficere propriam ſenſationem bruti, eam videlicet, quæ ex ſe deſeruire nequit ad ratiocinationem: ergo anima rationalis non cõtinet eminenter vegetatiuam, & ſenſitiuam prædicto modo ſumptas. Quod ſi aliquãdo S. Thom. dixit, animam rationalem continere eminenter vegetatiuam, & ſenſitiuam, ita intelligendus eſt, vt ſolum velit vegetationem & ſenſationem vt ſic, quas planta, & brutum eliciunt contractas per differẽtias imperfectas, produci ab homine contractas per differẽtias perfectiores. Hæc tamen non adeo propriè dicitur continentia eminentialis. Quod diximus de anima rationali reſpectu vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, dictum puta de anima ſenſitiua bruti reſpectu vegetatiuæ.

Anima

Anima non producitur prius tempore informatione.

30 Rogas ſecundò: an anima producatur, antequã corpus informet? De anima materiali non eſt dubium, quin tunc producatur, quando vnitur corpori: quia, cum producatur dependenter à materia tanquam a ſubiecto recipiente, non poteſt produci, niſi hæc ſit vltimo diſpoſita ad illam recipiendam: diſpoſitio vero, quæ vltima eſt ad receptionem, eſt etiã vltima ad vnionem, vt fatentur omnes, & ideo in eodem tempore, in quo producitur anima corporea, debet vniri corpori.

31 Idem dicendum eſt de anima rationali; quia oppoſitum eſt error in Fide dãnatus à Leone 1. Epiſt. 31. contra errores Priſcillian. & in Concil. Conſtantinop. 5. act. 11. in Epiſt. Sofronij. Vide P. Arriga hìc diſput. 1. ſect. 10. vbi fundamentũ, (quod quidem valde leue eſt) huius erroris manifeſte ſoluit. Et quidẽ ratione naturali cõſtat noſtrum aſſertum; quia Deus vt author naturæ nihil operatur, niſi iuxta exigentiam, & naturam rerum naturalium: ſed nihil eſt in rebus naturalibus, quod poſsit exigere productionem animæ rationalis, antequam corpus informet: ergo nunquam ex natura rei producetur prius tempore, quam informet. Minor probatur: quia, ſi aliqua daretur exigentia, vel ſe haberet ex parte materiæ, vel ex parte ipſius animæ; neque enim aliud eſt in natura, quod talem productionẽ exigere poſsit: ſed non datur ex parte materiæ, quia materia nunquam exigit productionem formæ, niſi quãdo eſt vltimo diſpoſita ad ipſam formam; datã vero vltima diſpoſitione, datur informatio formæ: ergo non datur in materia exigentia productionis animæ ante eius informationem. Deinde non datur talis exigentia ex parte animæ; quia ipſa ex natura ſua eſt forma corporis ex ſe ordinata ad hominem cum illo conſtituendum: ergo, ſi iuxta naturam & exigentiam propriam producatur, debet produci vnita corpori, cuius vnione perficitur, & cõpletur in ſuo eſſe ſubſtantiali, & conſtituit totum, quod eſt finis naturalis eius.

32 Dices anima, diſſolutã vnione, conſeruatur ex natura rei: ergo potuit ex natura rei produci ante vnionem. Nego conſequentiam. Diſcrimen eſt apertum: quia anima ſemel producta exigit ſuam cõſeruationem, dummodo conſeruans non deficiat, vel non detur quidquam aliud exigens eius deſtructionẽ: atqui nihil datur exigens deſtructionẽ animæ ſeparatæ à corpore, vel aſsigna: neque deficit conſeruans, tum quia, cum anima producatur independenter à materia tanquam à ſubiecto recipiente, à ſolo Deo, qui nunquam deficit

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ficit, conſeruatur; tum etiã quia, cum ipſa ſeparata à corpore poſſit operari per ſpecies (ſaltē quas in corpore à ſenſibus accepit, & tunc tēporis conſeruantur, vt dicemus diſp. vltim.) nō ceſſat finis conſeruationis illius. At vero in prima productione nihil eſt, quod exigat eius productionem ante vnionem cum corpore, & ideo non producitur ex natura rei ante talem vnionem.

33 Adde, animã ſemel a corpore ſeiunctam, non poſſe iterũ coniungi corpori ex natura rei: quia vel in corpore (vt ſemper cōtingit) habuit aliquid dignũ gloriã æternâ, aut æternâ pænâ; vel non. Si primum? certum eſt non poſſe naturaliter revniri; quia, cũ æternam gloriam conſequatur ſummũ gaudium, & pœnam æternã ſummus dolor, ac ſumma triſtitia, cũ quibus cōponi nequit ex natura rei vnio naturalis animæ cum corpore (vt conſtat experientiâ, qua nouimus, ſæpe homines præ nimio gaudio, aut præ nimia triſtitia expiraſſe) non poterit anima ſemel ſeparata à corpore illi revniri ex natura rei. Si ſecundũ? implicabit revnio ſaltē ex eo, quod nulli agenti naturali eſt debitus concurſus ad reuniendã animam, quæ ſemel vnionem amiſit, quia cum ſint aliæ poſsibiles, quæ nunquã corpori vnitæ fuere, fortius eſt ius harum, vt ſemel vniantur, quã illius, vt vnionē ſemel amiſſam recipiat: ergo iam datur ratio a 1 hoc vt agēs naturale productarũ vnionē animæ cum corpore, determinetur potius ad veniendam animam, quæ nunquam vnita fuit, quam illam, quæ ſemel vnita vnionem amiſit. Vide, quæ diximus in Phyſ. diſput. 14. num. 65. Ex his refutatus manet error Pythagoreorũ aſſerentium animas rationales in varia corpora emigrare. Vide P. Hurtad. diſp. 1. ſect. 7.

SECTIO IIII.

An Animus rationalis vt rationalis informet corpus, vel ſolum vt vegetatiuus, & ſenſitiuus?

34 Ex dictis conſtat, animam rationalem vere, & realiter eſſe formã corporis, ac vnã, & eandē entitatem cum vegetatiua, & ſenſitiua hominis, eaſque eſſentialiter involuere. Conſtat 2. animam rationalem informare corpus vt vegetatiuam, & ſenſitiuam. Eſt tamen difficultas modò: an corpus informet formaliter vt rationalis, vel ſolum id præſtet, vt vegetatiua eſt forliter, & ſenſitiua? Poteſtque in duplici ſenſu exagitari hoc dubium. Primo an anima rationalis ex parte ſui realiter vniatur corpori ſecundum gradum vegetandi, & ſentiendi; non vero ſecundum gradum ratiocinandi. Secundo an ſaltem id contingat noſtro modo concipiendi? Et quidem, ſi loquamur in 1. ſenſu negatiua pars eſt mordicus tenenda: quia, cum ea omnia prædicata ex parte animæ ſint realiter idem, non poteſt vnum

realiter

realiter vniri corpori ex parte animæ, quin etiã reliqua vniãtur.

35 In ſecundo ſenſu eſt maior difficultas. Circa quam Caiet. 1. part. q. 76. art. 1. §. *In reſponſione ad primum* docet, animam rationalem non vniri corpori formaliter vt rationalem, & intellectiuam. Fundamentũ huius ſententiæ eſt: quia operationes animæ intellectiuæ vt talis, quales ſunt intellectiones, non exercentur in corpore; ſed in ſola anima: ergo non cõmunicãtur corpori: ergo neq; potentia earum. Probatur hæc vltima cõſequentia: quia eiuſdem eſt actus, cuius eſt potentia: ergo, ſi actus intelligendi non communicatur corpori, neque comunicabitur potentia intellectiua.

36 Pro enodatione prædictæ difficultatis noto 1. dari in homine aliquas operationes corporeas, quæ perſe ab anima vt intellectiua, & volitiua depẽdent. Hæ ſunt riſus, fletus, locutio; & deinde operationes potẽtiæ locomotricis executioni mandantur media directione intellectus, & imperio voluntatis. De riſu, fletu, & locutione eſt certũ apud omnes: quia hæ operationes ſunt propriȩ hominis, vt homo eſt, vt ignorat nullus: ſed homo vt homo, eſt intellectiuus, & volitiuꝰ: ergo oriũtur ab homine vt intellectiuo, & volitiuo, ac per conſequẽs ab anima vt intellectiua, & volitiua. Quod ad operationes potẽtiȩ locõmotiuȩ attinet, etiam eſt certum: quia frequenter fiunt in homine depẽdenter à directione intellectus, & imperio voluntatis: ergo intellectio dirigens, & volitio imperans concurrunt perſe ad earũ productionẽ, quando hæ de facto fiunt dependenter ab illis: ergo anima vt intellectiua, & volitiua concurrit perſe ad has operationes. Patet hæc cõſequentia: quia anima vt intellectiua, & volitiua cõcurrit perſe ad eos effectus, ad quos perſe cõcurrunt intellectio; & volitio (id nullus negat) ſed ad operationes potẽtiæ locomotiuæ concurrunt perſe intellectio dirigens, & volitio imperans: ergo ad eaſdem concurrit anima vt intellectiua, & volitiua.

37 Noto 2. animã non poſſe cõcurrere media intellectione, & volitione, modo explicato, ad prædictas operationes, niſi ſit vnita corpori. Id cõſtat: quia intellectio, & volitio in me exiſtẽs non ſufficit ad excitandũ riſum in Petro; cuius nulla alia ratio aſsignari poteſt, niſi quia anima non poteſt excitare, dirigere, & imperare tales motus, niſi in corpore, cui eſt vnita, alioqui non eſſet, cur non poſſet per intellectionẽ, & volitionẽ eos dirigere, & imperare in corpore, cui non eſt vnita. Noto 3. animam in ſolo capite elicere volitionẽ, & intellectionem, medijs quibus concurrit ad prædictos motus corporeos. Id conſtat experientiã, qua nouimus, defatigari caput, non vero alia membra, dum animus dat operã actibus intellectionis, & volitionis: ergo exercentur in capite ta-

les actus: alioqui cur defatigaretur potius caput, quã reliqua mẽbra. Et ratio à priori eſt: quia animus pro hoc ſtatu non elicit intellectiones, niſi per ſpecies acceptas à phantaſmatibus, vt dicemus infra: ſpecies autẽ accipit à phãtaſmatibus in capite, vbi phãtaſia reſidet, & ideo ibidẽ exercentur intellectiones. His poſitis.

38 Dico 1. anima rationalis informat corpus non ſolũ vt vegetatiua, & ſenſitiua; ſed etiã formaliter vt rationalis, & intellectiua. Ita P. Hurt. hìc diſput. 1. ſect. 5. num. 30. & PP. Connim. lib. 2. de Anim. cap. 1. quæſt. 6. art. 2. concl. 2. Et eſt expreſſa S. Thom. 1. p. q. 76. art. 1. eamq; ſequuntur nonnulli recent. Probatur: quia anima rationalis vt intellectiua, & volitiua dirigit, & imperat mot⁹ aliquos corporeos media intellectione, & volitione: ſed hos motus non dirigit, & imperat, niſi vt vnita corpori: ergo vt intellectiua, & volitiua vnitur corpori, ac per conſequens illud informat vt talis, quia non aliter informat corpus niſi per vnionẽ. Maior eſt nota. Minor cõſtat ex prænotatis. Et quidẽ ſi vnio cum corpore eſt cõditio prerequiſita, vt media intellectione, & volitione cõcurrat anima ad eos motus corporeos dirigendos, & imperãdos, neceſſariũ erit, quod vniatur vt intellectiua, & volitiua, quia ea cõditio, quæ per ſe cõducit ad exercitiũ aliquod propriũ intellectionis, & volitionis debet pertinere ad animã vt intellectiuã, vt ex ſe cõſtat: ergo, cũ vnio per ſe cõducat ad illos mot⁹ corporeos dirigendos, & imperãdos, quod eſt propriũ exercitũ intellectionis, & volitionis, per ſe pertinebit ad animã vt intellectiuã, ac per conſequens hæc vt talis vnietur corpori. Secundo probatur cõcluſio: quia homo in quantum homo eſt cõpoſitum ſpecie diſtinctũ a reliquis animalibus: ergo in quantũ homo aliquã partẽ debet includere, ratione cuius ſpecie diſtinguatur a reliquis: nõ aliã, niſi animam rationalẽ vt talẽ: ergo hæc vt rationalis eſt vera forma illius.

39 Dico 2. Animus rationalis vt talis informat corpus non ſolũ in capite, vbi eliciuntur intellectiones, & volitiones dirigentes, & imperantes motus illos corporeos; ſed etiam in reliquis partibus corporis, in quibus eliciuntur ſenſationes ſolum, & vegetationes. Ita authores citati pro 1. concluſione. Probatur: quia idẽ animus, qui vnitur reliquis partibus corporis, vnitur capiti; deinde vnitur ſingulis per vnionẽ eiuſdẽ rationis, vt dicemus diſp. ſeq. ſed capiti vnitur formaliter vt intellectiuus, vt cõſtat ex dictis pro 1. concluſione: ergo & reliquis partibus vnitur vt intellectiuus. Patet conſequẽtia: quia idem animus non poteſt vni parti vniri formaliter vt intellectiuus, & reliquis ſub diuerſã formalitate, niſi ratione vnionis diuerſæ rationis; ſed vnio eſt

eiuſdem

eiuſdem rationis in omnibus partibus, vt dictum eſt: ergo ſub eadē ratione vnietur omnibus.

40 Dices non elicit intellectiones, in omnibus: ergo nō vnitur omnibus vt intellectiuus. Nego conſequentiam: quia ad eliciendas intellectiones præter vnionē gradus intellectiui requiruntur certæ diſpoſitiones, ex quarū defectu prouenit, quod nō eliciantur ipſæ intellectiones in omnibus partibus: in ſingulis tamē habet anim⁹ vnionē ex ſe ſufficientē, vt intellectio in ſingulis eliceretur, ſi in ſingulis eſſent diſpoſitiones requiſitæ. Quod vero defectus diſpoſitionū ſufficiat ad non eliciendā intellectionē, etiam ſi animus vnitus ſit vt intellectiuus, cōſtat experiētiâ, qua nouimus, deficiētibus in cerebro (cui animus eſt vnitus vt intellectiuus) diſpoſitionibus requiſitis ad intellectionem, ceſſare etiam intellectionem in ipſo cerebro.

41 Ex dictis facile ſoluitur ratio ad ducta pro ſententia Caietani: licet enim anima non eliciat intellectionē in ſingulis partibus corporis; nihilominus taliter eſt vnita illis, vt ſi nō deficerent diſpoſitiones, intellectionē eliceret in ſingulis, quod ſufficit vt dicatur vnita illis formaliter vt intellectiua. Vnde bene poteſt potētia cōmunicari ſubiecto, cui nō cōmunicatur actus talis potētiæ, quādo id prouenit ex defectu diſpoſitionis, quæ, cū nō requiratur ad potentiam, requiritur tamen ad actum.

42 Tertiò probatur concluſio aliâ viâ: quia anima rationalis ita eſt vnita ſingulis partibus materiæ, vt in illis acquirat nouas partes, non cuiuſcunque viuētis; ſed hominis ſolius: at acquiſitio taliū partiū pertinet ad illā vt rationalē: ergo vnitur ſingulis partibus vt rationalis formaliter.

SECTIO V.

Quæ partes viuentis habeant animam?

43 ILlæ partes dicuntur animā habere, quæ vitalē aliquam operationē eliciunt, quia, vt cōſtat ex diſp. 1. ſect. 1. anima eſt, quæ in corpore efficiēter efficit operationes vitales tanquā primū principiū illarū. Certū ergo eſt 1. omnes illas partes, quæ in plātis vireſcunt, & augentur, habere animā, quia augmētatio earū eſt actio per ſe immanēs; vt deducitur ex dictis in lib. de Gen. diſp. 8 & præterea habet alia requiſita ad vitalitatem, vt conſtabit ex dicendis diſp. 5.

44 Certū eſt 2. in animalibus carnē, neruos, & oſſa cōſtare animā, quia ex partes augentur per nutritionē propriā viuentiū; imo & caro, ac nerui ſenſationem eliciunt, vt cōſtat experiētiā. Oſſibus negarūt aliqui ſenſationem. Ego vero exiſtimo, ea non ſolum vegetari; ſed etiam ſentire, quia non raro vehementi angūtur dolore, cuius ſenſatio tribui nō poteſt ſoli carni propinquæ, cum in ipſis etiam oſſibus dolorem experia-

periamur. Quod vero ſicca ſint, & dura, ſolū probat, nō eſſe adeò apta ad ſēſationē, ac carnē; nō vero probat, nullā ſenſationē elicere.

45 Certum eſt tertiò, dentes etiam informari animâ: tum quia more viuentium augentur per intus ſumptionem; tum etiam quia ſi leuiter tāgantur, impulſum diſcernunt, & qualitates tangentium præſentiunt. Neque obſtat, quod ſponte aliquando decidant: quia id cōtingit, poſtquā de ſtructis filulis, quib⁹ carni proximæ cōtinuabantur, vitā amiſere.

Quid de ſanguine, & reliquis humoribus?

46 Eſt vero difficultas: an ſanguis, & humores reliqui intra venas animalis contenti informentur animâ ipſius animalis? Circa quam P. Hurt. hîc diſp. 1. ſect. 8. num. 4. vbi citat Caiet. 3. p. q. 5. art. 2. & P. Arriag. hîc diſp. 1. ſect. 9. ſubſ. 2. cum alijs docent, ſanguinem eſſe animatum eadem anima, qua animatur animal, in quo continetur (Idem ſentiunt de reliquis humoribus) fundamenta quibus nituntur hi authores, ſoluentur infra.

47 Contraria ſentia eſt nobis amplectenda vt vera: eam tenent P. Suar. tom. 1. in. 3. part. diſp. 15. ſect. 6. P. Vazq. ibidem diſp. 39. num. 2. PP. Conn. 1. de Gener. cap. 4. q. 24. art. 2. Vbi plures pro ſe adducunt, & eſt expreſſa ſententia S. Thomæ. 1. part. quæſt. 119. art. 1. in corpore, & ad tertium. Bene noui, Caietanum diſtinguere duplicem ſanguinem, vnum non perfectè decoctum, alium vero perfectè coctum, & defæcatum: illum, quem putat eſſe nutrimentum animalis ſanguinei, dicit non informari animâ, & de illo ait locu tum fuiſſe S. Thom. ſecus de ſanguine defæcato, quem putat Caiet. animâ conſtare. Cæterum huius diſtinctionis duplicis ſanguinis nec veſtigium eſt apud S. Thomā aut Ariſt. aut probatum aliquē medicū, & ideo reijcienda eſt vt ficta ſine fundamento.

48 Probatur ergo noſtra ſententia 1. ex Ariſtot. lib. 2. de Part. anim. capit. 10. poſt medium, vbi ait: *neque ipſe ſanguis ſenſu præditus eſt, quippe qui nulla pars ſit animalium.* Quod intelligendum eſt ſaltem de parte taliter animal integrante, vt illius formam participet. Secundò ibidem cap. 3. paulo ante finem ait: *Non enim ſanguis continuus carni, neque cognatus eſt; ſed in corde, ac venis, quaſi in vaſis continetur*: ergo ſentit aperte non informari animâ animalis, in quo continetur. Patet conſequentia: quia vna & eadem anima non poteſt informare materias diſcontinuas, vt concedunt omnes, iam enim informaret ſimul duplicem materiam numero diſtinctam: ſed Ariſtot. ait, ſanguinem non eſſe carni continuum: ergo ſentit non poſſe informari eâdem animâ, qua caro.

49 Tertiò ibidem paulo ante verba proxime citata docuit, ſanguinem eſſe vltimum alimentum

tum

tum animalibus ſanguineis: præterea 1. de Gener. text. 38. & 39. ait, alimentum, ſeu nutrimẽtum ante augmentationem eſſe alterum à viuente, quod nutritur; adueniente vero augmentatione, ſeu nutritione tranſmutari per ſui corruptionem ad eandem formam viuentis: ergo ſentit Ariſtot. ſanguinem, quem vocat animalis alimentum, non informari eâdem animâ cum ipſo animali. Patet conſequentia; quia id, quod per ſui corruptionem tranſit ad formam, denuo accipit illam: ergo cum ex ſententia Ariſtot. ſanguis per ſui corruptionem tranſeat ad formam animalis; denuo debet illam accipere: atqui id, quod denuo accipit aliquam formam, non habebat illā antea: ergo ſanguis ante nutritionem non habebat formam animalis, quod per illum nutritur.

50 Deinde probatur ratione eadem ſententia, & ſit prima deſumpta ex doctrina Ariſtot. proxime adductâ: quia, dum viuens per nutritionem in ſe conuertit alimentum, acquirit ſibi maiorem ſubſtantiam viuentem, ſeu nouam partem ſubſtantiæ viuentis, vt diximus in libris de Gener. diſp. 8. ſect. 2. & eſt communis philoſophorum ſententia: ergo alimentum, quod conuertitur in viuens, non præcedebat cum forma viuentis ipſius. Patet conſequentia: quia alioqui nullam partem viuentem denuo acquireret; ſed ſolum aliter diſponeret eam, quæ antea erat pars viuentis illius. Pergo: ſed alimentum, quod in animal conuertitur per nutritionem, eſt ſanguis, vt docet Ariſt. ergo ſanguis ante nutritionem non habebat animam ipſius animalis. Hoc argumentum vim habet non ſolum in homine, in quo eadem indiuiſibilis anima informat omnes partes corporis; ſed etiam in reliquis animalibus, in quorum ſingulis partibus ſingulæ partes animæ repeniuntur: quia, ſi ſanguis partem aliquā animæ ſibi vendicaret, dū viuens illum in carnē conuertit per nutritionē, non adquireret nouam partem viuentē; ſed vnā viuentem transferret in aliam.

51 Secundô probatur cõcluſio; quia non poteſt dici animā habere id, quod nullā elicit operationē vitalem; neque enim aliunde diſcernimus animata ab inanimatis; ſed ſanguis nullā elicit vitalē operationē: ergo dici non poteſt habere animā. Minor probatur: quia neq; ſentit vt cõcedis: neq; nutritur, ſeu augetur more viuẽtiū; hæc enim nutriūtur per intus ſumptionē attrahendo alimẽtū per venas, & poros ad ſingulas partes, vt ſingulę in ſe ipſas illud cõuertãt: ſãguis vero neq; habet venas, neq; poros, per quos poſſit alimẽtū ad ſingulas partes attrahere; imo neq; ipſe ſe auget per propriā actionem; ſed id præſtat hepar, cuius muneris eſt chilum ex ſtomacho attractum conuertere in ſanguinem, qui inde diſtri-

butus per venas corporis continuatur cum reliquo ſanguine intra illas contento, eo modo quo partes aquæ localiter applicatæ continuantur per iuxta poſitionem: ergo nulla operatio vitalis inuenitur in ſanguine: vnde ergo colligetur habere animam?

52 Reſpondent P. Hurt. & P. Arriag. ſanguinem poſſe informari animâ, etiamſi nullam operationem vitalem eliciat: quia ſicut ex eo, quod oſſa non eliciant ſenſationem, neque caro intellectionem, inferri nequit non informari animâ ſenſitiuâ in bruto; &, anima rationali in homine; ita etiam ex eo quôd ſanguis non eliciat vegetationem, non licet inferri, non informari animâ. Et ratio eſt: quia anima non debet elicere in ſingulis partibus omnes operationes, quas in ſe continet.

53 Sed contrà: in primis hæc doctrina ſuſtineri nequit in ſententia adſtruente partes animæ diuiſibilis eſſe heterogeneas (quã tenet Pater Hurt.) quia ſicut in hac ſententia pars animæ reſpondens oſſi eſt tantum vegetatiua, quia vegetationem ſolum poteſt elicere, ita etiam dicendum eſſet, partem formæ reſpondentem ſanguini non fore viuentem, cum nullam operationem vitalem poſſet elicere: ergo neque eſſe anima, quia anima debet eſſe viuens. Secundò, quia de eſſentia ſubſtantiæ viuentis eſt eſſe elicitiuam operationum vitalium: ergo ea ſubſtantia, quæ nullam poteſt elicere operationem vitalem, non eſt viuens: ſed ſanguis per ſe nullam poteſt elicere vitalem operationem: ergo non eſt ſubſtantia viuens, ac per-conſequens neque informatur animâ.

54 Dicunt, eſſe partem animalis, & hoc ſufficere, vt informetur animâ, licet nullam operationem vitalem eliciat. Sed contrâ: ſemen eſt pars animalis, & nihilominus, vt aduerſarij concedunt, non informatur animâ: ergo non ſufficit ea ratio in ſanguine, vt dicatur animam habere. Quod ſemen ſit pars animalis, eſt certum apud omnes: Ideo enim dicunt generationem viuentium eſſe á principio coniuncto, quia membra prolis compinguntur in materia ſeminis, quod antea erat pars vtilis parentis: ergo, &c.

Soluuntur obiectiones.

55 OBijciunt 1. ſanguis eſt vera humani corporis pars: ergo informatur anima rationali. Conſequentia videtur bona, quia vna & eadem forma debet informare totum, & eius partes integrales, præſertim in homine, cuius forma eſt indiuiſibilis. Antecedens verô probatur 1. ex Innocetio 3. in quadã extrauag. de Celebrat. miſſ. & ex Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. ex quibus aperte colligitur ſanguinem vere eſſe partem hominis.

S e-

Secundò, quia illa eſt pars integralis hominis, ſine qua homo eſſet mutilus, & mancus; ſed talis eſt ſanguis, neque enim ſine illo conſeruari poſſet homo: ergo eſt vera pars illius. Hoc argumentum nullam vim habet, quia dato, quod ſanguis ſit vera pars hominis, nõ infertur debere informari anima. Omnes enim concedunt, ſemen eſſe veram partẽ hominis generantis vt vidimus ſupra, & nihilominus non informatur anima ipſius generantis, vt concedunt ipſi aduerſarij: ergo debile ſumunt argumentum ad ſuam ſententiam probandam.

56 Pro reſponſione ergo nõta: triplex genus partiũ integralium inueniri in viuentibus, quædam enim dantur ad quas immediatè pertinet exercitium operationum vitalium, quæ ſunt propriæ viuentis, & hæ dicuntur eſſe de primaria integritate ipſius viuentis, quia interſe vnitæ integrant vnum primum principium omnium operationum vitalium pertinentium ad ipſum viuens: aliæ dantur, quæ licèt immediatè non concurrant ad exercitium operationum vitalium; intra viuens tamen ex propria ſui ipſarũ natura cõtentæ maximè neceſſariæ ſunt ad exercitiũ vitaliũ operationum; tum vt primarias partes continua ſui aplicatione foueant; tum etiam vt eas defendant ab aduerſarijs extrinſecùs irruentibus. Tales ſunt quatuor, humores, & ſpiritus animales, ac vitales, qui ſua humiditate, & calore fouent partes primarias animalis, vt meliꝰ ſua munera obeãt.

57 Hæ dicũtur partes ſecũdariæ integritatis animalis, quia ita ſuponunt primarias, vt hæ ſine illarũ vicinia conſeruari nequeãt. Deinde nõ ſunt vnitæ primarijs, quia naturę earũ eſt maximè congruũ, quod nulli ex primarijs ſint affixæ per vnionem, vt hinc illuc diſcurrentes melius omnibus fauere poſsint. Hinc eſt, quod ſpiritus animales facile attrahuntur à ſenſibus, quando eorum ope indigent ad eliciendas ſenſationes: ſanguis etiam confugit ad cor timore aliquo percuſſum, vt illi ſuccurrat, & ſic de alijs. Aliæ deniq; dantur partes, quæ non ſunt adeò neceſſariæ in ipſo viuẽte; ſunt tamen illi vtiles vel ad ornatum, vt capilli; vel ad generationẽ prolis, & eius procreationẽ, vt ſemẽ & lac, quæ quidem ſunt etiã vtilia ipſis parentibus, vt proximum nutrimentum earum partium à quibus conficiuntur.

58 Hoc ergo ſupoſito facile ſoluitur obiectio adducta. Diſtinguo antecedens: ſanguis eſt vera pars ſecundaria corporis humani concedo: primaria, nego antecedens. Neque aliud volunt Cõcil. & Innoc. III. Denique nego conſequentiam; quia non debet informari anima quæuis pars hominis; ſed primariæ tantum, quæ interſe ſunt continuæ tanquam primum principium operationum vitalium. Alioqui lac etiam, & ſemen humanum deberent,

berent informari anima rationali, quia vere ſunt partes, illud matris, & hoc vtriuſq; parentis, ſine quorũ primò mater eſſet mutila tẽpore procreationis filij, & ſine ſecundò vterq; parens eſſet mancus, quando inſtat tempus generationis; & ideo impotentes cẽſentur non habere perfectam hominis integritatem: & idẽ eſt de capillis, & vnguibus, qui cũ ſint de integritate hominis; nihilominus in ſententia plurium nullâ animâ informantur.

59 Inſtat P. Arriaga: ſi ex eo ſanguis eſt pars ſecundaria hominis, quia eſt maxime neceſſarius ad eius conſeruationem: ergo accidentia pertinentia ad proprium hominis temperamentum dicentur etiam partes integrales ſecundariæ hominis, cũ maximè neceſſariæ ſint ad ipſius conſeruationẽ. Nego cõſequentiã, Primo, quia id, quod eſt de integritate ſubſtantię, debet eſſe ſubſtãtia, vt diximus in Logica ad prædicamentum ſubſtantiæ. Secundò, quia de ratione partium integralium eſt, quod vna non ſe habeat vt ſubiectum, ſeu vt forma alterius, vt fatentur omnes; accidẽtia vero propria hominis vere ſunt formę ipſius hominis, in quo recipiuntur, & ideo non poſſunt eſſe de integritate illius. Vrgebis: ergo ſaltem aer attractus per reſpirationem erit pars integralis ſecundaria hominis, cum ex vna parte maximè neceſſarius ſit ad eius conſeruationem, & ex alia ſit ſubſtantia, quæ non ſubiectatur in homine. Nego conſequentiam; quia ad rationem partis ſecundariæ animalis requiritur, quod ex ſua natura illi determinate adhæreat, & ex ſe determinate ordinetur ad eius integritatẽ, quod non inuenitur in aere.

60 Obijciunt 2. Leuitici 17. dicitur, animam, hoc eſt, vitam omnis carnis in ſanguine eſſe: & ideo S. Auguſt. quæſt. 17. in Leuitic. dixit: *Aliquid vitale eſt in ſanguine, quia per ipſum maxime in hac carne viuitur*: ergo ſanguis informatur animâ. Reſpondeo, verbis illis ſacræ paginæ ſolum ſignificari vitam animalis eſſe maxime dependentẽ à ſanguine, quia illo deficiente extinguitur animal: & nihil aliud voluit Auguſt. cum dixit aliquid vitale eſſe in ſanguine, vt colligitur ex verbis immediate ſubiunctis.

61 Obijciunt 3. Verbum Diuinum vere aſſumpſit ſanguinem Chriſti Domini: ergo ſanguis eſt animatus. Antecedens non poteſt iam negari ſine periculo erroris. Conſequentia probatur: quia Verbum non aſſumpſit naturam aliquam irrationalem: ergo non aſſumeret ſanguinem, niſi eſſet animatus. Nego primam conſequentiam: neque enim ad hoc, vt Verbum aſſumeret ſanguinem, erat neceſſarium, quod animatus eſſet; ſed ſolum, quod eſſet pars hominis integralis primaria, vel ſecundaria. Ad probationem diſtinguo antecedens: non aſſumpſit naturam irrationalem ex ſe nõ pertinentẽ ad integritatẽ hominis

minis, cōcedo antecedens: ex ſe pertinentē ad integritatē hominis, nego antecedens. Ex quo infertur, Verbum non aſſumpſiſſe aliā naturā completā præter humanitatem; ſed ſolū incōpletam, & propterea non poſſunt verificari in Chriſto Domino hæ propoſitiones: *Deus eſt ſanguis*, &, *ſanguis eſt Deus*: ſicut verificantur, *Deus eſt homo*, &, *homo eſt Deus*: quia hæc mutua verificatio, ſeu cōmunicatio ſolū datur, quando vniuntur in vna perſona naturæ non ordinatæ ex ſe ad cōpletionē alterius, vt ordinatur ſanguis; atq; adeo in triduo mortis Chriſti Domini, quando Verbum erat vnitū animæ ſeparatæ; non erat verum dicere, *Deus eſt anima*; nec, *anima eſt Deus*.

62 Obijciunt 4. Si ſanguis diuerſam ſortitur formā, ac reliquæ partes corporis, ſequitur, hominē eſſe vnū per accidēs: ergo. Cęterū idē argumentū poteſt fieri cōtra aduerſarios aſſerentes, capillos nō informari animâ; & nihilominus eſt certū, pertinere ad hominis integritatē. Reſpondeo ergo, hominē poſſe ſumi dupliciter. Primò pro cōpoſito reſultāte ex materia, & anima rationali, & hac ratione propriſſime eſt vnum per ſe. Secundò pro aggregato omniū entitatum pertinentiū ad eius integritatē, & hac ratione poteſt aliquo modo dici vnum per accidens; quia conſtat pluribus ſubſtāt ijs diſcontinuis, licèt interſe ſub ordinatis: abſolute tamen loquēdo eſt dicendus *vnum per ſe*, quia hæ ſubſtantiæ non pertinent ad eſſentiam hominis, quę abſolutè eſt *vnum per ſe*; ſed ad integritatem ſecundariam illius.

De lacte, & ſemine.

63 Ex dictis facile colligitur, quid dicendū ſit circa reliquas partes, quæ in viuētibus reperiuntur? Et 1. de lacte, & ſemine animaliū exiſtimo certū, nō informari animo, tū quia nullam habent operationē vitalē, cū non augeantur per intus ſumptionē; tum etiā quia non tā pertinent ad perfectā integritatē viuentis abſolute, & ſecundū ſe ſumpti, quàm in ordine ad generādā prolem, & alimentū illi porrigendū. De ſemine vero arborū aliter ſentiendū eſt, quia, dū eſt vnitū arbori, viuit, & animatur animo ipſius arboris. Ratio eſt; quia dū eſt arbori vnitū, augetur more viuentiū per intus ſumptionē, attrahendo videlicet alimentū per venicu las, & poros ad ſingulas ſui partes, & propterea augetur verſus omnem differentiam loci.

64 Dū vero tale ſemen eſt deciſum, diſtinguendū eſt; quia vel ſpōte decidit, poſtquā peruenit ad vltimā perfectionē; vel vi ſeiungitur ab arbore, antequam perfectionē vltimā cōſequatur. Si hoc vltimo modo contingat, exiſtimo cōſeruare animā per aliquod tēpus, ſicut eam conſeruant folia, quæ non ita connectuntur, cum tota arbore; vt ab illa diuiſa illico exuantur animo. Si vero diuiſio accidat primo modo, ſine dubio ſemen animum amiſit.

a niſi, tumquia nunquam ſponte diſcontinuantur partes, quæ participant eandem formam; tum etiam quia ſemen eo modo decidens nullam in poſterum vitalem operationem elicit: ergo non ſeruat animam. Quod ſi triticum, vt aiunt, augetur in horreis, id accidit, vel ratione humoris attracti, vel ratione alicuius corporis inflantis grana.

65 Obijcies: tam ſemen animalis, quam arboris ſeparatum producit prolem viuentem, & animatam: ergo vtrumque ſeparatum eſt viuens, & animatum. Patet conſequẽtia; quia res non viuens non poteſt attingere productionem viuentis. Reſpondeo neutrum producere prolem immediate, concurrendo videlicet ad introductionem formæ ſubſtãtialis illius; ſed ſolum diſponendo materiam, quâ diſpoſita Deus introducit formam ad exigentiã vltimæ diſpoſitionis: cum autem diſpoſitiones ad formam prolis ſint imperfectiores, quam forma ſeminis adhuc non viuentis, non eſt mirum, quod iſta poſsit concurrere ad illas.

De roſtris auium, plumis, capillis, vnguibus, &c.

66 Deinde certum eſt, cornua belluarum, roſtra auium, & plumas informari animo quia hæc omnia augẽtur more viuentium per intus ſumptionem, & ideo creſcunt verſus omnem differentiam loci. Quod clarius conſtat in cornibus, & plumis, intra quæ continetur medulla, cuius humor per quoſdam quaſi tubulos deductus ad ſingulas partes illis eſt in alimentum. Confirmatur; quia hæc omnia videntur eſſe eiuſdem naturæ cum oſsibus: ergo participabunt animam ſicut oſſa.

67 Circa vngues, & capillos eſt maior cõtrouerſia. Exiſtimo tamen non eſſe animo præditos, quia non augentur per intus ſumptionem, attracto videlicet alimento per venas, & poros ad ſingulas partes; ſed materiâ illis ad radicem paulatim congeſtâ, quod eſt augeri per iuxta poſitionem. Id mihi perſuaſum habeo; tum quia nullæ in eis reperiuntur venicuiæ, per quas poſsit alimẽtum deduci ad ſingulas partes; tum etiam, quia non augentur verſus omnem differentiam loci; ſed verſus vnam tantum protrahuntur. Quod quidem in hunc modum accidit in capillis: Dum internæ corporis partes nutriuntur, reſidua fiunt ex alimento aliqua excrementa, quæ inde pulſa impingunt in extimos porulos, ibique retenta excoquuntur, quouſque radici capillorum agglutinata eorum formam ſuſcipiunt. Deinde hæc impelluntur ab alijs rurſus prouenientibus è profundis partibus, & hæc ab alijs, &c. Sicque paulatim ab radice exeunt. Vnde quod antea in capillo radix erat po-

poſtea

Digitized by Google

ſtea propellitur ad medium, & tandem ad vlteriores partes perducitur. Fiunt autem capilli diuerſicoloris pro diuerſitate temperamenti talium excrementorum; quæ quidem tale poſſunt afferre temperamentum, vt non ſolum ea pars, quæ ex illis coagmẽtatur, prodeat diuerſicolor à partibus præcedentibus; ſed etiam taliter immutentur præexiſtentes, vt diuerſum admittant colorem, ac habebant antea. Et hoc eſt in cauſâ, cur homines nonnunquam ſubito incaneſcant.

68 Idem, quod diximus de capillis, accidit in incremento vnguium: partes etenim, ex quibus digiti compinguntur craſsius quã aliæ partes excrementum relinquunt, quod quidem ab expultrice facultate in externas digitorum partes effunditur, vbi maiorẽ ſiccitatem, ac duritiem comparat, & tranſit in vngues. Deinde hoc inde truditur ab alio denuo illuc adueniente, & hoc ab alio, &c. Cuius non leue indicium eſt, quòd, ſi punctum, aut lineam aliquã efformes iuxta radicem vnguium, paulatim prouehitur vſque ad extremos vngues, nullo admiſſo incremento: quod aliter contingeret, ſi vngues per intus ſumptionem verſus omnem partem augerentur; ergo dicendi ſunt augeri more non viuentium per iuxta poſitionem modo explicato. Creſcentibus verò digitis vngues euadũt maiores, quia dilatantur pori, in quibus excrementa ipſis vnguibus augendis agglutinantur.

SECTIO VI.

Vtrùm pereat anima diſſoluta vnione.

69 ABſque vlla ſemper controuerſia fuit, animas corporeas (quales ſunt reliquæ omnes præter rationalem) perire diſſolutâ vnione cum corpore. Ratio eſt: quia anima corporea producitur dependenter à materia tanquam à ſubiecto recipiente, vt conſtat ex dictis in Phyſ. diſp. 3. ſect. 3. ſed diſſolutâ vnione ceſſat actio, per quam anima producebatur dependenter à materia: ergo & ipſa anima ceſſabit. Conſequentia patet: quia ceſſante cõcurſu ſubiecti, ceſſat res ab illo dependens, vt fatentur omnes. Minor verò probatur: quia vnio animæ nõ diſſoluitur niſi per vnionem formæ cadaueris denuò productæ in eadem materia: ergo productio animæ deſtruetur per productionem ipſius formę cadaueris: quià ſicut vnio vnius opponitur cum vnione alterius, ita & productio iuxta dicta in Phyſ. diſp. 12. ſect. 2. Secundò probatur eadem minor: quia diſſoluta vnione ceſſat conditio ex parte animæ requiſita ad operandũ, vt conſtat ex dictis in Phyſ. tum diſp. 5. num. 29 tum etiam diſp. 8. n. 69. ergo ceſſat propria operatio formę, ac percõſequens ceſſat finis conſeruationis eius, quia vnumquodque eſt, & conſeruatur propter ſuam operationẽ iuxta ea, quæ diximus ibidẽ diſp. 2. num. 128. ergo diſſoluta vnione non poteſt anima corporea cõſeruari ex natura rei.

70 Circa animum rationalem plures fuerunt veterum philoſophorum, & hæreticorum errores. Alij enim dixerunt, animum rationalem perire ſimul cum corpore. Alij verò durare per aliquod tempus poſt corporis corruptionem; eo tamen tranſacto perire. Alij dicebant interire ſimul cum corpore; ſed in die iudicij à Deo reproducendũ eſſe. Alij demũ exiſtimabant nunquam deſtrui; ſed in æternum durare; non tamen ex natura ſua, ſed ex peculiari gratia Dei. Videantur P. Suar. lib. 1. de Ani. cap. 10. & PP. Connim. de Ani. ſeparata diſp. 1. art. 5.

71 In hac re Fide Cathol. certum eſt, animũ rationalem eſſe immortalem, ac perconſequens non perire diſſoluta vnione. Id conſtat ex Sacra Pag. pluribus in locis. Primo ex illo Sap. cap. 3. *Iuſtorũ animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.* Et cap. 5. *Iuſti autem in perpetuũ viuent, & apud Deum eſt merces eorum.* Et idem conſtat ex Matth. cap. 10. vbi Chriſtus ait: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Plura alia ſunt in Scriptura ſacra, quę hanc veritatẽ adſtruunt. Videantur P. Suar. & PP. Connim. ſuprà. Idem definitur in Concil. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 8. his verbis: *Damnamus ſacro approbante Cõcilio omnes aſſerentes, animam intellectiuam eſſe mortalem.* Subditurque, id conſtare ex Euangelio, quo animam ab hoſte occidi nõ poſſe perhibetur. Idem definitur in Concilio Vienneſi ſub Clemente V.

72 Secundò eſt certum de Fide, animum rationalem eſſe immortalẽ ex natura ſua. Id conſtat ex Cõcil. Lateran. ſupra adducto. Vbi ſubiungitur, animam non ſolum per ſe eſſentialiter eſſe formã corporis; ſed etiam immortalem: ergo aperte decernit Concilium immortalitatẽ animo cõuenire ex propria natura, & eſſentia. Dicitur autem immortalis ex natura ſua, non quia immortalitatem habeat à ſe ipſa indepenter ab aliquo principio producente; ſed quia ſemel producta non poteſt perimi vi agẽtium naturalium, neque ad eorum exigentiam.

73 Nonnulla teſtimonia ſacrę Paginæ obijciuntur contra hanc veritatem. Primo ex Eccleſiaſte cap. 3. vbi dicitur: *Vnus interitus eſt hominis, & iumẽtorũ, & æqua vtriuſque conditio; ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur; ſimiliter expirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius.* Deinde cap. 9. dicitur: *Mortui verò nihil nouere amplius, neque habent vltra mercedem.* Ex quibus verbis videtur deduci, non perſeuerare animã rationalem poſt mortẽ. Ad 1. reſpondeo, ibi comparari hominem, & iumenta quoad vitam corporis, & compoſiti, non verò quoad vitã animarum. Quod quidem aperte conſtat ex eodem Eccleſiaſte cap. 12. vbi ait: *Quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ:* ergo aperte ſentit, animã hominis non peri-

perire deſtructo homine, & ideo in prioribus verbis dicendus eſt loqui de morte corporis tantum. Ad 2. reſpondeo ibi, loqui de notitia, quæ habetur per ſenſus corporeos: quia, cum per mortem diſſoluatur compoſitum, nulla in poſterum notitia denuo acquiritur per ſenſus, qui pereunte cōpoſito diſſoluuntur. Id colligitur ex eodem cap. vbi paulo ante dicitur, iniuſtos poſt mortē ad inferos deducēdos: non autē deduci poſſent ad inferos, ſi animæ eorū non perſeuerarent. Deinde addit, mortuos non habere vltra mercedem, quia poſt mortem nullus eſt locus merendi.

74 Secundo obiicitur ex ſapiētiæ 2. *Ex nihilo facti ſumus & poſt hoc erimus, quaſi nō fuerimus*: Deinde ex Iob cap. 14. *Lignum habet ſpem; ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit, &c.* Et paulo infra: *Homo cum dormierit non reſurget, donec atteratur cœlum, non euigilabit, neque conſurget de ſomno ſuo.* Ad primum reſpondeo ibi loqui in perſona impiorum, vt conſtat ex initio capitis, vbi dicitur, *Dixerunt enim cogitantes apud ſe non recte*; & ideo ex hoc loco veritas Fidei potius confirmatur. Ad 2. ex Iob reſpondeo, ibi eſſe ſermonem non de vita ſolius animæ; ſed totius hominis: & de eius reſurrectione. Aſſignatur autem hoc diſcrimen inter ramum arboris, & hominem, quod ille præciſus ab arbore poteſt iterum ex natura rei excreſcere in arborem: homo verò ſemel mortuus non poteſt iterum naturæ viribus reproduci.

75 Denique obiicitur Epiſtola Sofronij, quæ tanquam ortodoxa eſt approbata à ſexta Synodo generali actione 11. vbi dicitur: *Intellectualia, atque indiuiſibilia* (quales ſunt Angeli, & animi rationales) *nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur; non tamen ſunt immortalia per naturam; ſed per gratiam*: ergo animus rationalis nō eſt immortalis ex natura ſua iuxta mentem Concilij. Reſpondeo, hic negari intellectualibus immortalitatem per naturā in eo ſolum ſenſu, quo Deo conuenire dicitur per naturā, hoc eſt, ſine dependentia à principio aliquo producente. Dicuntur autem immortalia per gratiam, quia licèt ſempiterna conſeruatio illis debita ſit ex natura rei, poteſt tamen denegari à Deo pro ſuo libito, cū libere illa producat, & ſemel producta libere etiam conſeruet. Vnde in præſenti non ſumitur gratia ſtricte, prout opponitur debito iure creationis; ſed late prout opponitur neceſsitati producēdi, & cōſeruādi ipſa intellectualia. His ſtabilita manet ex Fide rationalis animi immortalitas illi connaturalis, ac percōſequens perſeuerātia eius diſſolutā vnione.

Hæc veritas ratione naturali comprobatur.

76 Prima ratio deſumi ſolet ex Diuina prouidētia, atq; iuſtitia; quia Deus eſt ſupremus gubernator huius mūdialis Reipublicæ: ergo ad Deū ſpectat bonorū opera premio, & ſcelera malorū ſupplicio

afficere: at ſi animus rationalis nō perſeueraret diſſoluta vnione, bonorum opera manerent ſæpe ſine præmio, & malorum ſcelera ſine ſupplicio, cum non rarò videamus quam plures homines impenſe virtuti deditos toto tēpore vitæ fuiſſe paſſos ærumnas, ægeſtatem, & probra; imò & magno tormentorū pondere vitā pro Dei amore amiſiſſe; ſecus, alios ſceleratiſsimos præditos fuiſſe ſummis honoribus, diuitijs, & cōmodis, & in eis diem obijſſe: ergo animus rationalis perſeuerare debet diſſoluta vnione cū corpore, vt à ſummo gubernatore præmium conſequatur benegeſtorum, vel ſupplicium ſufferat peccatorum.

77 Neque poteſt dici, ipſam virtutem eſſe probis in præmium, & flagitium prauis in ſupplicium: quia præmium, & ſupplicium debent eſſe realiter diſtincta à merito, vt ignorat nullus. Neque ſufficiens virtutis præmium eſt lætitia illam conſequens; aut pœna flagitij, triſtitia illi annexa: tum quia ſæpe hæ affectiones non conſequūtur de facto virtutem, & vitium: tum etiam, quia vitium frequenter delectat magis, quam affligit; neq; gaudium virtutis adæquat ſemper difficultatem, & laborem conſequutio is illius: ergo, &c.

78 Hæc ratio probat quidem, animum rationalē perſeuerare diſſoluta vnione cum corpore; nō tamen probat, id illi cōuenire ex natura rei: nam ſicut de facto Deus bonis operibus impertit præmiū ſupernaturale gloriæ, & vitia punit igne torquēte ſupernaturaliter animas iuxta multorū opinionem; ita poſſet poſt diſſolutā vnionem animos ſupernaturaliter conſeruare, vt illos præmio, vel ſupplicio afficeret pro cuiuſq; meritis: ergo ex Dei prouidētia nō cōuincitur animum rationalē ex natura ſua perſeuerare diſſolutâ vnione.

79 Sic ergo rationem formo. Animus rationalis ex natura ſua eſt liber ad operandum ſecundum rectam rationem, vel contra illam, ita vt ſi ſecundum rectam rationem operetur, mereatur præmium; ſi verò contra illā, reus fiat ſupplicij: ergo ex natura ſua debet eſſe talis, qui perſeuerare poſsit ad fruendum prēmio benegeſtorū, & ſuſtinendū ſupplicium peccatorum. Eſt hoc certum: ſed ex natura ſua eſt talis, qui vſque ad inſtans mortis poſsit bene, & male operari, quia vſque ad illud inſtans, quatenus ex ſe eſt, poteſt operari libere: ergo ex natura ſua eſt talis, qui in inſtanti mortis poſsit perſeuerare, vt fruatur præmio, vel afficiatur ſupplicio: ergo ex naturâ ſua ex talis, qui non debeat perire diſſoluta vnione.

80 Dices; hoc argumento probari animum rationalē ex natura ſua perſeuerare diſſoluta vnione; non verò durare in æternū ex natura ſua. Sed contra: eo ipſo quod ex natura ſua perſeueret diſſoluta vnione, debet durare in æternum: ergo vtrunq; cōuincitur eo argumento. Antecedens probatur: quia, ſi animus ſeparatus deſineret ex ſua natura, id contingeret vel

ex

ex defectu ſubiecti; vel per aduentum contrarij; vel ex defectu conſeruantis, aut finis conſeruationis; neque enim vlla alia ratione deſinunt res ex natura rei: ſed nullo ex his modis poteſt animus ſeparatus deſinere: ergo &c. Minor probatur: & primò non ex defectu ſubiecti, quia, eo ipſo quod ex natura ſua perſeueret diſſoluta vnione, erit ex natura ſua producibilis per creationem independenter à ſubiecto; etenim ſi dependens eſſet à ſubiecto ex natura ſua, hoc deficiente, ipſe deficeret: ergo non poteſt deficere ex defectu ſubiecti. Deinde non ex defectu conſeruantis, quia hic eſt Deus, ad quem ſolum creatio pertinet ex natura rei, vt diximus in Phyſ. diſp. 15. ſect. 6. Neque per aduẽtum contrarij, quia cum contraria non opponantur niſi circa aliquod tertium, animus rationalis, qui in ſtatu ſeparationis non eſt vnitus alicui tertio, circa quod oppoſitio cum aliquo extremo exerceatur, non poteſt ex natura rei deficere per aduentum contrarij. Denique neque ex defectu finis, hoc eſt, ex defectu operationis, quia, licèt pereunte vnione ceſſent conſtitutio compoſiti, & operationes ipſius, propter quas videtur conſeruari animus, dum eſt incompoſitus; tamen, cum operari ſequatur eſſe, & ipſe animus ex ſe poſsit eſſe ſine compoſito, vt dictum eſt, neceſſarium erit, quod in eo ſtatu conueniant illi ex natura rei aliquæ operationes independentes a compoſito, propter quas tunc temporis conſeruari poſsit: ergo iam dabitur finis conſeruationis illius: ergo, ſi animus ſemel ſeparatus exiſtat ex natura rei, nõ poterit non durare in æternum.

81 Inſtabis: poteſt dari entitas petens ſui cõſeruationem per aliquod tempus determinatum, ita vt eo tranſacto pereat ex natura rei: ergo bene poteſt animus eſſe talis, qui poſt diſſolutam vnionem petat conſeruari per aliquod tempus determinatum, ita vt eo tranſacto pereat ex natura rei. Antecedens eſt traditũ à nobis in Phyſ. diſp. vltima, ſect. 4. vbi docuimus impulſum eſſe talis naturæ. Conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt clara: quia impulſus, cum ſit accidens, eſt propter ſubſtantiam in cuius perfectionem dirigitur: cõgruum autem eſt perfectioni ſubſtantiæ, quod impulſus & duret per aliquod tempus, vt vna ſubſtantia poſsit aliam à ſe pellere; & nõ duret ſemper, ne ſemper cogatur eam ad longiſsimam diſtantiam ablegare: at verò animus ſeparatus, cum ſit ſubſtantia per ſe ſubſiſtens, neque alteri adhærens, in eo ſtatu non operatur in ordine ad alterũ; ſed ad ipſum perficiendũ: cum autem ſemper perficiatur eodẽ modo illis operationibus, ſemper ordinatur ad illas eodem modo. Vnde ſi eas exigit per aliquod tẽpus, debet eas ſemper exigere circa vnum, vel alterum obiectum.

82 Secundo probari poteſt eadem veritas; quia cuiuſcunq; creaturæ datur aliquod centrum, vbi quieſcat, vt inductione eorum,

Digitized by Google

quæ nouimus, conſtat: ergo & animus rationalis debet habere aliquod centrum, in quo quieſcat: at ſic eſt, quod in hac vita nihil eſt, in quo eius appetitus quieſcat, neque enim ſatiatur aliquo; ſed ſemper anhelat in aliud: ergo dicendus eſt poſt hanc vitam habere aliquod centrum, in cuius poſſeſſione quieſcat: ac per conſequens neceſſarium erit, quod non pereat diſſoluta vnione. Plures aliæ adducuntur rationes ad id confirmādum, quæ videri poſſunt apud P. Leſsium de Num. prouid. lib. 2. per totum. Quid verò ſenſerit Ariſt. circa animi immortalitatem? dubium eſt, quia in vnam, & alteram partem videtur inclinari diuerſis in locis. Videatur P. Tolet. lib 3. de Ani. q. 15 & 16.

Hinc deducitur ſpiritualitas animi rationalis.

83 EX dictis infertur naturali ratiocinatione id, quod Fide Catolica ſanctum eſt, titul. 1. Decretal. cap. *Firmiter* de Summa Trinitate: & deducitur ex Pſalmo 30. verſ. 6. & ex Matheo cap. 26. num. 24. & cap. 27. num. 5. nempe animum rationalem eſſe ſpiritualem (ſpirituale hìc ſumitur, prout condiſtinguitur contra corpus.) Probatur ergo ex concluſione præcedente: quia animus rationalis ex natura ſua perſeuerat ſeparatus à materia corporea: ergo eſt ſpiritualis. Patet conſequentia: quia id, quod ex natura ſua perſeuerat ſeparatum à materia corporea, nullam habet dependentiam ab illa, aut à quantitate quo ad ſui exiſtentiam: ſed quod nullam habet dependentiam à materia corporea, aut à quantitate, eſt ſpirituale: ergo animus rationalis, qui ex natura ſua perſeuerat ſeparatus à corpore, eſt ſpiritualis. Maior eſt certa, quia non habet dependentiam ab illis tanquam à cauſis, cum ex natura ſua conſeruetur independenter ab illis per creationem; neque dependet ab illis à poſteriori, ſeu tanquam à comitantibus, cum ex natura ſua poſsit conſeruari ſeparatus ab illis. Minor admittitur ab omnibus, & conſtabit ex dicendis diſp. 4.

84 Secundò poteſt eadem veritas probari: quia, cum modus proprius operandi cuiuſcumque rei debeat eſſe proportionatus modo eſſendi, ex perfectiori & eleuatiori modo operandi debet ſemper colligi perfectior, & eleuatior modus eſſendi, vt concedunt omnes: ſed animus rationalis habet perfectiſsimum, & eleuatiſsimum operandi modum ſupra animos brutorum: ergo habet eleuatiſsimum, & perfectiſsimum modum eſſendi ſupra illos. Hic autem non poteſt eſſe alius niſi ſpiritualis: ergo, &c. Minor probatur: quia animus rationalis taliter operatur circa ſua obiecta, vt poſsit reflectere ſupra propriā operationem: deinde poteſt vnum cum altero comparare, & inter illa diſcernere, & diiudicare: poteſt præterea diſcurrere deducendo

do vnum ex alio; virtutem, & vitium attingere, & poſtea pro ſuo libito vnum, vel alterum eligere. Quæ omnia nimis excedunt modum operandi brutorum, & propterea ſunt ordinis ſuperioris, & valde diuerſi ab operationibus brutorum: ergo & eſſe animi rationalis debet conſtitui in ordine ſuperiori, & longe diuerſo ab eſſe brutorum: hic non poteſt eſſe alius, niſi rerum ſpiritualium: ergo eſt in ordine, & ſerie rerum ſpiritualium.

85 Obijcies: cum in Concil. Niceno 2. actione 5. legeretur liber Ioannis Epiſcopi Theſſalonij aientis, Angelos, & animos noſtros eſſe corporeos, & ideo Angelos eſſe tangendos, & adorandos, Concilium approbauit illationem, ſcilicet Angelos eſſe adorandos: ergo, approbauit etiam antecedens, eos videlicet, & animos noſtros eſſe corporeos. Confirmatur: quia animus rationalis in operationibus adhuc intelligẽdi pendet à corpore: ergo eſt corporeus. Ad obiectionem cõcedo, cõcluſionem illam eſſe approbatã à Concilio. Nego tamen conſequentiam: quia tunc temporis ſolum erat diſputatio circa adorationem Angelorum, & contactum imaginum ipſorum, & ideo Concilium curauit de approbatione horum nõ curans de corporeitate Angelorum, de qua tunc non erat controuerſia.

86 Ad confirmationẽ, conceſſo antecedente, nego conſeqnẽtiam: quia, licèt animus rationalis, dum eſt in corpore, ab illo depẽdeat in operando, habet tamen alias operationes ex natura ſua independentes à corpore, vt ex dictis conſtat, quod ſufficit, vt dicatur ſpiritualis. Neque enim ad rationẽ ſpiritus neceſſarium eſt, quod omnes ſuas operationes; ſed ſufficit, quod aliquas ſaltem efficere poſſit ſine corpore: ſicut ad rationẽ viuentis non eſt neceſſarium, quod omnes eius operationes; ſed quod nõnullæ ſaltem ſint vitales. Quod ſi nõnulli Patres animum rationalem corporeũ vocant, ita intelligendi ſunt, vt ſolũ velint eſſe formã conſtitutiuã corporis: & ideo appellari poſſe corporeum *vt quo*, vt inde concludant contra nonnullorum amentiam, rationalem animum nõ eſſe particulã Diuinæ mentis, quæ omnino abſoluta eſt, & infinitè diſtans à corpore.

DISPVTATIO III.

De Compoſitione animorum.

1 CErtum eſt, quẽlibet animũ cõponi metaphyſicè ex genere, & differẽtia: quia cõſtat differentia propria, & ratione animæ in cõmuni, quam diximus diſp. 1. eſſe genus reſpectu inferiorũ animorum. Solum ergo procedit controuerſia de cõpoſitione phyſica. Hæc autem eſt duplex: alia ex partibus eſſentialibus, ijs videlicet, quæ totũ conſtituunt vt ſubiectũ, & forma: alia ex integralibus, ijs videlicèt, quarũ vna non concurrit ad componendum totũ vt ſubiectum, vel vt forma alterius.

Priorem compoſitionem eſt certum non dari in animabus; quia id, quod eſt primũ in aliquo genere, non debet ſupponere aliud in eodem genere: ſed anima eſt actus primus conſtituens ſimul cum materia totum ſubſtãtiale, vt diximus diſp. 1. ergo non debet ſupponere alium actum, qui ſimul cum alio ſubiecto illam conſtituat: atqui, ſi ipſa componeretur ex ſubiecto, & forma, iam ſupponeret talem actũ, cum omnis forma ſit actus conſtitutiuus compoſiti ſimul cum ſubiecto, vt diximus in Phyſ. diſp. 3. ſect. 2. ergo, &c. Secũdò: quia omnes operationes animorum, quas hucuſque nouimus, ſufficienter reſpondent ſimplici animo, & materiæ primæ cum diſpoſitionibus accidentalibus, & potentijs: ergo nõ eſt, cur addatur aliud ſubiectũ ſubſtantiale, ex quo ipſe animus intrinſecè cõponatur. In præſenti ergo diſputatione ſolum agẽdum eſt de compoſitione partium integraliũ.

SECTIO I.

Animus rationalis nõ conſtat partibus integralibus.

2 Communis omnium ſententia eſt, animum rationalem non cõſtare partibus integralibus; non tamen eſt vna omnium ratio. Omiſsis aliorum rationibus, ſic ego rem probo: ſi animus rationalis conſtaret partibus integralibus, vel eæ eſſent homogeneæ, vel heterogeneæ. Si hoc vltimum? Eſſent quidem diuerſæ rationis inter ſe pro diuerſitate operationum, quas ſingulæ ex ſe elicerent, & ideo ea tantum pars, quæ in corpore intellectionem eliceret, eſſet intellectiua; ea verò, quæ eliceret ſenſationem ſine intellectione, eſſet ſenſitiua tantum; & denique, quæ vegetationem ſine ſenſatione, & intellectione produceret, eſſet ex ſe tantum vegetatiua. Ex hoc autẽ inferretur primo, partes non intellectiuas fore dependentes à materia tanquam à ſubiecto recipiente: quia quod nõ poteſt operari niſi depẽdenter à ſubiecto diſtincto, non poteſt eſſe niſi dependenter à ſubiecto, vt dicebamus in Phyſ. diſp. 3. ſect. 3. ſed eæ partes animæ nullam operationẽ haberent, niſi dependenter à materia tanquam à ſubiecto recipiẽte: ergo neque eſſe poſſent, niſi dependenter à materia tanquã à ſubiecto recipiente.

3 Ex quo iterum inferretur, eas partes animæ fore corporeas, quia quod dependet à corpore taliter, vt ex natura rei ſeparari nequeat ab illo, eſt corporeum, vt concedunt omnes, & videbimus diſput. ſeq. Inferretur tertiò: eas partes animæ perituras diſſoluta vnione animæ cum corpore: quia, cum vegetatio, & ſenſatio nõ poſsint elici niſi dependenter à corpore, cui anima eſt vnita; eo deficiente non poſſent elici ex natura rei: ergo tales partes animæ non poſſent operari ex natura rei in ſtatu ſeparationis, ac per conſequens neque conſeruari, quãdo quidem ceſſaret finis conſeruationis illarum. Quis autem hæc omnia concedet?

4 Si

4 Si vero dicantur eæ partes eſſe homogeneæ, neceſſarium erit, quod ſingulę ex ſe ſint formaliter intellectiuæ, ſenſitiuę, & vegetatiuæ, quia nullam operationem elicere poterit vna pars, quã non poſſint ſingulæ aliæ: vel ergo in prima hominis productione producerentur ſimul omnes partes animæ, quæ decurſu temporis inueniendæ forent in illo homine: vel ſolũ eæ, quæ reſponderent partibus materiæ tunc temporis exiſtentibus in homine. Si primũ? cum non poſſent duæ formæ ex natura rei ſimul informare eandem materiam, plures ex illis partibus animæ non informarent aliquam materiam, quoad vſque per nutritionẽ accreſcerent homini nouæ partes materiæ, quæ ab illis informari poſſent. Hoc autem dici nequit: quia illæ partes ſunt ex natura ſua ordinatæ ad cõponendum totum ſimul cum materia non minùs, quam tota anima; ſed ex eo, quod tota anima ex natura ſua ordinetur ad conſtituendũ compoſitum, non poteſt in prima ſui productione extra compoſitum produci, vt diximus diſp. precedẽte nu. 30. ergo neque illæ partes. Nec poteſt dici, eas partes produci ad exigentiam aliarũ, quæ tunc tẽporis materiã informant, cum quibus cõſtituũt vnã animã. Hoc, inquam, non poteſt dici: quia partes informantes non pendent ab illis in informatione, aut in operari: ergo non exigunt earum productionem pro eo tempore, quoad vſque diſpoſitæ ſint partes materiæ, quæ ab illis informari poſſint.

5 Si dicatur ſecundum nempe, quod in prima hominis productione ſolũ producũtur eæ partes animæ, quæ reſpondent partibus materiæ tunc temporis exiſtentibus in homine? neceſſarium erit, quod quãdo augetur homo per nutritionem, augeatur etiã anima per productionem nouarum partiũ ipſius animæ: ergo, quãdo poſtea minuitur homo per diminutionem, vel deſinunt eſſe partes animæ, quæ partes amiſſas hominis conſtituebant? Et ſic anima non erit immortalis; quia, cum omnes partes ſint eiuſdem rationis, ſi vna eſt mortalis, eandem ſortem ſubibunt reliquæ. Vel illę partes animæ perſeuerabunt à materia ſeparatæ? Ex hoc autem fiet, quod ſicut quando homo decedit in gratia, aut in peccato mortali, tota eius anima afficitur gloria, vel gehennali ſupplicio, ita etiam quando per diminutionem partes hominis iuſti, vel peccatoris deſtruũtur, partes animæ illis reſpondentes afficientur illico pœnã debita, vel præmio. Ex quo fieret, quod, cum idem homo pro diuerſis tẽporibus poſſit eſſe iuſtus, & peccator; partes animæ, quæ tempore peccati decederent, in gehennã; &, quæ iuſtitiæ tempore, in gloriam deducerentur, ac perconſequens eadem anima ſecundum diuerſas partes ſupplicio ſimul, & gloria afficeretur. Hæc autem nec ab vllo Theologo admittuntur, neque poſſunt iuxta fidem admitti: quapropter nullus poteſt à prædicta ſententia diſcedere ſine periculo

lo erroris, & temeritatis notâ.

6 Dices, in prima animæ creatione produci tot partes animæ, quot ſunt partes organicæ in materia neceſſario requiſita ad hominis generationem, quæ quidẽ partes animæ, creſcente corpore per nutritionem, extenduntur per nouam vnionem ad informandas partes denuo aduenientes, non relictis illis, quas antea informabant: decreſcente vero corpore per diminutionem ceſſat vnio earum cũ partibus, quę amittuntur, & perſeuerat cum reliquis. Vnde neque augetur anima, cum corpus augetur; neque, cum minuitur, pereunt aliquæ eius partes, aut perſeuerant ſeparatæ. Sed cõtrà eſt, quod, ſi quæuis pars animæ poteſt ſimul plures corporis informare, cur nõ idem poterit idẽ indiuiſibilis animus? Et quidem, ſiquâ ratio animi diuiſibilitatem ſuaderet, maxime, quia vnus, & idem animus nõ poteſt in pluribus materiæ partibus exiſtere: atqui id admittis in partibus animi, quas concedis: ergo nõ eſt, cur id non admittas in eodem animo. Neque multiplicandæ ſunt plures animi partes, ſi animus indiuiſibilis præſtare poteſt, quod illæ præſtarent.

7 Obijcies primò, ſi animus rationalis eſſet indiuiſibilis, poſſet moueri ſimul motibus contrarijs: hoc non eſt concedendum: ergo nec illud. Maior probatur: quia in vna manu poſſet moueri ſurſum, & in altera deorſum per eãdem lineam. Diſtinguo maiorem: poſſet moueri ſimul motibus contrarijs in diuerſis partibus corporis, concedo; in eadem parte, nego maiorem. Vide quæ diximus in Phyſ. diſp. 19. ſect. 3. Obijcies ſecundò: ſi idem animus poteſt eſſe ſimul in pluribus partibus materiæ continuis: ergo in diſcontinuis. Nego conſequentiam, quia, cum duæ partes materiæ diſcontinuæ non conſtituant vnum, abſolute eſſent duæ materiæ: vnde anima informaret duplicem materiam, & eſſet in duplici loco ex natura rei; quod quidem ſuperat vires entitatis naturalis adhuc Angelicæ. Ideo Theologi, licet concedant, Angelum indiuiſibilem poſſe occupare locum diuiſibilem continuum; non tamẽ admittunt, poſſe naturaliter conſtitui in pluribus diſcontinuis, nec coguntur concedere, aliquam entitatem naturalem poſſe eſſe naturaliter in pluribus locis.

8 Obijcies tertiò: forma, & materia debent proportionari: ergo ſicut materia habet partes; ita & animus rationalis, qui eſt forma illius. Diſtinguo antecedens: debẽt proportionari in ratione actus, & potentiæ, concedo: in omnibus alijs, nego antecedens. Itaque materia, & forma ita debent proportionari, vt materia poſsit & formã admittere; & operationes, quas forma poteſt elicere, in ſe recipere, vel ad eas conducere; non tamẽ ita debent proportionari, vt quæcunque vni conueniant, alteri conuenire debeant: alioquì non poſſet forma ſpiritualis materiam corpoream afficere; neque accidens informare ſubſtantiam.

SEC-

SECTIO II.

Animæ plantarum, & imperfectorum animalium conſtāt partibus integralibus.

9 APud omnes philoſophos eſt certum, animas plantarum cōponi ex partibus integrantibus; quia, vt experientia conſtat, ramus ab arbore abſciſſus vireſcit; imo & virgulta, ac ramuſculos emittit; deinde, ſi alibi plantetur, floreſcit, & producit fructus: ergo abſciſſus cōſeruat animam, quā apud arborem habebat: ergo anima illa habebat partes integrantes, quarum vna perſeuerat in arbore, & alia in ramo abſciſſo conſeruatur: neque enim vna, & eadem anima in partibus, & locis diſtantibus poteſt naturaliter conſeruari. Neque dici poteſt, ramum abſciſſum priorem animam amiſiſſe, & alibi plantatum aliā induiſſe: tum quia etiāſi alibi non plantetur, germinat ſæpe virgulta; tum etiam quia, ſi ſemel animam amiſiſſet, quantumuis iterum terræ mandaretur, nunquam viueret, vt conſtat in ramis emortuis, ac viriditate deſtitutis.

10 *Ratio* à priori eſt: quia terra non poteſt ramū ſemel emortuum iterum viuificare producendo in illo animam arboream tanquam cauſa principalis, quia anima arborea vtpote viuens perfectior eſt ipſā terrā, quæ eſt non viuens, neque aliunde excedit perfectionem animæ viuentis: Neque poteſt illum viuificare producendo in materia vltimam diſpoſitionem, ad cuius exigentiam introducatur anima; neque enim aliquod eſt fundamentum ad tribuēdam talem virtutem terræ, quandoquidem neque ipſa arbor adhuc viuens poteſt ramum ſibi continuum ſemel emortuum iterum ad vitam diſponere.

11 Secundò certum eſt, animas aliquorum animalium conſtare partibus integrantibus; quia, ſi lacerta diuidatur, ſingulæ partes ſeparatæ mouentur: ergo ſingula habent animam: nō eandem numero, quia eadem res non poteſt naturaliter eſſe in locis diſtantibus: ergo diſtinctā: ergo antequam diuiderentur, ſingulæ habebant partes animæ diſtinctas. Neque dici poteſt illum motum cauſari ab ſpiritibus vitalibus ibi remanentibus; tum quia ſpiritus vitales non poſſunt tandiu ibi perſeuerare, quandiu mouetur cauda lacertæ: tum etiam quia non ſolum mouetur, ſed etiam ſentit ſe tangi, vt conſtat experientia: ſenſatio autem non poteſt elici niſi ab anima; ergo; &c. Cōfirmari poteſt exemplo vermiculi, quem Auguſtinus infra referendus fatetur ſe vidiſſe diuiſum in duas partes, quarum quælibet velociter ab alia diſceſſit, & ſtylo percuſſa, dolore percepto, fugiebat, ac ſi eſſent duo vermiculi diſtincti: ergo animæ eorum animalium ſunt diuiſibiles in partes, quæ poſt diuiſionem perſeuerare poſſunt.

12 Dicunt aliqui, in vna ex illis partibus produci nouam animam, & antiquam in alia remanere. Sed con-

Digitized by Google

contrà primò; non poteſt anima ſenſitiua denuo introduci in materia, quæ diſponi nequit ad præcipuas eius operationes ſentiendi, & vegetandi; propterea nunquam animus inducitur in materiam fœtus, niſi hoc organizationē ad ſtomachum, cor, & cærebrum requiſitam habeat, vel saltē habere proxime poſsit: ſed cauda lacertæ non poteſt tales diſpoſitiones admittere ex natura rei, vt conſtat: ergo, &c. Secundò, quia ex eo, quod diuiſo igne perſeuerat forma eius in vtraque parte, colligunt omnes, formam ignis non eſſe indiuiſibilem: ergo idem dicendū eſt de forma lacertæ: alioqui ſicut dicis, antiquam animā perſeuerare in vna parte lacertæ, & aliam indiuiſibilem denuo produci in aliā, cur non poſſet idem dici de forma ignis?

13 Dicis: eſſe diſparem rationem: tum quia ignis ita diuiditur, vt quælibet pars illius ſit ignis completus poſt diuiſionem; ſecus cōtingit in lacertâ: tum etiam quia quâcunque diuidatur ignis, perſeuerat eius forma in vtraque parte; ſecus eſt in lacerta, quæ ſi ad longum per medium diuidatur nō perſeuerat anima in partibus diuiſis, quod aliūde prouenire nequit, niſi quia eſt indiuiſibilis. Nulla ex iſtis ſolutionibus vim noſtris rationibus infringit. Non prima: quia anima, quæ datur in cauda lacertæ diuiſa, vel eſt forma completa, vel incompleta. Si completa? vel non poterit ibi denuo introduci ſine capite, & corde, &c. ſicut non poſſunt denuo ſine iſtis partibus introduci reliquæ animæ completæ; vel, ſi hæc non requiruntur ad talem animam, non erit cur non conſtituat viuens completum; cum præter illa, quæ tunc dantur in materia, nulla alia organa, ſeu diſpoſitiones exigat ad ſui introductionem. Si dicatur eſſe incompleta? ergo ex natura ſua ordinatur ad componendam animam cōpletam per vnionem cum alia anima incompleta: omne enim incōpletum in aliquo genere ordinatur ad compoſitionem completi in eodem genere: ergo iam datur aliqua anima diuiſibilis in partes integrantes.

14 Deinde impugnatur ſecunda ſolutio: quia non minus requiruntur diſpoſitiones in parte lacertæ ad hoc, vt denuo introducatur anima, quàm, vt pars diuiſa cōſeruaretur: ſed per te poſſunt perſeuerare diſpoſitiones ad nouam animam in cauda diuiſa; & tamen non poſſunt perſeuerare in partibus ad longum diuiſis: ergo bene poſſent perſeuerare ad partem animæ conſeruandam in cauda, & non in partibus ad longum diuiſis. Ratio diſparitatis eſt, quia pars animæ informans medietatem lacertæ in longum extenſam maiorem connexionem habet cum parte animæ alterius medietatis, quam pars animæ exiſtens in cauda cum parte exiſtente in reliquo corpore, & ideo poteſt iſta perſeuerare diuiſa, ſecus illa.

15 Rogas: ſi poſſunt partes harum formarum conſeruari poſt diuiſionem, cur non poterunt in prima

ma animalis generatione aliæ priùs alijs introduci? Reſpondeo, ideo eſſe, quia plura requiruntur ad primam animi introductionem, quam ad eius conſeruationem. Et ratio eſt clara: quia poſtquam viuens omnes ſuas partes coniunctas habuit, potuerunt ſingulæ ab alijs accipere ea, quæ neceſſaria erant, vt per aliquod tempus aliquã operationem vitalem elicerent: at verò ante primam omnium partium productionem nulla ex illis ſeorſim ſumpta potuit habere ea, quæ neceſſaria erant ad vitalem aliquã operationem, & ideo mirum videri non debet, quod vna ſine altera non poſsit primo produci; poſsit tamen vna ſine alijs aliquandiu conſeruari.

Obiectio contra diuiſibilitatem animarum imperfectorum animalium.

16 OBijcies Auguſtin. libr. de Quant. Ani. cap. 31. vbi refert, ſe vidiſſe in agro Liguriæ vermiculum multipedem, quem ſtylo percuſſum vnus ex diſcipulis diuiſit in duas partes, quarũ vtraque tanta pedum velocitate in cõtraria loca diſceſsit, ac ſi duo forent vermiculi, & deinde quælibet ex illis percuſſa dolorem ſentiens contrahebatur. Ex hoc autem putat Auguſtinus non deduci animã illius vermiculi fore diuiſibilem: & poſt nonnulla in huius explicationem adducta, cõcludit loquens cum diſcipulo: *Si ergò ſatis perſpexiſti in hac ſimilitudine, quomodo poſsit diſſecto corpore anima nõ ſecari, accipe nunc quomodo fruſta ipſa corporis, cum anima ſecta non ſit, viuere poſsint*: ergo aperte ſentit Auguſt. animas vermiculorum non diuidi, etiamſi corpora diuiſa vitam conſeruent.

17 Pro reſponſione noto, duplici modo poſſe contingere diuiſionem partium integralium. Primo, ſi in qualibet parte perſeueret eadem eſſentia, quę erat in diuiſo; vt, quãdo albedo diuiditur in duas partes, quarum vtraque eſſentialiter, & abſolutè eſt albedo. Secundo, ſi eſſentia diuiſi non perſeueret in qualibet parte; vt, quando homo diuiditur in brachia, pectus, caput, &c. non perſeuerat ratio hominis in ſingulis illis partibus ſeorſim ſumptis. Hoc ſuppoſito, reſpondeo, Auguſt. loco citato negare animam vermiculorum diuidi primo modo; non verò ſecundo. Itaque ſolum vult Auguſtinus, animam non ita diuidi, vt quælibet pars illius ſit anima, quia quæuis pars animæ non eſt actus corporis organici, ſed ſolùm actus vnius partis, quæ ſimul cum alijs conſtituit corpus organicum.

18 Hanc ſolutionem colligo ex ipſo Auguſtino, qui in fine capitis 31. ſic habet: *Planum tibi factum ſit, non loco animam contineri, atque ob hoc nullius talis eſſe quantitatis, qualem in corporibus cernimus.* Vbi ſolum concludit, animam non habere quantitatem, ſeu eſſe diuiſibilem, ſicut corpora, quæ quidem ita diuiduntur, vt quæuis pars diuiſa ſit corpus; ſecus anima. Deinde cap. 32. poſt media addu-

ad inducto exẽplo nominis *Lucifer*, cuius partes *luci*, & *fer* diuiſæ ſeruant aliquam ſignificationem, concludit: *Ita exiſtimandum eſt ſecto vermiculi corpore, quamquam in minori loco pars eo ipſo, quo pars erat, viueret, non omnino animam ſectam, licèt integri animantis membra omnia per maiorem locum porrecta ſimul poſsideret*. Vbi ex illis verbis, *non omnino animam ſectã*, colligitur admittere aliquam diuiſionem illius: hæc non poteſt eſſe alia niſi in partes, in quibus ratio animæ non perſeueret; ergo, &c. Et ideo addit, animam poſsidere membra omnia porrecta per maiorem locum, quia videlicet anima ratione diuerſarum partium poſsidet membra corporis diuiſa in partes loco diſtãtes. Hic aduerte, Auguſtinũ pluribus in locis huius libri aperte aſſerere animã eſſe indiuiſibilem; loquitur tamen expreſſe de animo rationali, de quo etiam loquitur 6. de Trinit. cap. 6. vbi animã, ait, eſſe totam in toto corpore, & totam in quauis parte.

SECTIO III.

An animæ perfectorum brutorum conſtent partibus integralibus.

19 PRima ſententia aſſerit, prædictas animas eſſe omnino indiuiſibiles. Ita Albertus in Sum. de Homine, & 1. de Ani. cap. vlt. Caiet. 1. p. q. 76. art. 8. Heruæus in 1. diſt. 8. q. 4. Bonau. Ibidem 2. p. diſt. quæſt. 3. Ferrara hic q. 3. Et PP. Cõnim. lib. 2. de Ani. c. 1. q. 8. art. 3. dicunt vtrãque partem contradictionis eſſe probabilem. Aſſertur pro hac ſententia S. Tho. infra ſpeculandus. Cõtrariam ſententiam tenent Durand. in 1. diſt. 8. quæſt. 5. Ægid. ibid. q. vlt. Gabriel in 2. diſt. 16. q. vnica, & alij apud PP. Connim. ſupra art. 2. P. Toletus 2. de Ani. cap. 2. q. 5. conc. 2. P. Hurt. hìc diſp. 2. ſect. 4. & P. Arriag. & eſt cõmunis inter recentiores, atque ſuo tempore etiam communem fuiſſe teſtatur Caietanus.

Prima concluſio contra ſecundam ſententiam.

20 DIco 1. nullum eſt efficax argumentum ad probandum animas perfectorũ brutorũ nõ poſſe eſſe indiuiſibiles. Pro hac cõcluſione ſtant authores primæ ſententiæ. Et probanda eſt ex ſolutione argumentorũ ſecundæ. Prima ratio ſumitur ex materialitate: quia prædictæ animæ ſunt materiales, & corporeæ; ſed de ratione rei materialis, & corporeæ, eſt cõnſtare partibus integrantibus; ergo prædictæ animæ debent conſtare partibus integrantibus, ac perconſequens nõ poſſunt eſſe indiuiſibiles. Hæc ratio eſt infirma: quia, vt dicemus diſp. 4. non eſt de ratione rei corporeæ conſtare partibus integralibus.

21 Secundo probant alij: quia partes materiæ acquiſitæ per nutritionem non informantur eadem animâ, qua partes habitæ in prima generatione: ergo informantur anima diuerſa, ac per conſequens diuer-

diuerſis partibus materiæ reſpondent partes animæ diuerſæ. Antecedens probatur: quia anima informans partes materiæ acquiſitæ per nutritionem, vtpotè materialis dependet ab ipſa materia tanquam à cauſa recipiente: atqui anima præexiſtens in viuẽte ante nutritionẽ non poteſt dependere à materia acquiſita per ipſam nutritionẽ: ergo ſtatuẽda eſt pars diſtincta animæ, quæ ab illa materia dependeat, ſeu in illa recipiatur.

22 Minor probatur primò: quia effectus adæquatè dependens ab aliqua cauſa, non poteſt perſeuerante eâ prima dependentia admittere nouam dependentiam ab alia cauſa: ſed anima præexiſtens in materia ante nutritionem adæquatè dependebat ab ea materia tanquam à cauſa recipiente, vt conſtat: ergo perſeuerante ea dependentia (vt de facto perſeuerat, quando nutritur viuens, quia tunc etiã perſeuerat receptio animæ in materia habita per generationem) non poteſt dependere denuo à noua parte materiæ. Secundò probatur eadem minor: quia anima dependens à materia acquiſita per nutritionẽ debet educi ex ea materia à viuente præexiſtẽte; ad hoc enim pertinet nouam partem viuentem acquirere per nutritionem: ſed viuens præexiſtens nõ poteſt ex ea materia educere eam animam, quam antea habebat: ergo debet educere diuerſam. Minor eſt certa: quia, cum id præſtare deberet viuens per animam, hæc enim eſt, qua nutrimur, augemur; & ei ipſa ſe educeret ex materia; ac perconſequens eſſet cauſa ſui ipſius.

23 Aliqui reſpõdent, educi quidem animã ex materia alimẽti, nõ à viuente præexiſtente; ſed à Deo, qui ad exigentiã vltimæ diſpoſitionis introductæ ab ipſo viuẽte, educit animã ex ea materia, vt poſtea viuens producat vnionẽ ipſius animæ cum materia; quod quidẽ ſufficit, vt dicatur eſſe cauſa nutritionis, ſicut homo dicitur cauſa nutritionis ex eo, quod animã rationalẽ vniat materiæ alimenti ſine eductione illius ex hac. Neque ex eo, quod denuo educatur anima ex materia alimenti, ſequitur, quod poſt adæquatã dependẽtiã ab vna materia admittat aliã nouã perſeuerante priori, quia vel non perſeuerat antiqua; ſed per vnã actionẽ indiuiſibilẽ educitur à materia præexiſtente, & à materia denuo adueniẽte: vel, ſi perſeuerat antiqua dependentia adueniente alia noua, iam non perſeuerat vt totalis; ſed ex vtraq; fit vna totalis: nam ſicut ex viuẽte præexiſtẽte, & parte denuo acquiſita, reſultat vnũ viuens totale; ſic ex dependentia animæ à materia antiqua, & ex depẽdentia eiuſdẽ animæ à materia noua reſultabit vna dependentia totalis.

24 Hæc ſolutio mihi diſplicet; quia ex ea infertur eandẽ animam eſſe priorem, & poſteriorẽ ſe ipſa; licet enim ipſa non ſe educeret ex materia alimenti; nihilominus eſſet cauſa immediata, vel mediata diſpoſitionum præparantium materiam ad talem eductionem:

ergo

ergo eâdē prioritate naturæ, qua diſpoſitiones præcedunt in materia alimenti eductionem animę ex illa, præcedet etiam anima introducens tales diſpoſitiones, iuxta dicta in Phyſ. diſp. 18. ſect. 3. & 4. atqui id, quod præcedit eductionem, pręcedit etiam formam eductam, vt concedunt omnes: ergo eadem anima præcedit ſe ipſam, ac perconſequens eſt prior, & poſterior ſe ipſâ: quod repugnat, vt probauimus in Phyſ. loco proxime citato.

25 Dices, animā non eſſe cauſam diſpoſitionis introductę in materia alimenti; ſed eam diſpoſitionem produci à temperamento exiſtente in materia, quam ipſa anima informat ante nutritionem: licet enim forma ſubſtantialis poſſit accidentia ſibi cōnaturalia producere in propria materia; non tamen poteſt ea producere in ſubiecto approximato, vt conſtat in forma aquæ, quę, cum poſsit frigiditatem in ſua materia producere, nequit tamen eam producere in paſſo aliquo approximato, vt probabitur infra diſp. 5. n. 10. & 11.

26 Sed contrà: admittamus, animā non concurrere immediate ad diſponendam materiam alimēti; nihilominus negari nequit ipſam animam conſeruare temperamentum exiſtens in ſua materia, ſaltem quoad eos gradus, qui non ſupponuntur in materia ad eius conſeruationē iuxta dicta in Phyſ. diſp. . . num. 41. ergo non ſolum temperamentum viuentis; ſed etiā ipſa anima, quæ illud conſeruat, præſupponitur prioritate naturæ ad diſpoſitionem introductam in materia alimenti iuxta dicta in Phyſic. diſp. 18. num. 23. ergo & ipſa anima præſupponitur ad eductionem ſui ex materia alimenti, ac perconſequens ad ſe ipſam iuxta ibi dicta.

27 Alia expeditiori via ſolui poteſt argumentū adductū nu. 21. Dico ergo, animam equi, v. g. (& idem eſt de reliquis animabus brutorum) in prima ſui generatione adæquate educi ex materia minimi naturalis (ſic vocant materiā, quæ tempore primæ generationis datur) per indiuiſibilem eductionem: dum verò augetur equus per nutritionem, non educitur anima ex partibus materiæ denuò aduenientibus; ſed ſolum illis vnitur: tum quia id ſufficit ad rationē nutritionis, vt conſtat in homine, qui non educit animam ex materia alimenti; ſed ſolū eam iſti vnit; & nihilominus verè, & propriè dicitur nutriri: tum etiam quia, cum adæquate pendeat anima à minimo naturali, non eſt neceſſarius concurſus nouæ materiæ ad talis animæ conſeruationem: ad quid ergo talē concurſum admittemus? Quando verò per diminutionem deperditur aliqua pars minimi naturalis, loco illius ſubſtituitur à Deo æqualis pars materiæ ex iis, quæ per nutritionem accreuerant, vt ex illa ſimul cum reliquis minimi naturalis educatur anima adæquate, & ſic detur ſemper ſubiectū adæquatum receptiuum animæ. Vnio autem eſt diuiſibilis ita vt anima

anima per ſingulas partes vnionis vniatur ſingulis partibus materiæ: ſic enim recte componitur, quod anima ſucceſsiue vniatur nouis partibus materiæ per nutritionẽ, ſicut anima rationalis.

28 Dices 1. omnis forma materialis debet educi ex ſubiecto, quod informat: ergo, cum anima informet partes materiæ acquiſitas per nutritionem, debet educi ex illis. Reſpondeo, debere educi ex ſubiecto, quod informat, ſi non ſupponatur ſubiectum, ex quo adæquate educatur, vt contingit in præſenti. Ex eo enim forma materialis educitur ex ſubiecto, quia tali eductione indiget ad ſui exiſtẽtiam, & cõſeruationẽ; cum autem eductio ex materia minimi naturalis ſufficiat ad exiſtentiam, & conſeruationem animæ, vt conſtat, nõ eſt, cur illi tribuamus eductionem ex materia denuo aduenienti per nutritionem.

29 Dices 2. materia denuo adueniens per nutritionẽ non minus diſponitur ad eductionem animæ, quam ad huius vnionẽ (neq; enim alia diſpoſitio requiritur ex parte materiæ ad eductionẽ formæ, niſi ea, quæ requiritur ad vnionẽ cum ipſa forma, vt nullus negat) ergo, ſicut, poſita diſpoſitione, neceſſario vnitur anima cum materia, ſic etiã neceſſario educetur ex illa. Confirmatur 1 quia, ſi duo ignes ſimul applicentur alteri, ambo concurrent per actionem indiuiſibilem ad illũ conſeruandum, quem quidem ſolus vnus conſeruaret, ſi ſolus applicaretur: ergo dũ materiæ præexiſtẽti acceſſerit noua materia diſpoſita ad animam recipiendam, vtraque concurret per concurſum indiuiſibilẽ, etiamſi prior antea eſſet ſufficiens.

30 Ad obiectionẽ, dico materiam denuo aduenientẽ non minus diſponi ad eductionẽ animæ, quam ad vnionẽ cum ipſa anima; vniri tamen, & non educi, quia, cum nihil obſtet vnioni; datur tamẽ obſtaculum eductioni, nempe quod ipſa anima præſupponi deberet ad talẽ eductionẽ, & poſtponi; ac perconſequens eſſet prior, & poſterior ſe ipſa, vt dicebamus ſupra n. 24. Id explicatur in cauſis efficientibus: nam, ſi duo ignes applicentur alteri, illum cõſeruabunt ambo, ſi neuter ab illo cõſeruetur, ſi verò vnus ex illis ab illo tertio conſeruetur, non poterit tunc cõcurrere ad eius conſeruationem, ne dicatur eſſe prior, & poſterior illo. Idem ergo dicito in noſtro caſu, nam, ſi anima non eſſet cauſa ſaltem mediata diſpoſitionis præcedentis in materia alimenti ad introductionẽ animæ, poſſet quidem educi hæc ex illa ſimul & materiã prçexiſtẽti; at verò cum anima ſit cauſa mediata illarum diſpoſitionũ, non poteſt educi ex illa materia pro eo tempore, ne cogamur dicere eandẽ animã eſſe priorem, & poſteriorem ſe ipſa. Ex quo conſtat ad confirmationem.

Secunda concluſio contra primam ſententiam.

31 Dico 2. nullũ eſt efficax argumentũ ad probandũ ani-

nias perfectorũ brutorũ non poſſe eſſe diuiſibiles, ſeu compoſitas ex partibus integralibus. Pro hac concluſione ſtant authores ſecundæ ſententiæ, & probanda eſt ex ſolutione argumentorum, quæ adducuntur pro prima. Primò ergo adducitur contra diuiſibilitatem harum animarum. S. Thom. 1. p. quæſt. 75. art. 8. vbi docet, animam eſſe in toto corpore, & totam in qualibet eius parte: & paulo inferius addit, animam non diuidi adhuc per accidens, ſicut diuiditur albedo ad diuiſionem quãtitatis: ergo ſentit animam non habere partes integrantes; ſed eſſe omnino indiuiſibilem? Sed in primis. D. Thom. in hoc loco agit de animabus tam imperfectorum, quam perfectorum animalium: *ſed forma* (inquit ibi) *quæ requirit diuerſitatem in partibus, ſicut eſt anima, & præcipuè animalium perfectorum, non æqualiter ſe habet ad totum, & ad partes, unde non diuiditur, &c.* Vbi aperte agit de omni anima, vt colligitur ex illis verbis, *& præcipuè animalium perfectorum*: ergo eam hìc aſtruit indiuiſionem, quæ omni animæ conueniat: atqui imperfectis animalibus non conuenit indiuiſio non admittens partes integrales animæ, vt concedunt diſcipuli S. Thomæ: ergo ex hoc loco non colligitur, animam eſſe ita indiuiſibilem, vt non habeat partes integrales.

32 Reſpondeo ergo, D. Thomam hìc ſolùm negare animam diuidi eo modo, quo diuiditur albedo: hæc enim ita diuiditur, vt quæuis eius pars perſeueret poſt diuiſionem taliter, vt ſit formaliter albedo: at verò anima neque ita diuiditur, vt quæuis eius pars perſeueret poſt diuiſionem, ſaltem per multum temporis; neque ita, vt quælibet ſit formaliter anima, quia, cum anima ſit actus corporis organici, & quæuis pars animæ ſeorſim ſumpta nõ informet corpus organicum; ſed ſolum partem corporis organici, non poteſt ratio animæ perſeuerare formaliter in quauis parte. Dum verò addit S. Doctor, animam eſſe in quauis parte corporis ſecundum totalitatem perfectionis, & eſſentiæ, ita intelligendum eſt, vt ſolùm velit, vel quod ratio eſſentialis vitæ radicalis inueniatur in quauis parte animæ: vel quod nulla pars animæ poſſit conſeruari, quin ſit vnita reliquis; & propterea dicatur eſſe tota in quauis parte, quia tota anima requiritur, vt quæuis pars corporis animetur. Quod quidem abſolute verum eſt de animabus perfectorum animalium, quarum partes non poſſunt ſeorſim ſeparatæ conſeruari; &, de animabus imperfectorum eſt verum quoad diuturnitatem, quia non poſſunt diù conſeruari ſeorſim ſeparatæ.

33 Eodem modo explicandus eſt Doctor Angelicus lib. 2. contra Gen. cap. 27. vbi eandem tradidit doctrinam. Addit verò, animam eſſe formam ſimplicem, quod intellige de ſimplicitate prout opponitur compoſitioni non qualiun-

Digitized by Google

liuncunque partium integralium; ſed earum ſolùm, in quarum ſingulis ratio formalis animæ reperiatur. Quæ ſolutio confirmatur maxime ex eodem S. Thoma 2. de Anim. lect. 12. ad tex. 9. vbi ait: *Sicut enim ſe habet vna pars animæ ſenſitiuæ ad vnam partem corporis ſenſitiui, ſic ſe habet totus ſenſus ad totum corpus ſenſitiuum*: vbi loquitur de omni anima ſenſitiua, & expreſſe concedit partes in illa: ergo, quando dicit, animam eſſe formam ſimplicem, non negat omnem compoſitionem partium, ſed eam ſolùm, quam ſuprà diximus.

34 Secundum argumentum eſt: ſi animæ perfectorum animalium eſſent diuiſibiles, poſſent aliæ partes produci prius tempore alijs in prima generatione: id non conceditur: ergo neque illud debet côcedi. Maior probatur: quia partes materiæ, quæ minori indigent diſpoſitione, & ſunt propinquiores agenti, diſponentur prius: ergo non erit, cur non introducatur pars animæ illis reſpondens, antequam reliquæ partes diſponantur. Nego maiorem. Ad probationem diſtinguo antecedens: diſponentur prius quoad intenſionem in illis producendam, concedo; quoad omnem diſpoſitionem requiſitam, vt pars animæ illis reſpondens introducatur, nego antecedens: quia ſingulæ partes animę propter mutuam connexionem, quam inter ſe habent, non ſolum exigunt, quod ſingulæ partes materię habeant intenſionem diſpoſitionis in ipſis producendæ; ſed etiam, quod ſint vnitæ alijs partibus materiæ diſpoſitis ad reliquas partes animæ recipiẽdas, cuius rationem tradidimus in lib. de Gen. diſp. 7. ſect. 2. Et quidem, ſi diſpoſitio præcedens in vna parte materiæ eſſet ſufficiens ad introductionem partis animæ illi reſpondentis, non video, cur non eſſet etiam ſufficiens ad introductionem totius animæ rationalis (quæ eſt indiuiſibilis, & non educitur ex materia) quia iam in ea parte haberet omnem diſpoſitionem neceſſariam ad illius informationem ante diſpoſitionem reliquarum.

35 Dices: partes animæ ita cõnectuntur inter ſe, vt ſingulæ non poſsint ſine reliquis produci: ergo ſingulæ ſunt conditiones requiſitæ ad alias producendas: ergo datur inter illas mutua dependentia, & prioritas naturæ contra doctrinã à nobis traditã in Phyſ. In primis conceſſo antecedenti, nego primã conſequentiã: quia, licèt vna pars animę nõ poſsit produci ſine alijs, id non prouenit ex eo, quod vna ſit conditio ad aliã producendã; ſed quia diſpoſitiones omniũ partium animæ ſunt requiſitæ ex parte ſingularum materiæ ad ſingulas partes animę recipiendas: cum autem, eo ipſo quod dãtur in materia diſpoſitiones omniũ partiũ animæ, debẽt omnes produci, ideo nõ poſſunt ſingulæ ſine reliquis produci. Secũdò reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens: ſingulæ ſunt conditiones antecedentes ad

alias producendas, nego: concomitantes, concedo conſequentiam. Eſt dicere: non præcedit vna ex parte cauſæ ad aliam producendam; ſed ita connexæ ſunt inter ſe, vt non poſsit vna produci, quin aliæ ſimul producantur, ex quo non ſequitur mutua dependentia, qua ſe mutuo præcedant prioritate naturæ; ſed ſolum mutua dependentia, qua ſe inuicem comitentur in productione; ſi forte hæc dicenda ſit dependentia.

36 Tertium fundamentum eſt: pars equi diuiſa à reliquis amittit ſtatim animam: ergo non eſt diuiſibilis. Patet conſequentia, quia: ſi eſſet diuiſibilis, non eſſet, cur ſaltem per breue tempus non conſeruaretur pars animę reſpondens illi parti diuiſæ, ſicut conſeruatur in animalibus imperfectis. Reſpondeo 1. negando conſequentiam, cuius ratio eſt magna cõnexio, quã habent inter ſe ad ſui cõſeruationẽ partes perfectorũ animalium, quæ quidem non datur in partibus imperfectorũ. Diſparitas connexionis colligi poteſt ex experientia, qua conſtat partes imperfectorũ animalium ſeruare vitam ſeparatas, ſecus partes perfectorũ: quod aliunde prouenire nequit, niſi ex maiori harum cõnexione inter ſe, & minori illarum.

37 Secundò reſpondeo admittendo in parte equi diuiſâ conſeruari animã per aliquod tẽpus; ſed ita breuiſsimũ, vt vel nullam operationem eliciat, vel ſaltem ita debilem, vt oculis diſcerni nequeat, quia partes ſingulæ perfectorum animalium, vel ob peculiarem naturam, vel ob perfectionem ſibi innatam requirunt conſenſionem omnium aliarum partium ad proprias operationes exercendas. Quod ſi pars equi à reliquis diuiſa mouetur aliquando, talis motus tribuendus eſt ſpiritibus vitalibus ibi remanentibus, qui quidem per breue tempus motum cauſare poſſunt, vt conſtat in homine, cuius pars à reliquis abſciſſa per tempus aliquod moueri ſolet; & tamen talis motus non poteſt prouenire ab anima rationali, quandoquidem non perſeuerat in parte abſciſſa; ſed ab ſpiritibus vitalibus.

38 Quartum fundamentum eſt: ſi equus dolore afficitur in vna parte, totum corpus cõdolet, & fugit: id autẽ non ita contingeret, ſi anima eſſet diuiſibilis; quia poſſet vna pars dolorem percipere, quin reliquæ condolerent: ergo dicenda eſt eſſe indiuiſibilis. Sed contrà 1. idem contingit in animalibus imperfectis, quibus concedis animã diuiſibilem. Contrà 2. etiamſi animã ſit indiuiſibilis poteſt ſenſationem elicere in vna parte, quin in reliquis, vt patet in homine, cuius anima eſt indiuiſibilis, quiquidem elicit viſionem in oculis, & non in reliquis partibus: ergo ratio prædictæ experientiæ non eſt deſumenda ex indiuiſibilitate animæ.

39 Reſpõdeo ergo, rationẽ eius eſſe, quod ſenſatio doloris elicita in vna parte mittit ſpeciem ipſius dolo-

doloris ad ſenſum communem: hic verò appetitui proponit dolorem illum vt malum, quo propoſito appetitus odit illum, & imperat potentiæ locomotiuæ fugam, quæ propter ſympatiam, quam cum appetitu habet, elicit motum vel partis dolore affectæ, ſi is ſufficiat ad euitãdum dolorem; vel omniũ, ſi motus omnium neceſſarius ſit ad tale malum effugiendum. Quod quidem eodem modo continget, ſiue anima ſit diuiſibilis, ſiue indiuiſibilis, quia omnes partes animę diuiſibilis talem habent ſympatiam cum appetitu, vt illo imperãte motum, ſtatim exequantur ipſæ, vt cernitur in animalibus imperfectis.

40 Quintum fundamentũ eſt; quo intenſiùs operatur equus in vna parte, remiſsiùs operatur in alia: ergo idem eſt principium vtriuſque operationis, quia, ſi diuerſum eſſet, cur vno intenſe operante, aliud remiſſe operaretur? ſed ſi anima eſſet diuiſibilis, non eſſet vnum principium diuerſarum operationum in diuerſis partibus: eſt ergo indiuiſibilis. Hoc argumento vtuntur Themiſtæ; ſed æque militat contra ipſos ea ratio: quia illi adſtruunt potentias inter ſe, & ab anima realiter diſtinctas, quarum quæuis ſuas elicit operationes ſine concurſu immediato animæ, & aliarum potentiarum, v. g. viſus elicit viſionem ſine concurſu animæ, aut auditus; & è contrà; & nihilominus quò intenſiùs intendit viſus in viſionem, eò remiſsiùs intendit auditus in auditionem: ergo vel tenentur concedere Thomiſtæ, experiẽtiam adductam non pugnare cum multiplicitate partium integralium animæ; vel æque pugnare cum diſtinctione potentiarum, quam ipſi adſtruunt. Reſpõdeo ergo, ſingulas partes animæ adiuuari à cõprincipijs, quæ ſunt omnibus communia, quæ quidem, quo plùs virtutis impendunt vni parti ad propriam eius operationem, minùs impendunt alteri, & propterea quò illa intenſiùs operatur, hęc operatur remiſsiùs. Quę autẽ ſint hæc principia dicã diſp. 6. ſect. 1. vbi acturus ſum de diſtinctione potentiarum ab anima.

41 Dico 3. Animæ perfectorum brutorum de facto adſtruendę ſunt diuiſibiles, ſeu compoſitæ ex partibus integrantibus. Ita authores ſecundæ ſententiæ ſupra adductæ. Probatur: quia iuxta principium apud philoſophos ſacrũ, non ſunt multiplicandæ perfectiones ſine efficaci fundamento: ſed hìc nullum eſt efficax fundamentũ ad adſtruendas animas perfectorum brutorũ indiuiſibiles; omnia enim, quę in iſtis animalibus experimur, vt conſtat ex ſolutione argumentorum primæ ſententiæ, rectè cõponũtur cum anima diuiſibili, quæ ſecundum ſe eſt imperfectior anima indiuiſibili: vt quid ergo adſtruemus animas indiuiſibiles? Adde, quod in hac ſententia rectè, & facilè expediũtur ea, quæ pertinẽt ad nutritionẽ horum animaliũ; ſic enim viuens diſpoſitã materiã alimenti, educet ex illa nouam partẽ animæ per nouã partẽ eductionis, &

& deinde eam illi vniet per nouam partē vnionis, & ſic corruunt omnia, quæ difficilem intellectu reddunt nutritionem in ſententia adſtruente has animas indiuiſibiles.

SECTIO IIII.
An partes animæ ſint heterogeneæ?

42 PArtes, quæ ſunt diuerſæ rationis inter ſe dicuntur heterogeneæ; &, quæ eiuſdem, homogeneæ. Certum autem eſt, partes diuerſas animæ de facto elicere diuerſas operationes in diuerſis membris corporis. Eſt tamen difficultas: an id proueniat ex diuerſitate ſolum diſpoſitionum, quæ in ſingulis membris reperiuntur, vel ex peculiari natura ſingularū partium animæ determinate exigentium ex natura ſua tales diſpoſitiones, & operationes illis reſpondentes? Si dicatur primum? erunt partes animæ homogeneæ, & eiuſdem rationis: ſi verò ſecundum? erunt heterogeneæ, ac diuerſæ rationis inter ſe.

43 Prima ergo ſententia docet, partes animæ eſſe homogeneas. Ita Caiet. 2. de Ani. capit. 1. Greg. in 2. diſt. 16. q. 2. concl. 3. Durand. in 4. diſt. 42. quæſt. 2. PP. Connim. 1. de Gen. cap. 4. q. 22. art. 2. Et P. Arria. hic diſp. 1. ſect. 6. ſubſect. 2. Probatur 1. quia res diuerſæ ſpeciei neque poſſunt continuari, neque vnam animam conſtituere. Secundò, quia, ſi propter aliquam rationem deberent eſſe heterogeneæ, maxime propter diuerſitatem operationum, quas in ſingulis membris experimur: ſed hæc poteſt refundi in ſolam diuerſitatem diſpoſitionum: ergo non eſt, cur dicamus, partes animæ eſſe diuerſę rationis. Conſequētia patet: quia non ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſſitate. Minor verò probatur: quia in homine in ſingulis partibus eſt eadem anima, quæ ex diuerſitate diſpoſitionum determinatur ad diuerſas operationes. Tertio, quia ſi ex diuerſitate operationū colligeretur diuerſitas ſubſtātialis partiū animæ, mas, & fœmina eſſent diuerſę rationis ſpecificæ, quādoquidē habent operationes diuerſæ rationis.

44 Secunda ſententia docet, partes animæ eſſe homogeneas, vniri tamen materiæ per partes vnionis heterogeneas. Ita nonnulli recentiores. Quod partes vnionis ſint heterogeneæ, probant ex diuerſitate operationū ſingularum partium animalis. Quod vero partes animæ ſint homogeneæ probant: quia diuerſitas operationum ſufficienter ſaluatur ex eo, quod partes animæ vniantur per vniones diuerſę rationis, vt conſtat in homine: ergo nō eſt, cur dicamus, partes animę eſſe diuerſę rationis.

Vnio non poteſt eſſe heterogenea, ſi partes animæ ſint homogeneæ.

45 DIco primo: ſi partes animæ ſunt homogeneæ non poſſunt partes vnionis eſſe heterogeneæ reſpectu huius materiæ, cuius partes ſunt etiam homogeneæ.

neæ. Ita P. Hurt. hic diſp. 2. ſect. 8. & nonnulli recentiores. Probatur: quia vnio ſumit ſuam perfectionem ab extremis: ſed extrema per te ſunt eiuſdem perfectionis, & rationis in omnibus partibus animalis: ergo & vniones. Maior eſt certa: quia perfectio modi ſumitur à re, cuius eſt modus, vt conſtat inductione: ſed vnio eſt modus extremorum: ergo ab illis ſumitur perfectio vnionis.

46 Dices, vnionem ſumere quidem ſuam perfectionem ab extremis; at non ſolis, ſed etiam ab operationibus illorum: quia, cum vnio animæ, & corporis ſit complementum illorum in ordine ad eliciendas operationes, quæ ſunt propriæ compoſiti, poteſt dari vnio, quæ ſit complementum animæ in ordine ad vnam operationem, & alia, quæ ſit complementum in ordine ad aliam: vnde tales vniones erunt diuerſæ in diuerſis partibus corporis, etiamſi extrema ſint eiuſdem rationis in omnibus. Sed contrà: per quamlibet partem vnionis connectuntur ſubſtantialiter cum materia omnia prædicata realia animæ, quia, cùm omnia ſint vnum, & idem realiter, non poteſt vnum realiter vniri, quin reliqua vniantur: ergo per quamlibet partem vnionis complentur omnia prædicata ſubſtantialiter in ordine ad proprias operationes compoſiti. Patet conſequentia: quià nulla alià ratione vnio eſt complementum ſubſtantiale animæ in ordine ad operationes compoſiti, niſi quatenus eſt nexus prædicatorum realium ipſius animæ cum materia: ergo, cum non poſſit nectere realiter vnum prædicatum, quin nectat realiter alia cum illo identificata, nullatenus poterit animam ſubſtantialiter complere in ordine ad vnam operationem, quin eam etiam compleat in ordine ad alias, quas in ſua virtute continet.

47 Dices, vnionem poſſe determinate exigere diſpoſitiones proprias vnius operationis, & nõ alterius: vnde complebit animam in ordine ad vnam operationem, & non in ordine ad aliam. Sed cõtrà: vnio eatenus poteſt exigere diſpoſitiones alicuius operationis animæ, quatenus eſt nexus, ſeu vinculum virtutis productiuæ illius: ſed non poteſt eſſe nexus virtutis productiuæ vnius, & non alterius operationis, cum virtus omnium ſit vna realiter in anima: ergo non poteſt exigere diſpoſitiones vnius operationis, & non alterius.

48 Dices ſecundò: ſi anima vniretur incorruptibiliter materiæ, eius vnio eſſet ſpecie diuerſa ab vnione, per quam modo corruptibiliter vnitur eidem materiæ: ergo inter extrema eiuſdem rationis poſſunt dari vniones diuerſæ rationis inter ſe. Antecedens videtur certum: quia in eo caſu vnio haberet cõnexionẽ cum diſpoſitionibus inamiſsibilibus, ſicut vnio, quæ modo datur, habet cõnexionẽ cũ diſpoſitionibus amiſsibilibus: ergo ſunt ſpecie diuerſæ

tales vniones. Nego primum antecedens. Ad probationem nego primam partem antecedentis, & ſuppoſitum ſecundæ: neque enim vnio habet aliam connexionẽ cum diſpoſitionibus præter eam, quam habent extrema vnita propter rationem aſsignatam. Vnde, ſi materia, & anima ex ſe ſunt indifferentes ad diſpoſitiones amiſsibiles, & inamiſsibiles, eandem indifferentiam habebit vnio. Sit ergo certum, partes vnionis non poſſe eſſe heterogeneas, ſi partes extremorum ſint homogeneæ.

Partes animæ ſunt heterogeneæ.

49 DIco 2. partes animæ diuiſibilis ſunt heterogeneæ, & ſubſtantialiter abſimiles inter ſe. Ita P. Suar. in Meta. diſp. 15 ſect. 10. num 31. Paul. Venet. de Ani. cap. 5. Anton. And. 7. Met. quæſt. 17. Niphus 1. de Gen. tex. 26. & P. Hurt. hic diſp. 2. ſect. 5. ſubſect. 3. Sit prima, & præcipua probatio: quia non ſunt multiplicandæ perfectiones abſque neceſsitate aliqua, aut efficaci fundamento: ſed nullum eſt fundamentum ad tribuendam tantam perfectionẽ parti animæ reſpõdenti pedibus, quãtam parti reſpõdenti capiti: ergo non eſt tribuenda illi tanta perfectio, quanta iſti: ergo non ſunt dicendæ eiuſdem rationis, & perfectionis ſubſtantialis. Minor probatur: quia in parte animæ reſpondente pedibus nullam vnquam experti ſumus operationẽ, niſi propriam pedis: ergo nullum fundamentum habemus ad tribuendam illi virtutem productiuam operationum capitis. Patet conſequentia: quia non eſt, vnde colligatur virtus productiua partium animæ, niſi ex operationibus, quas eliciunt. Adde, quod iuxta hanc ſententiam recte componuntur omnia, quæ viuentibus conuenire nouimus, vt conſtabit ex dicendis.

50 Secundò probatur concluſio: quia anima realiter eſt ſuæ partes: ergo omnia prædicata realia illius conueniunt illi realiter ratione ſuarum partium: vnde, cum anima eſſentialiter ſit actus corporis organici, conueniet illi hoc prædicatum ratione ſuarum partium. Vel ergo conuenit illi determinate ratione ſingularũ ſeorſim; vel ratione omnium collectiue. Non primum: quia ſingulæ partes ſeorſim ſumptæ non ſunt actus corporis organici; alioqui quælibet poſſet omnia membra corporis informare, quandoquidem eſſet actus omnium: ergo tale prædicatum cõuenit animæ determinate ratione omnium partiũ collectiue: ſed non poteſt illi conuenire ratione omnium partium collectiue; niſi ratione vnius determinate illi conueniat eſſe actũ pedis, ratione alterius actum manus; & ratione alterius actum capitis, &c. ergo pars capiti reſpõdens determinate petit caput cõſtituere; & pars reſpondens manui determinate manum conſtituere, &c. ergo tales partes animæ ſunt diuerſæ rationis inter ſe. Patet conſequẽtia vltima; quia pars determi-

terminate exigens caput cõſtituere, determinate petit diſpoſitiones, & operationes capitis; &, quæ determinate exigit pectus conſtituere, determinate petit diſpoſitiones, & operationes pectoris, &c. ſed tales diſpoſitiones, & operationes ſunt diuerſæ rationis: ergo & partes animæ illas determinate exigentes erunt diuerſæ rationis.

51 Reſpondet P. Arria. ſuprà ſect. 1. num. 195. quanlibet partẽ animæ equi petere determinate omnes diſpoſitiones equi, verum non petere eas omnes determinate pro ſe; ſed indeterminate vel pro ſe, vel pro alijs partibus. Sed contrà: ſi quæuis pars petit omnes eas diſpoſitiones indeterminate vel pro ſe, vel pro alijs: ergo petit vnum è duobus, nempè, vel quod ipſa actu habeat omnes diſpoſitiones, vel quod reliquæ partes eas habeant: ergo quodcunque ex his illi tribuatur eſt iuxta exigentiam eius: ergo iuxta exigentiam eius erit, quod ipſa ſola informet omnes partes corporis, & operationes omnium eliciat. Ad quid ergo tot partes diſtinguis in anima equi, ſi vna ſufficit ex natura rei ad totum corpus informandum?

52 Melius reſponderi poſſet, quanlibet partem animæ equi eſſe ex ſe indifferentem ad diſpoſitiones capitis, pectoris, vel cordis, &c. eſſe tamen determinatam ad hoc, vt, ſi ipſa habeat diſpoſitiones capitis, adiungantur illi aliæ partes habentes diſpoſitiones cordis, pectoris, &c. Ex quo ſequitur, tum quod omnes partes animæ equi ſint ſimiles, & eiuſdem rationis, cum omnes ſint æque indifferentes ad omnes diſpoſitiones partiũ equi; tum etiam quod tota anima equi ſit ex ſe determinata ad omnes diſpoſitiones, & organizationes equi, quia conſtat partibus, quæ licet abſolute ſint indifferentes ad hanc, vel illam diſpoſitionẽ; ſub conditione tamen, quod hanc habeât, determinatè petunt, quod illis adiungantur aliæ partes animæ cum diſpoſitionibus ad reliquas partes equi conſtituendas.

53 Cõtra hanc ſolutionem ſic argumentor: ex ea infertur, animã equi non petere determinate, & abſolute diſpoſitiones cordis, capitis, &c. ergo non eſt abſolute, & determinate actus corporis organici, quod eſt contra communem omnium ſententiam. Sequelã probo: quia anima nullam exigentiam habet, niſi exigentiã ſuarum partium: ſed nulla pars illius abſolute, & determinate petit diſpoſitionem cordis; ſed ſolum ſub conditione, quod ipſa habeat diſpoſitionem pectoris, petit, quod alteri detur diſpoſitio cordis: ergo neque tota anima abſolute exigit diſpoſitionem cordis. Confirmatur: quia anima nihil aliud eſt, niſi omnes ſuæ partes, & vniones, quibus copulãtur tales partes: ſed in partibus non datur exigentia abſoluta diſpoſitionis cordis, vt concedis; neque in vnionibus, vt conſtat; neque in collectione omnium, quia collectio omnium non addit aliquam exigentiam ſupra

exi-

Digitized by Google

exigentiam ipſarum partium, & vnionem ſecundum ſe: ergo anima non exigit abſolute diſpoſitiones cordis, pectoris, &c. Hanc impugnationẽ late proſequitur P. Hur. ſuprà ſect. 2.

54 Dices: etiamſi partes animæ reſpondentes oſsibus ſint diuerſæ rationis à partibus animæ reſpondentibus carni; nihilominus negari nequit; omnes partes animæ conſtituentes carnem eſſe eiuſdem rationis inter ſe: ergo pars animæ carnis non eſt magis determinata ad conſtituendã carnem capitis, quam carnem pectoris: ergo dicendum eſt, vel totam animam ex ſe non petere determinate, & abſolute conſtituere carnem capitis; vel nihil probare argumentum ſuprà adductum contra oppoſitam ſententiam. Reſpondeo 1. partes carneas capitis eſſe diuerſæ rationis à partib⁹ carneis pectoris, quia habent diuerſas diſpoſitiones, & operationes.

55 Secũdò, dato antecedẽte, & primo conſequente, nego ſecundã cõſequentiã: quia, licèt nulla pars animæ carnis determinate petat cõſtituere carnẽ capitis; pars tamen animæ oſsium, neruorũ, & venarum capitaliũ exigit determinate cõiunctam eſſe carni, ſine qua non poteſt ſuas operationes exercere (idem dicito de reliquis partibus) & ideo iã datur aliqua pars in anima, ratione cuius ipſa anima determinate petat conſtituere carnem capitalẽ: penes Deum verò erit determinare, quæ pars animæ conſtituenda ſit in capite, & quæ in pectore, &c. In ſententia verò oppoſita nulla pars datur in anima, quæ determinate petat caput, aut aliud membrum conſtituere, & ideo non mirum quod tota anima non habeat determinatam exigentiam conſtituendi caput.

56 Tertiò probatur concluſio: quia pars animæ exiſtens in capite determinate petit ex ſe diſpoſitiones, & operationes capitis; &, pars animæ exiſtens in pectore determinate exigit diſpoſitiones, & operationes pectoris, quæ ſunt diuerſæ rationis á diſpoſitionibus, & operationibus capitis, & ſic de reliquis; ergo tales partes animæ ſunt diuerſæ rationis. Conſequentia patet: quia principia ex ſe determinata ad operationes, & diſpoſitiones diuerſæ rationis non poſſunt non eſſe diuerſæ rationis. Antecedens veró probatur: quia pars animæ exiſtens in capite nunquam coniungitur, niſi cum diſpoſitionibus capitis, neque alias elicit operationes niſi capitis, & ſic de reliquis: ergo ex ſe petit determinate eas diſpoſitiones, & operationes. Patet cõſequentia: quia non aliunde nouimus, ignem ex ſe eſſe determinatum ad calorem; & aquã ad frigus producendum; niſi quia ille producit ſemper calorem, iſta veró frigus, & non è contrà: ergo idem dicendum erit in præſenti.

57 Dices: experientiã conſtat, vnam indiuiſibilem animam rationalem elicere eas omnes operationes in diuerſis membris vnius corporis ratione diuerſarum diſpoſi-

poſitionum, quæ in illis repetiuntur. Ex quo quidem poteſt colligi, diuerſas partes eiuſdem animæ, etiamſi ſint eiuſdem rationis, poſſe ratione diuerſarum diſpoſitionum elicere diuerſas operationes in diuerſis membris vnius corporis; è contrà veró nunquam vidimus, vnam, & eandem formam in diuerſis compoſitis totalibus elicere diuerſas operationes ratione diuerſarum diſpoſitionum, & ideo non habemus fundamentum ad affirmandum eſſe eiuſdem rationis formas conſtituentes diuerſa compoſita elicientia diuerſas operationes. Sed contrà: in primis hæc ratio tantum probat, eſſe poſsibilem animam, quæ, cum conſtet partibus eiuſdem rationis, poſsit elicere diuerſas operationes in diuerſis membris vnius corporis ratione diuerſarum diſpoſitionum; at nón probat, dari de facto talem animã, & ideo abſolute neganda eſt, quia ſine vrgenti fundamento non eſt tribuenda parti animæ pedis, tanta virtus, quanta parti capitis tribuitur.

58 Confirmatur 1. quia, ſi nobis non conſtaret, animam rationalem omnes eas operationes de facto elicere, non concederemus eſſe productiuã illarum omnium, etiamſi includatur in compoſito in quo eliciuntur: ergo, cum non cõſtet, animam capitis equini elicere operationes cordis, imo oppoſitũ ſit certũ, dicenda nõ eſt poſſe illas producere. Confirmatur 2. ex eo, quod in quouis animali detur vnus ſenſus communis, qui modò percipit colorem, modò ſonum pro diuerſitate ſpecierum intentionaliũ, quas accipit à ſenſibus externis, nõ licèt colligere potentiam viſiuam eiuſdem animalis, quæ ſolum percipit colorẽ per ſpecies proprias coloris; & auditiuã, quæ ſolũ percipit ſonum per ſpecies proprias ſoni, non eſſe diuerſæ rationis inter ſe (loquor in ſententia diſtinguẽte potẽtias realiter ab anima) ergo ex eo quod vna indiuiſibilis anima rationalis ſit principium diuerſarum operationum in diuerſis membris vnius hominis ratione diuerſarum diſpoſitionum in illis exiſtentium, non licèt colligere partem animæ capitis equini, quæ ſolum elicit operationes capitis cum diſpoſitionibus illi reſpondentibus, & partẽ animæ cordis; quæ ſolum elicit operationes cordis cum proprijs huius diſpoſitionibus, non eſſe diuerſæ rationis inter ſe.

59 Ratio huius eſt: quia, quæ ſunt cõiuncta in ſuperioribus, ſunt diſperſa in inferioribus: vnde in rebus inferioris ordinis erunt neceſſariæ potentiæ diuerſæ rationis pro effectibus diuerſę rationis, pro quibus producendis vna potentia ſufficiat in rebus ſuperioris ordinis. Cum autem anima rationalis ſit ordinis valde ſuperioris ſupra animas brutorum, non mirum, quod vna idiuiſibilis virtus illius ſufficiat ad plures, & diuerſas operationes, ad quas in animabus brutorum plures, & diuerſæ virtutes neceſſariæ ſint.

60 Dices: anima capitis equini non

non ſolum exigit diſpoſitiones, & operationes capitis; ſed etiã cordis, quia ſine his non poteſt conſeruari: ergo ſingulæ partes habent exigentiam diſpoſitionum, & operationum aliarum, ac perconſequens omnes ſunt eiuſdem rationis inter ſe. Diſtinguo antecedens: anima capitis exigit diſpoſitiones, & operationes cordis â ſe immediate attingendas, nego: ab alia parte, cum qua petit coniungi, concedo antecedens. Itaque pars animæ capitis petit dari in eodem compoſito diſpoſitiones, & operationes cordis, ita tamen vt ipſa non petat informare partẽ habentem tales diſpoſitiones, nec tales operationes elicere: & ideo eſt diuerſæ rationis ab anima cordis, quæ petit informare partem corporis habentem eas diſpoſitiones, & deinde eas operationes elicere.

61 Obijcies: ſi partes animæ equinæ ſunt ex ſe determinatæ ad eas ſolum operationes, quas de facto eliciunt: ergo pars animæ oſſis, quæ ſolum elicit vegetationẽ, ex ſe erit determinata ad illam ſolum eliciendam; ergo erit vegetatiua tantùm: at id non poteſt concedi, quia iam erit anima plantæ, ad quam ſolam pertinet eſſe vegetatiuam tantùm: ergo, &c. Reſpõdeo 1. oſſa non ſolum elicere vegetationem; ſed etiam ſenſationẽ, vt dixi ſuprà d. 2. ſect. 5. & ideo animã illis reſpondens erit nõ ſolum vegetatiua, ſed etiam ſenſitiua. Deinde, dato, quod ſolum ſit vegetatiua, reſpondeo 2. non eſſe animam plantæ, quia hæc ita eſt vegetatiua tantùm, vt non ordinetur ad integrandum animal; anima veró oſsis ex natura ſua ordinatur ad animal integrandum.

Partes animæ ſunt ſpecie diuerſæ.

62 DIco 3. eiuſmodi partes animę ſunt diuerſæ ſpecie phyſicã. Ita P. Hurt. ſuprà ſect. 6. & 7. Probatur: quia duo requiruntur, vt formæ aliquæ ſpecie phyſicâ diſtinguãtur, nempe & quod quælibet ſit vniuoce cõmunis pluribus indiuiduis; &, quod ordinetur ad operationes, ſeu terminos ſpecie diſsidentes: ſed tales ſunt partes animæ equinæ, v. g. ergo diſsident ſpecie phyſicâ. Minor probatur; quia in primis anima capitis ordinatur ad operationes ſpecie diuerſas ab operationibus cordis; cor enim ex ſe eſt productiuum ſpirituum vitalium; caput verò ſenſationum internarum, quæ quidem ſpecie diſsident ab ſpiritibus vitalibus: deinde ratio capitis equini eſt vniuoce communis omnibus capitibus equorum ſingularium; & ratio cordis omnibus cordibus, vt conſtat: ergo pars animæ capitis, & pars animæ cordis differunt ſpecie phyſicâ: non tamen adæquatâ; ſed inadæquatâ, quia ex ſe ordinãtur ad vnum totum componendum.

63 Ex dictis facile ſoluentur argumenta adducta pro oppoſitis ſententijs. Ad 1. primæ ſententię adductum num. 43. diſtinguo maiorẽ: res diuerſæ ſpeciei adæquatæ non

non poſſunt continuari, concedo: diuerſæ ſpeciei inadæquatæ, nego maiorem. Partes autem animæ, cum ſpecie diſtinguãtur, vt probauimus, diſtingui neceſſe eſt ſpecie inadæquata, quia ex ſe ordinantur ad vnum componendum, vt vel ipſis oculis intuemur. Dices: ergo ſanguis continuatur cum partibus ſolidis corporis, cum etiam ordinetur ad integritatem ipſius corporis. Reſpondeo, eſſe de integritate ſecundaria corporis, non de primaria, vt diximus diſp. 2. ſect. 5. & ideo non debet continuari cum partibus ſolidis, quæ ſunt de primaria integritate. Vnũ eſt certum, diuerſitatem videlicet ſpecificã ſanguinis à partibus ſolidis præciſe ſumptam non eſſe in cauſa, vt cum illis non poſsit continuari.

64 Ad 2. nego minorem. Ad probationem reſpondeo, animam rationalem propter ſuam perfectionem poſſe per vnam indiuiſibilem entitatem eſſe radicem tot, ac tam diuerſarum operationum; ſecus animas brutorum, quæ propter ſuam imperfectionem habent diſperſam per ſingulas partes virtutem productiuam ſingularum operationum, & cũ hæ ſint diuerſæ rationis ſpecificæ, debent etiam eſſe diuerſę ſpeciei ſingulæ partes animæ, quibus ſingulæ illæ operationes reſpondent.

65 Ad 3. reſpondeo; marem, & fœminam eſſe in homine eiuſdem ſpeciei: quia animus rationalis, quatenus eſt ex ſe, non minorẽ virtutem habet ad prolis generationem, quã ad operationes compoſiti, quod conſtituit: ergo ſicut quiuis indiuiſibilis animus rationalis habet ex ſe virtutem ad eliciendas omnes operationes ſimpliciter neceſſarias ad integritatem perfectã compoſiti, quod conſtituit; ita etiam quiuis habebit ex ſe virtutem ad eliciendas omnes operationes ſimpliciter neceſſarias ad prolis generationem, & procreationẽ: atqui ad prolis generationem, & procreationem eſt ſimpliciter neceſſaria operatio maris, & fœminæ: ergo quilibet animus rationalis habet ex ſe virtutem ad operationem vtriuſque. Vnde quod operationes maris, ſeu fęminæ de facto eliciat, tribuendum eſt non diuerſitati ſubſtantiali ipſius animæ; ſed diuerſitati ſolum diſpoſitionum: ſicut diuerſitati diſpoſitionum, & non animæ tribuitur, quod in vna parte eliciat homo operationes capitis; in alia cordis, &c.

66 Idem iudico de reliquis animalibus, nempe quod mas, & fœmina non diſtinguantur ſpecie adhuc ſecundum quid (niſi forte ſint talia, quæ præter operationes, quæ ad prolis generationẽ, conducunt, alias valde diſſidentes habeant). Ducor in primis authoritate Ariſt. abſolute aſſerentis lib. 1. Met. cap. 12. textu. 15. marem, & fœminam non diſtingui ſpecie. Idem docet S. Thomas ibi, quibus ſubſcribunt PP. Conn. 1. de Gen. cap. 4. q. 27. art. 1. §. vltimo cum omnibus philoſophis. Deinde ratione probatur 1. quia tam in fœmina, quã in mare datur virtus productiua veri ſeminis effectiue concurrentis ad diſpo-

diſponendam materiam fœtus, & membrorum delineationẽ, ac formationem, vt diximus in lib. de Generatione diſp. 7. ſect. 1. ergo eodem modo concurrunt ad operationem præcipuam earum, quæ pertinent ad prolis generationẽ.

67 Quod verò non diſtinguãtur ratione animarum, quę minus præcipuæ ſunt, ſic probo: nam quælibet indiuidua anima equi ordinatur ex natura ſua tam ad prolem generandam, quam ad indiuiduũ equũ conſtituẽdum: ergo, ſicut ex ſe habet virtutem ad omnes operationes, quæ ſimpliciter, & abſolute neceſſariæ ſunt ad perfectam integritatem indiuidui, quod conſtituit, ita etiam debet habere virtutem ad eas omnes operationes, quæ abſolute, & ſimpliciter neceſſariæ ſunt ad prolis generationem, & procreationem: ſed operationes maris, & fœminę ſunt abſolute, & ſimpliciter neceſſariæ ad prolis generationẽ: ergo quælibet indiuidua anima habet ex ſe virtutem ad illas eliciendas. Vnde ea pars animæ ad quã ſpectat tam in mare, quã in fœmina munus generationis erit talis naturę, quę ex ſe poſsit elicere operationes maris, aut fœminæ, ſi diſpoſitionibus huius, vel illius afficiatur: & ideo mas, & fœmina non ſolũ non erunt ſpecie diſtinctæ ſimpliciter; ſed neque ſecundum quid, quia pars animæ, ad quam pertinet munus generationis, eſt eiuſdem rationis in vtroque.

68 Pro 1. ſententia adduci ſolet D. Tho. 1. p. q. 67. art. 5. ad 3. vbi ait: *Ad tertium dicendum, quod partes animalis, vt oculus, manus, caro, & os, & huiuſmodi non ſunt in ſpecie; ſed totum: & ideo non poteſt dici proprie loquendo, quod ſint diuerſarum ſpecierum; ſed quod ſint diuerſarum diſpoſitionũ*: ergo ſentit S. Doctor, partes animæ nõ eſſe diuerſæ rationis, & ſpeciei inter ſe. Reſpondeo, D. Tho. non negare inter partes eiuſdẽ animalis diſtinctionem ſpecificã incompletã; ſed ſolum completã: quia ipſe putat partes proprie, & abſolute loquendo non eſſe dicendas ſpecies; ſed ſolum partes ſpeciei. Propterea addit ibi: *Et ideo non poteſt dici proprie loquendo, quod ſint diuerſarum ſpecierũ*. Quibus verbis diuerſitatẽ aliquã ſpecificã admittit in partibus, licèt eam putet improprĩa: hęc autẽ nõ poteſt eſſe alia niſi inadæquata, quã nos adſtruimus.

69 Ad ea, quę adducuntur pro 2. ſententia conſtat ex dictis pro noſtra 1. concluſione. Sed rogas: ſi in ſigulis membris hominis, in quibus anima, & materia ſunt eiuſdem rationis, datur etiã vnio eiuſdem rationis, qua ratione poterit anima rationalis, dum tẽperamentum alicuius membri, ſeu potentię remittitur, vel diſſoluitur, illud iterum recuperare? Reſponſio eſt facilis: quia vel omnino diſſoluitur temperamentum, vel non. Si primum? nunquam illud recuperabit; quia experientiã conſtat temperamentum omnino diſſolutũ in aliqua parte corporis nunquam iterum recuperari ab anima. Si dicatur ſecundum? Iam perſeuerant

ibi

ibi aliqui gradus, qui animam determinare poſsint ad reparationẽ graduum amiſſorum.

SECTIO V.

An omnes animæ eiuſdem ſpeciei infimæ ſint æquales in perfectione indiuiduali?

70 HÆc quæſtio valde affinis eſt difficultati diſcuſſæ ſectione præcedente, & ideo in hoc loco ab authoribus agitari ſolet. Eſt verò in memoriam reuocandum id, quod diximus in lib. de Gen. diſp. 2. ſect. 1. nempe diuerſum quid eſſe æqualitatem, & ſimilitudinem: ſimilitudo enim datur inter aliqua, quando vnum eſt quaſi alterum, ſeu ad modum alterius, ęqualitas verò quando vtrunque eſt ita bonum, ſeu perfectum, vt neutrum alterũ excedat in perfectione, ſiue ſit ad modum illius; ſiue non? Hinc fit 1. poſſe dari perfectam æqualitatem inter res diſſimiles, vt contingit in relationibus Diuinis. Fit 2. poſſe abſtrahi vnam rationem communem á ſimilibus; ſecus ab æqualibus præciſe propter æqualitatem, cuius rationem dedimus citato loco. Vide, quæ ibi diximus.

71 In præſenti ergo certum eſt 1. animas eiuſdem ſpeciei eſſe ſimiles quoad prædicata ſpecifica; diſsimiles verò quoad indiuidualia. Certum eſt 2. quaſdam animas de facto eſſe accidentaliter perfectiores alijs, quia experientiâ cõſtat, eſſe coniunctas de facto cum accidentibus, & diſpoſitionibus perfectioribus. Eſt tamen difficultas: an perfectio indiuidualis omnium ſit ſubſtantialiter æqualis? Prima ſentẽtia aſſerit, animas eiuſdem ſpeciei eſſe inæqualis perfectionis indiuidualis. Ita Caiet. 1. p. q. 85 art. 7. vbi cõtra nonnullos Thomiſtas ait, hanc eſſe expreſſam mentem S. Thomæ ibi Ban. 2. de Ani. P. Rub. tract. de Plurali. Ani. q. 3. vbi plures pro ſe adducit. Ex his tamen quidam putant, animas ita eſſe inæquales, vt nulla poſsit eſſe æqualis perfectionis indiuidualis cum alia. Alij verò admittunt, poſſe inter aliquas eſſe ęqualitatem. Fundamenta huius ſententiæ ſoluentur infra.

72 Secunda ſententia aſſerit, non poſſe eſſe inæqualis perfectionis indiuidualis: ita P. Fonſeca 5. Met. cap. 28. quæſt. 16. ſect. 2. & 3. §. *Secundum verò*, & pro ſe adducit plures, ac graues authores, quibus conſentit P. Tolet. 3. de Ani. quæſt. 18. & P. Hurt. hic diſp. 2. ſect. 6. ſubſ. 4. & mihi videtur vera, & expreſſa Ariſt. ſent. 3. Met. cap. 3. tex. 11. vbi ait: *In indiuiduis vero* (eiuſdem ſpeciei) *non eſt hoc quidem prius; illud verò poſterius. Item vbicumque hoc quidem melius, hoc verò deterius eſt, ſemper prius eſt, quod melius eſt.* Vbi duo docet Ariſt. Primum inter indiuidua eiuſdẽ ſpeciei non dari prius, & poſterius. Secundũ, id, quod eſt alio perfectius, eſſe prius illo: ergo aperte ſentit, inter indiuidua eiuſdem ſpeciei nõ dari vnum perfectius alio. Idem docet S. Thom. ibi.

73 Ra-

73 Ratione etiam probatur 1. nam, ſi vna anima eſt perfectior aliâ maxime, quia ex ſe ordinatur ad diſpoſitiones perfectiores, & operationes: ſed non poteſt vna ex ſe ordinari ad diſpoſitiones perfectiores, quam alia, quin ſpecie diſtinguantur: ergo non poſſunt eſſe inæqualis perfectionis indiuidualis intra eandem ſpeciem infimã. Maior datur ab aduerſarijs. Minor probatur: nam ea, quæ ex ſe ordinantur ad terminos ſpecie diſtinctos, ſpecie diſtinguuntur inter ſe: ſed diſpoſitiones perfectiores vnius animæ ſpecie diſtinguuntur à diſpoſitionibus imperfectioribus alterius: ergo & ipſæ animæ ſpecie diſtinguentur. Maior datur ab omnibus. Minor eſt certa iuxta ſententiam, quam ſecuti ſumus diſp. 2. de Gen. ſect. 2. de inæqualitate ſpecifica graduum intenſionis: quia perfectior, ſeu imperfectior diſpoſitio reſultat ex diuerſa attemperatione primarum qualitatum: ponamus ergo diſpoſitionem perfectiorem reſultare ex attemperatione quinque graduum caloris cum tribus frigoris; &, è contrà, imperfectiorem ex quinque frigoris cum tribus caloris: atqui prima illa diſpoſitio ſpecie diſtinguitur ab hac ſecunda, quia includit aliquos gradus ſpecie diſtinctos à ſecunda: ergo perfectior diſpoſitio diſtinguitur ſpecie ab imperfectiore.

74 Dices, animam perfectiorem ordinari ad perfectiores diſpoſitiones ſecundariò, quia videlicet neceſſariæ ſunt ad eliciendas operationes perfectiores, quas primario reſpicit. Perfectiores autem operationes vnius animæ non diſtinguuntur ſpecie ab imperfectioribus alterius: nam ex eo ſolum dicitur vna perfectiùs operari, quam alia, quia citius, facilius, & abſque vllo magiſtro vnum ex alio deducit, veritatem attingit, ac ea comprehendit, quæ alia difficile, tarde, & non niſi Doctore præeunte cognoſcit: atquì cognitiones non differunt ſpecie ex eo, quod breui, vel tarde; facile, aut difficile eliciantur: ergo operationes, ad quas primario ordinatur anima perfectior, non diſtinguuntur ſpecie ab his, quas primariò reſpicit imperfectior: ergo neque animæ ex ſe ordinatæ ad has operationes diſtinguentur ſpecie; etiamſi diſpoſitiones, quas ſecundariò exigunt, ſpecie diſtinguantur, quia reſpectus tranſcendentales ſpecificari debent à terminis primarijs, non à ſecundarijs.

75 Sed contra 1. ſiue animæ ordinentur ad diſpoſitiones primariò; ſiue ſecundariò, nihilominus anima perfectior ex ſe ordinatur ad diſpoſitiones perfectiores, & eas continet in ſua virtute productiua, cum eas poſſit introducere in alimento, quod præparat ad nutritionem: ergo ex ſe eſt productiua effectus ſpecie diſtincti à diſpoſitione, quam poteſt producere anima imperfectior: ergo anima perfectior eſt virtus ſpecie diſtincta ab imperfectiori. Patet conſequentia: quia cauſæ continentes effectus ſpecie diſtinctos, ſpecie diſtin-

diſtinguuntur interſe. Confirmatur: quia, ſi ex duobus agentibus ex ſe ordinatis ad eundem finem, vnum eſſet ex ſe determinatum ad talem finem conſequendum per media ſpecie diſtincta à medijs alterius, nullus eſſet, qui negaret, ea agentia diſtingui ſpecie; quis enim diceret, duo agentia, quorum vnum eſſet productiuum quantitatis per creationem, & alterum per eductionem, non diſtingui ſpecie? ergo licet anima perfectior, & imperfectior ex ſe ordinentur ad operationes eiuſdem ſpeciei; nihilominus diſtinguentur ſpecie, quia vna ex natura ſua exequitur tales operationes per diſpoſitiones ſpecie diſtinctas à diſpoſitionibus alterius.

76 Secundò ſic argumentor contra ſolutionem ſupra adductam: quia hoc, quod eſt veritatem ex natura ſua attingere præeunte, vel non præeunte magiſtro, arguit diſtinctionem ſpecificam in potentia cognoſcitiua: ergo anima perfectior diſtinguitur ſpecie ab imperfectiori. Antecedens conſtat: quia, ſi vnum agens ex ſe peteret approximationem ad agendum in paſſo; & aliud ex ſe non peteret approximationem; vel, peteret non approximationem ad producendum eundem effectum in eodem paſſo, diſtinguerentur ſpecie, vt nullus negat: ergo idem dicendum eſt de illis potentijs cognoſcitiuis. Confirmatur: quia potentia ex ſe determinata ad producendum aliquem effectum in ſe ipſa, ſpecie diſtinguitur à potentia potente illum producere in ſubiecto extraneo; neque enim ex alia ratione potentia nutritiua ſpecie diſtingui ſolet (ab his, qui eas diſtinguunt) à generatiua animalis eiuſdem ſpeciei, niſi quia illa operatur immanenter in ſe ipſa, hæc verò tranſeuntur in alio ſubiecto: ergo potentia cognoſcitiua ex ſua natura determinata ad attingendam veritatem per ſe ſine magiſtro, ſpecie diſtinguitur à potentia cognoſcitiua ex ſe indigente magiſtro ad veritatis cognitionem.

77 Dices ſecundò: ad hoc, vt hæc prædicata ſint ſpecie diuerſa, non ſufficit, quod ordinentur ad terminos ſpecie diſtinctos; ſed eſt etiam neceſſarium, quod vnumquodque ſit commune pluribus indiuiduis. Sed contrà: quoduis ex illis prædicatis eſſet commune pluribus indiuiduis: ergo eſſet ſpecificum, ac per conſequens animæ inæquales ratione talium prædicatorum eſſent ſpecie diſtinctæ. Antecedens probatur: quia poſſent dari plures animæ ex ſe determinatæ ad operationes perfectas vt quatuor, v. gr. & aliæ ad operationes perfectas vt duo; neque enim in hoc vlla poſſet aſsignari repugnantia: ergo iam ea prædicata, per quæ animæ reſpicerent terminos ſpecie diſtinctos eſſent communia pluribus indiuiduis: ergo ſpecie diſtincta.

78 Secundò probatur noſtra ſententia: quia differentia indiuidualis comparatur ad ſpeciem in compoſitione metaphyſica, ſicut in phyſica compoſitione comparatur ſubſiſtentia ad naturam ſubſtantialem, vt dixi in Log. diſp. 7. ſect. 4. & propterea ſicut ſubſiſtentia proprie loquendo non dicitur eſſe de eſſentia ſuppoſiti; ſed complementum eſſentiæ, vt dicebamus in Phyſ. diſp. 8. ſect. 7. ita differentia indiuidualis non dicitur eſſe de eſſentia metaphyſica indiuidui; ſed complementum eſſentiæ metaphyſicæ: atqui ſubſiſtentiæ non poſſunt eſſe inæqualis perfectionis, quando naturæ ſubſtantiales, quas complent ex natura rei, non ſunt inæqualiter perfectæ: ergo neque differentiæ indiuiduales, quando prædicata ſpecifica, quæ complent metaphyſice, non ſunt inæqualis perfectionis: Ratio autem à priori huius eſt: quia differentiæ indiuiduales, & ſubſiſtentiæ non conducunt ad operationes vt principia influentia, vt de ſubſiſtentijs probauimus in Phyſ. loco cit. ſed ſolum vt conditiones complentes; hæ naturam ſubſtantialem phyſice in ſuo eſſe ſubſtantiali phyſico; & illæ metaphyſice naturam ſpecificam in ſuo eſſe ſubſtantiali metaphyſico: vnde ad eas omnes operationes conducunt, quas in ſua virtute ſubſtantiali, & ſpecifica continent natura ſubſtantialis, & ſpecifica, & nō ad alias. Cum autem natura ſpecifica animarum ex ſe contineat omnes operationes pertinentes ad talem ſpeciem, fit, vt omnia indiuidua ex ſe poſſint elicere omnes operationes pertinentes ad eam ſpeciem, ſi dentur illis diſpoſitiones ad tales operationes requiſitæ: atque adeo diſcrimen operationum, quas in diuerſis animalibus eiuſdem ſpeciei experimur, in ſolam diuerſitatem diſpoſitionum referendum eſt.

Satisfit obiectionibus.

79 Obijcies 1. cognitio repræſentans Petrum, & Paulum ſimul eſt perfectior cognitione repræſentante Petrum ſolum: at hæ cognitiones non differunt ſpecie; ſed ſolum numero: ergo inter indiuidua eiuſdem ſpeciei poteſt dari inæqualitas perfectionis indiuidualis: ergo idem poterit contingere in animabus eiuſdem ſpeciei. Minor probatur: quia prædictæ cognitiones non ordinantur ad terminos, ſeu obiecta ſpecie; ſed ſolo numero diſtincta: ergo ipſæ non diſtinguentur ſpecie; ſed ſolum numero. Conceſſa maiori propoſitione, diſtinguo minorem: non differunt ſpecie phyſicâ, concedo: ſpecie logicâ, nego minorem. Specie logicâ differre dicuntur prædicata vniuoce communia pluribus indiuiduis, ordinata tamen ad terminos ſolo numero diſtinctos: ſpecie vero phyſicâ differunt ea, quæ, cū ſint vniuoce communia pluribus indiuiduis, ordinantur ad terminos ſpecie diſtinctos. In caſu ergo obiectio-

nis

Digitized by Google

nis cognitio prima differret à ſecunda ex eo, quod illa eſſet repræſentatio Petri, & Pauli ſimul; hæc vero ſolius Petri: hæ autem rationes ita ordinantur ad terminos ſolo numero diſtinctos, vt ſint communes pluribus indiuiduis, quia plures poſſunt dari cognitiones repræſentantes Petrũ, & Paulum ſimul, & plures repræſentantes ſolum Petrum, atque adeo tales cognitiones differunt ſpecie logicâ.

80 Hæc dixerim, ſi prædicatum, quod abſtrahitur à differentijs indiuidualibus prædictarum cognitionum non tranſcendat ipſas differentias indiuiduales, quia ſi illas tranſcendit, non erit ſpecies logica; ſed prædicatum tranſcendens, & tunc vna cognitio erit perfectior aliâ non quidem ratione differentiæ indiuidualis vt omnino diſtinctæ ab alijs; ſed ratione prædicati tranſcendentis, in quo analogice conuenit cum illis cognitionibus, quas etiam tranſcendit tale prædicatum. Videantur, quæ diximus in Log. diſp. 13. ſect. 7. & 8. circa præciſionem, & analogiam entis.

81 Obijcies 2. ſi omnes animæ eiuſdem ſpeciei ſunt æquales in perfectione ſecundum ſuas differentias indiuiduales: ergo ratione differentiarum indiuidualium conueniunt in aliquo prædicato intrinſeco, nempe in hoc, quod eſt eſſe æquales in perfectione: ſed hoc prædicatum erit ſpecificum: ergo ratione differentiarum indiuidualium conueniunt in aliquo prædicato ſpecifico. In primis nego primam conſequentiam, quia ab æqualibus in perfectione intrinſeca præciſe propter talem æqualitatem, non poteſt abſtrahi vna ratio intrinſeca communis, vt diximus diſp. illa 2. de Gen. ſect. 1. Secundò, dato quod poſſit abſtrahi ab illis talis ratio, diſtinguo conſequens: ratione differentiarum indiuidualium conueniunt in aliquo prædicato intrinſeco vniuoco, nego: analogo analogiâ tranſcendentiæ, concedo conſequentiam. Vnde iam non eſſet ſpecifica ea ratio: quia ad rationem ſpeciei requiritur vniuocatio, vt diximus in Log. diſp. 8. n. 41. Tranſcenderet differentias ea ratio: quia non poſſet ita abſtrahi ab illis, vt in eis non maneret ratio entis: at, eo ipſo quod maneret in illis ratio entis, maneret bonitas, ſeu perfectio entitatiua, quæ eſt indiuiduus comes rationis entis; hæc vero non poſſet eſſe inæqualis in ipſis differentijs, cum nulla alteram excedat in perfectione entitatiua: ergo eſſet æqualis: ergo ipſæ differẽtiæ remanerent æquales in perfectione: atque adeo æqualitas ita abſtraheretur ab illis, vt in ipſis formaliter remaneret, quod eſt tranſcendere differentias.

82 Obijcies 3. animæ ſpecie diuerſæ ſunt inæquales in perfectione ſpecifica: ergo animæ numero diuerſæ ſunt inæquales in perfectione numerica. Admiſſo antecedente, nego conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt clara

Digitized by Google

ex dictis: quia animæ ſpecie diuerſæ ratione differentiæ ſpecificæ ſunt principium operationum ſpecie diuerſarum inæqualium in perfectione, atque adeo ipſæ debent eſſe inæquales in perfectione: at vero differentiæ indiuiduales animarum, qua tales, non ſunt principia aliquarum operationum; ſed ſolum conditiones complentes naturam ſpecificam in ordine ad operationes, quas ipſa poteſt elicere: cum autem natura ſpecifica ex ſe ſit ſemper eliciti ua earundem operationum, fit, vt per quamlibet differentiam indiuidualem compleatur in ordine ad eaſdem operationes, & ita non poteſt vna eſſe perfectior alia.

83 Obijcies 4. quando alicui animali ſingulari auffertur aliquid proprij temperamenti, illud poſtea reparat, ſi remoueatur agens contrarium: ergo ex eo eſt, quia forma illius eſt determinata ad illud temperamentum. Reſpondeo, duplici modo poſſe diſſolui temperamentum huius numero animalis: vel quia in illud inducuntur diſpoſitiones abſolute cõtrariæ, ſeu oppoſitæ cum forma cuiuſuis animalis; & tunc hoc indiuiduum recedente contrario recuperabit temperamentum formæ animalis, quia eius forma eſt determinata ad diſpoſitiones animalis: vel diſſolui poteſt temperamentum animalis, quia in eius materiam inducuntur diſpoſitiones diſsimiles quidem eis, quas hoc indiuiduum habebat anteà; ſimiles tamen alijs, quas habet aliud eiuſdem ſpeciei. In hoc autem caſu reſpondendum eſt ſub diſtinctione: quia vel diſpoſitiones diſsimiles ita introductæ ſunt, vt diſſoluatur omnino temperamentum præexiſtens; & ſic non ſe reducet iterum hoc viuens ad temperamentũ antiquum; quia cum nouo poteſt conſeruari, & non petit ex ſe vnum potius, quã aliud: vel ita introductæ ſunt eæ diſpoſitiones, vt non diſſoluatur omnino temperamentum præexiſtens; ſed perſeueret in ea parte materiæ, vel in aliqua proxima aliquid habens connexionem cũ priori temperamento; & in hoc caſu anima ratione illius habentis connexionem cum priori temperamento determinabitur ad huius reparationem.

84 Obijcies 5. S. Thomam in 1. diſt. 8. quæſt. 5. art. 2. ad 6. & in 2. diſt. 21. quæſt. 2. art. 1. ad 2. & diſt. 32. quæſt. 2. art. 2. ad 3. in quibus locis & animabus tribuit inæqualitatem perfectionis indiuidualis; & eam colligit ex diuerſa perfectione temperamenti: propter quod Caiet. 1. p. q. 85. art. 7. ait cæcos eſſe illos qui non vident hanc opinionem eſſe S. Thomæ. Reſpondeo S. Thomã pluribus alijs in locis inclinari in oppoſitam ſententiam, quia 3. part. quæſt. 69. art. 8. ad 3. ait in hominibus diuerſam capacitatem naturalium non ex diuerſitate mentis; ſed ex diuerſa corporum diſpoſitione oriri. Et idem deducitur ex diſput. quæſt.

de

de Spirit. creat. artic. 8. & ex quo lib. 3. artic. 6. Propter quæ Dominicus Soto vnus ex nobilioribus Thomiſtis reſpondet Caietano ſe eſſe vnum ex illis cæcis, qui non vident oppoſitam ſententiam eſſe D. Tho. Itaque mens Doctoris Angelici eſt dubia, & eius diſcipuli diuerſa ſentiunt circa illius opinionem.

DISPVTATIO IIII.

De ratione Corporis prout diſtinguitur contra ſpiritum.

1 DIſputatione præcedente vidimus probari à nõnullis, diuiſibilitatem animarum brutorum ex earũ materialitate, & corporeitate; &, indiuiſibilitatem animæ rationalis ex eius ſpiritualitate. Examinandũ ergo in preſenti eſt, in quo nam conſiſtant ratio corporis, & ratio ſpiritus prout interſe diſtinctæ? Vt inde conſtet, quã vim habeat prædicta ratiocinatio. Sub nomine autem corporis n ſolum comprehenduntur quãtitas, materia prima, & forma ſubſtãtialis corporea; ſed etiam omnia accidentia, quæ corporea nuncupari ſolent.

SECTIO I.

Nonnullæ ſententiæ reffelluntur.

2 PAter Hurt. hic diſput. 2. ſect. 3. ſubſ. 4. docet, rationem corporis conſiſtere in hoc, quod eſt eſſe diuiſibile in partes extenſionis. Putat pro ſe ſtare S. Auguſtin. & Angelicum Doctorem; ſed infra videbimus, quo iure, deinde ſubſ. 5. numer. 75. refert pro ſe P. Vazq. to. 2. in 1. p. diſp. 188. num. 30. Probat. 1. quia nulla ratio eſt, vnde probetur, animam rationalẽ eſſe indiuiſibilem, niſi quia ſpiritualis eſt; hæc autem probatio futilis profecto eſſet, ſi dari poſſet ſpiritus diuiſibilis in partes extenſionis. Secundò, quia ex his, quæ experimur in omnibus corporibus, & ſpiritibus debem⁹ colligere rationem formalem, & corporis, & ſpiritus: atqui omnia corpora, quæ hucuſque nouimus, cõſtãt partibus extẽſionis; ſpiritus verò illas non habent: ergo in hoc conſtituenda eſt ratio corporis, & ſpiritus.

3 Hæc tamen ſententia admittenda non eſt. Primo: quia nõ pugnat cum ſpiritu diuiſibilitas quoad intenſionem: ergo neque quoad extenſionem. Probo conſe. quia ideò dicimus nõ pugnare cũ ſpiritu diuiſibilitatẽ quoad intenſionẽ, quia datur qualitas ſpiritualis, gratia habitualis v.g. quæ poteſt fieri maior in eodem ſubiecto: ſed Angelus, qui eſt res ſpiritualis poteſt fieri præſens

 ſpatio

Digitized by Google

ſpatio diuiſibili maiori, aut minori, prout libuerit, vt concedit ipſe P. Hurt. ergo poteſt habere præſentiam conſtantem partibus, per quas diuerſis partibus ſpatij maioris, aut minoris reſpondeat: atqui talis præſentia eſt ſpiritualis, vt concedunt omnes, deinde eæ partes, quibus conſtare debet, ſunt partes extenſionis, quia, licèt in eodem indiuiſibili ſubiecto recipiãtur; tamen reſpondent diuerſis partibus ſpatij: ergo datur res ſpiritualis conſtans partibus extenſionis.

4 Reſpondet P. Hurt. Angelum eſſe præſentem ſpatio diuiſibili per præſentiam quandam indiuiſibilem, quæ ſecundum ſe totam reſpondet toti ſpatio, & ſecundum ſe totam cuilibet parti ſpatij, ſicut ipſe Angelus. Dum autem fit de nouo præſens maiori ſpatio, docet tunc corrumpi præſentiam præexiſtentem, & produci nouam aliam indiuiſibilem, per quam fiat præſens illi maiori ſpatio, & idem dicit fieri, quando Angelus mouetur ſucceſsiuè per ſpatium diuiſibile. Sed contrà: intenſio qualitatis adhuc ſpiritualis non fit per aduentum gradus indiuiſibilis perfectioris, & corruptionem imperfectioris, vt multis probas diſput. 5. de Gen. ſect. 1. ergo neque extenſio Angeli ad maius ſpatium fiet per productionem præſentiæ indiuiſibilis reſpondentis maiori ſpatio, & per corruptionem præexiſtentis, quæ minori ſpatio reſpondebat. Nam, ſi non pugnat cum ſpiritu qualitas ſpiritualis conſtans gradibus diſtinctis; per quorum ſingulos noua virtus, & perfectio accreſcat ſubiecto; cur pugnabit præſentia ſpiritualis cõſtans partibus, per quarum ſingulas reſpondeat Angelus ſingulis partibus ſpatij.

5 Secundò impugnatur prædicta ſententia ad hominem: quia ipſe P. Hur. in Phyſ. diſp. 5. ſect. 7. ſubſ. 2. docet, dari in homine duas vniones; vnam materialem, per quã materia vnitur animo rationali; aliam ſpiritualem, per quã animus rationalis vnitur materiæ, & vtramq; dicit eſſe de eſſentia hominis. Sic igitur argumentor: vnio ſpiritualis animi rationalis debet habere partes extenſionis: ergo non repugnant cum ſpiritu partes extenſionis. Probatur antecedens: quia per nutritionẽ vnitur denuo animus rationalis materiæ alimenti: non per vnionem, per quã vnita erat præexiſtenti materiæ, quia ea vnio erat modus ſolius materiæ præexiſtentis: ergo per nouam partem vnionis, quæ quidem erit pars extenſionis, quia per illam extenditur animus ad informandam nouam partẽ materiæ: ergo vnio ſpiritualis animi rationalis habet partes extenſionis.

6 P. Hurt. ſubſ. 4. num. 79. reſpondet 1. huic rationi, corrumpi totam vnionem antecedentẽ, & produci aliam totalem indiuiſibilem, per quam animus denuo

denuo indiuiſibiliter vnitur & parti materiæ elementi, & materiæ præexiſtenti. Sed contra 1. ex hoc inferretur nutritionẽ non eſſe actionem propriam hominis, ac per conſequens hominem vt hominem non eſſe vegetatiuum. Sequelam probo: quia in priori naturæ ante hanc actionem non ſupponitur homo: ergo talis actio non prouenit ab homine. Antecedẽs probatur: quia in eo priori non ſupponitur animus vnitus materiæ; neque enim ſupponitur vnitus per vnionem, quæ producitur per nutritionem, quia iam eadem vnio ſupponeretur ad ſe ipſam; neque per vnionem aliquam antecedẽtem; quia in eodem inſtanti eſſet vnitus eidem materiæ per duas vniones totales: ergo animus non ſupponitur ad nutritionem vnitus materiæ. ergo neque ſupponitur homo ad nutritionem, quia in tua ſententia homo non ſolum includit eſſentialiter vnionem materiæ cum animo; ſed etiam vnionem animi cũ materia. Confirmatur: nam ex eo Ariſtot. 5. Phyſic. docuit, compoſitum non moueri per generationem ſubſtãtialem, quia fit per ipſam: ſed iuxta prædictam ſententiam homo fit denuò per nutritionem, cum per illam vniantur adæquate partes eſſentiales illius: ergo iuxta eam ſententiam homo non mouetur per nutritionem.

7 Secũdò inferretur aperte, nutritionem non eſſe actionem vitalem, quod nõ admittis. Sequelam probo: quia de ratione actionis vitalis non ſolum eſt, quod ſit immanens; ſed etiam quod procedat à principio completo in ſuo eſſe ſubſtãtiali, & virtute operatrice, vt probabimus diſp. ſeq. ſed nutritio nõ prouenirer ab anima completa in ſuo eſſe ſubſtantiali, & virtute operatrice: ergo non eſſet actio vitalis. Minorẽ probo: quia anima cõpletur in ſuo eſſe ſubſtãtiali, & virtute operatrice per informationem: ſed nutritio per te non prouenit ab anima vt informante: ergo non prouenit ab anima completa in ſuo eſſe ſubſtantiali, & virtute operatrice.

8 Parum fidens P. Hurtad. prædictæ ſolutioni aliã aggreditur haud ſecuriorem: dicit enim, animam rationalem eſſe vnitam toti minimo naturali per vnionem quandam indiuiſibilem. deinde in nutritione ſe vnire materiæ alimenti per aliam vnionem indiuiſibilem adæquate diſtinctam à præexiſtente; ita tamen vt vnio, quam habet cum minimo naturali, ſemper inuariata maneat, ea verò, quam acquirit per nutritionem, totaliter varietur denuò, quotieſcunq; pars noua materiæ coniungitur homini.

9 Impugnatur 1. hæc ſolutio: quia in primis ex ea infertur, hominem non fieri maiorem per nutritionem: ad id namque neceſſarium eſt, quod partes denuo aduenientes illi vniantur: at iuxta ſolutionem prædictam partes

per nutritionem acquiſitæ non vniuntur homini præexiſtenti: ergo non fit maior per nutritionem. Maior datur ab omnibus. Minor vero probatur: quia pars hominis denuo producta includit eſſentialiter materiam, formam, & vnionem: ſed vnio eius perſe non vnitur cũ vnione præexiſtẽte: ergo non vnitur ea pars ſecundum ſe totam; ſed ſolum ſecundum materiam: ergo per illius productionem non fit homo maior; ſed ſolum eius materia.

10 Secundò, ex prædicta doctrina inferretur, animam rationalem habere defacto ex natura rei duplicem præſentiam totalem in diuerſis partibus ſpatij: hoc non eſt concedendum: ergo neque illud. Sequelam probo: quia ad hoc, vt ipſa anima producat vnionem ſui cum materia alimenti, neceſſarium eſt, quod præcedat approximata illi per præſentiam, qua eſt præſens ſpatio materiæ præexiſtentis, cui vnita præcedit; deinde in eodem inſtanti, in quo vnitur materiæ alimenti fit præſens ſpatio illius, quia ex natura rei non poteſt eſſe vnita materiæ, quin ſit in eodẽ loco cum ipſa materia, vt concedunt omnes: ergo in eo inſtanti habebit duplicem præſentiam, vnam, per quam fiat præſens ſpatio materiæ præexſtentis; alterã, per quam fiat præſens ſpatio materiæ denuo acquiſitæ, atqui hæ per ſe non conſtituunt vnam integram præſentiam, quia, cum ſint ſpiritales non poſſunt vniri tanquam partes: ergo ſunt duæ præſentiæ totaliter diſtinctæ, atque adeo anima habebit ſimul ex natura rei duas præſentias totales.

11 Nonnulli recentiores aliã iniere viam: docent enim, corpus eſſe quidquid intrinſece pendet à quantitate ſiue virtuali, ſiue formali. Quantitatem formalem vocant eam, quam communiter vocamus quantitatem, accidẽs videlicet, quod ratione ſui eſt impenetrabile cũ alio; virtualem vero quantitatẽ vocant id, quod taliter annectitur quãtitati formali, vt impenetrabilitatem aliquo modo ab ea accipiat. Sed hi authores, licet propiùs ad veritatem accedant; illam tamen non attingunt omnino: quia, ſi ratio corporis conſiſtit in dependentia à quantitate, ipſa quãtitas non erit corpus, cum nõ dependeat à ſe ipſa. Dicunt dependere â materia prima, quæ eſt quantitas virtualis.

12 Sed contrà: materia prima eſt corpus per ſe, quia dependet à quãtitate formali: deinde addis quantitatem formalem eſſe corpus, quia pendet à materia prima: ergo committis circulum in redenda ratione corporeitatis materiæ, & quantitatis. Deinde, ſi materia prima, & alia accidentia corporea, ſunt corpus, quia connexa cum quantitate: ergo quantitas erit corpus per ſe ipſam, & non per dependentiam ab alio: qua enim ratione tribuet alijs ſe ipſâ rationem corporis, ſi

ſi ſe ipſa non eſt corpus, ſeu ratio corporis? Secundò, hi abutuntur nominibus: nam id ſolum poteſt dici quantitas virtualis, quod in ſua virtute continet quãtitatem formalem; ſicut calor virtualis ſolum dicitur id, quod in virtute ſua continet calorem, &c. atqui ij authores vocant quantitatem virtualem, quidquid connexum eſt cum qantitate formali, etiam ſi illam in ſua virtute non contineat: ergo abutuntur nomine quantitatis virtualis.

13 Alij deniq; conſtituunt rationem corporis in eo, quod ſit materia, aut aliquid à materia dependens. Sed hoc etiam eſt falſum: quia nõnulla dantur corpora, quæ nec materia ſunt, neque à materia proximè, ſeu remote pẽdent, vt eſt actio, qua Deus miraculoſe crearet albedinem, quæ in ſententia omnium eſt corporea; & tamen non dependet à materia, quin potius albedinem facit independentẽ ab illa. Aliæ ſententiæ ſolent adduci eiuſdem farinæ; ideo eas omitto, quia ex dictis facilè impugnari poſſunt.

SECTIO II.
Vera ſententia exponitur, & probatur.

14 EXiſtimo ergo, rationẽ corporis ſecundũ totam ſuam latitudinem explicandã eſſe per impenetrabilitatem. Itaque corpus in tota ſua latitudine eſt: ***Id, quod ex natura rei eſt impenetrabile cum aliquo alio proximè, vel remote, ſeu affectio intrinſeca rei impenetrabilis.*** Hanc ſententiam tenuit. P. Vſon, qui optimè eam explicuit, eamdem fere tenet P. Arriag. hic diſput. 1. ſect. 4. ſubſ. 6. neque ab ea diſſentiunt Thomiſtæ; quia, cum ipſi aſſerãt, animas brutorum (quæ corporeæ ſunt in ſententia omnium) eſſe indiuiſibiles, non poſſunt rationem] corporis conſtituere in diuiſibilitate, atque adeò recurrere debent ad impenetrabilitatem explicatur. Ergo definitio tradita. Impenetrabile proxime ex natura rei cum aliquo alio voco id, quod per ſuam entitatẽ ita reſiſtit, ne illud aliud in eundem locum inducatur, vt vi agentium naturalium induci nequeat. Talis eſt quantitas, quæ ex natura rei ſe ipſa pellit à ſuo loco quãcumque aliam quantitatem. Id vero dicitur ex natura rei remotè impenetrabile, quod adeô eſt intime vnitum quantitati extenſæ, vt vi agentium naturalium ab illa dimoueri nequeat. Vnde fit, quod, ſicut quantitas extenſa non poteſt naturaliter penetrari cum alia quãtitate, aut cum rebus intime vnitis alij quantitati; ita etiã neque poſsit naturaliter penetrari cum eiſdem id, quod eſt intime vnitum ipſi quantitati. Denique *affectio intrinſeca rei impenetrabilis* dicitur id, quod ita afficit rem proximè, aut remotè impenetrabilem, vt ex natura rei debeat eſſe in eodem loco cum illa.

Digitized by Google

15 Sic ergo explicata definitio tradita probatur: quia ea eſt bona explicatio corporis, quę illud ſeparat ab his, quæ in ſententia omnium ſunt ſpiritus, & propterea conuenit omnibus, quæ in ſententia omnium corporea ſunt: ſed talis eſt definitio corporis à nobis tradita: ergo eſt bona. Minorẽ probo, & 1. quod conueniat omnibus rebus corporeis: quia nihil inuenitur corporeum, quod non ſit vel quantitas, vel ita connexum cum quantitate extenſa, vt non poſſit ab ea naturaliter ſeparari; vel quod non ſit affectio intrinſeca aut ipſius quãtitatis, aut illius, quod à quantitate nequit naturaliter ſeparari, vt inductione conſtabit: atqui hæc omnia continentur in noſtra definitione; quia per priorem particulã comprehenditur quãtitas, quæ eſt proxime impenetrabilis ex natura rei; per ſecundam ea omnia, quę ita connectuntur cũ quantitate extẽſa, vt ex natura rei ab illa dimoueri nequeãt, quę quidem eo ipſo dicuntur impenetrabilia remote: per poſteriorem vero particulam comprehenduntur nonnulla, quę licet ex ſe poſſint penetrari; tamẽ ita afficiunt quantitatem, ſeu ea, quę naturaliter non poſſũt à quãtitate extẽſa ſeparari, vt ſemper in eodem loco cum illis eſſe debeãt: ergo omnia, quę corporea ſunt continẽtur in ea definitione: neque enim quidquam aliud corporeum eſſe dicitur, vt conſtabit ex ſequentibus.

16 Iam, quod per eãdem definitionem ſeparetur corpus ab ſpiritu, facile ſuaderi poteſt: quia quidquid in ſententia omnium eſt ſpiritus, eſt ex ſe penetrabile cũ quocunq; alio; neque enim vllo modo impedit, ne aliud in eius locũ inducatur; quin potius omnia, licèt corporea ſint, in propriũ locum admittit, & facile ſe inſinuat in eorũ locũ. Hinc Theologi probant dæmones eſſe ſpiritus, cũ integrã eorum legionẽ vnum corpus exceperit, vt conſtat ex ſacra Pagina. Hinc palpari, & tangi non poteſt ſpiritus, quia id ſolum, quod aliud non admittit in proprium locum, tangi, & palpari poteſt: & propterea Chriſtus Dominus Lucæ 24. vt verum ſe habere corpus diſcipulis ſuaderet, *Palpate* (inquit) *& videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*: ac ſi diceret, ſi ſpiritus eſſem, tangi, & palpari non poſſem; quia manui applicatę cederem, vt in meũ locum ſe inſinuaret: ergo de ratione ſpiritus eſt eſſe penetrabilem: ergo per impenetrabilitatem ſecernitur corpus ab ſpiritu. Adde etiam, per hoc, quod eſt eſſe affectionem intrinſecam rei impenetrabilis; quia ſpiritus ex natura ſua non eſt affixus rei impenetrabili taliter, vt ex natura rei ab illa ſeparari nequeat.

17 Sed age iam: Euoluamus ſingula, quę corporea ſunt: vt inde clarius conſtet, ea omnia definitione noſtra comprehendi.

hendi. In primis comprehenditur quantitas, materia prima, & omnia accidentia, quæ ex natura rei ſubiectantur in quantitate, ſeu materiâ extenſâ (quæ quidem in ſententia omnium corporea ſunt) quia quantitas eſt proxime impenetrabilis ex natura rei; reliqua verò remotè, quandoquidem ita affixa ſunt quantitati extenſæ, vt vi agentium naturalium ab ea dimoueri nequeant. Secundô comprehenditur præſentia definitiua corporis Chriſti Domini in Euchariſtia, quia, licèt hæc iuxta ea, quæ diximus in Phyſic. diſputatione 22. ſectione 6. & penetrabilis ex ſe ſit, & corpus Chriſti Domini penetrabile reddat; tamen eſt affectio intrinſeca rei impenetrabilis, quia ex natura ſua petit intime vnitam eſſe corpori Chriſti Domini, quod eſt impenetrabile ex natura rei.

18 Tertio comprehenditur creatio materiæ primæ formæ ſubſtantialis materialis, albedinis, & aliarum qualitatum materialium. Ratio eſt: quia creatio talium entitatum debet ex natura rei eſſe ſimul cum quantitate: ergo ex natura rei eſt impenetrabilis remote. Antecedenes probatur: nam quæuis ex illis entitatibus, adhuc quando eſt producta per creationem, petit ex natura rei eſſe ſimul cum quantitate: ergo, & ipſa creatio earum. Conſequentia patet; quia quæuis actio debet eſſe in eodem loco cum ſuo termino, vt concedunt omnes. Antecedens, quod attinet ad materiam primam, eſt certum: de alijs verò facile probatur: quia tam forma ſubſtantialis, quam albedo, & aliæ qualitates materiales ex natura ſua petunt intime vniri materiæ habenti quantitatem, vt cum illa ſuum effectum formalem conſtituant: ſed vnio hæc non poteſt impediri per creationem: ergo, adhuc poſitâ creatione, debetur illis talis vnio: atqui, eo ipſo quod detur illis vnio cum materia habente quantitatem, nō poſſunt penetrari ex natura rei, quia res intime vnita materiæ habenti quantitatem eundem locum occupare debet cum quantitate: ergo, adhuc quādo ſunt productæ per creationē, ſunt impenetrabiles ex natura rei, ac per conſequens & ipſa creatio earum, quæ illas comitari debet quoad locum, erit impenetrabilis ex natura rei.

19 Iam, quod vnio talium formarum cum materia habente quantitatem non impediatur per creationem, eſt certum: quia, cum creatio ex ſe ſolum ſit productio termini independenter à ſubiecto receptionis, ex ſe ſolum excludit ex natura rei id, per quod terminus produceretur dependenter à ſubiecto receptionis: atqui vnio albedinis cum materia non eſt id, per quod ipſa albedo producitur dependenter ab ipſa materia, quia ad

id

Digitized by Google

id datur eductio quædam diſtincta realiter ab vnione, vt diximus in Phyſ. diſput. 5. ſect. 2. ergo creatio albedinis non excludit vnionem ipſius albedinis cũ materia; ſed ſolum eductionem: ergo ex natura rei petit coniungi cum albedine vnita materiæ habenti quantitatem, ac per conſequens ex natura rei erit impenetrabilis remote; ergo comprehenditur definitione à nobis traditâ.

20 Id, quod diximus de creatione cuiuſcunque formæ materialis, dicendũ eſt de modo perſeitatis eiuſdem formæ materialis, albedinis v. g. ſeparatæ à ſubiecto (ſi talis modus eſt poſſibilis) quia, ſicut creatio albedinis non opponitur vnioni; ſed ſolum eductioni ipſius albedinis ex ſubiecto; ita etiam ille modus perſeitatis, ſi eſt poſsibilis, non debet opponi eductioni; ſed ſolum vnioni albedinis cum ſubiecto: ergo, ſicut, poſitâ creatione albedinis, non impeditur ex natura rei vnio ipſius albedinis cum materia; ſed ſolum eductio: ita etiam poſito modo perſeitatis non impedietur ex natura rei eductio albedinis ex materia; ſed ſolum eius vnio: atqui, poſitâ eductione albedinis, ipſa albedo, & quidquid ex natura rei eſt illi intime vnitum, eſt impenetrabile ex natura rei: ergo modus perſeitatis albedinis, qui debet eſſe intime vnitus ipſi albedini, vt nullus non fatetur, erit impenetrabilis ex natura rei. Minor eſt certa: quia non poteſt albedo educi ex materia, quin ſit in eodem loco cum illa: eo autem ipſo quod ſit in eodem loco cum illa erit in loco quantitatis afficientis ipſam materiam, vt notum eſt: ergo non poterit penetrari cum alia quantitate, aut cum re intime cõiuncta alij quãtitati; ac per conſequens erit remote impenetrabilis ex natura rei eo modo, quo requiritur ad rationem corporis.

21 Dices: modus perſeitatis non datur niſi rebus productis per creationem tanquam vltimus terminus illarum: ergo ex ſe non poteſt coniungi formæ productæ per eductionem: ſed, eo ipſo quod ex ſe non poſſit coniungi cum forma producta per eductionem, non erit impenetrabilis ex natura rei: ergo &c. Diſtinguo primum antecedens: modus perſeitatis non datur naturaliter niſi formis productis per creationem, concedo: non datur ſupernaturaliter, niſi iſtis formis, nego antecedens. Cum autem ipſe non opponatur immediate, niſi vnioni termini, quem afficit, fit, quòd, quando ſupernaturaliter datur formæ petenti eductionem è ſubiecto, ſolum debet excludere ex natura rei modum vnionis, non vero eductionem, quam forma petit ex natura rei. Vnde, ſi ſeruentur iura talis formæ dabitur illi ex natura rei eductio adhuc inconſortio

ſortio modi perſeitatis, ac per conſequens talis modus erit impenetrabilis ex natura rei iuxta ea, quæ diximus. Adde, tam creationem albedinis, quam modum perſeitatis illius comprehendi etiam in vltima particula definitionis corporis, quia ſunt affectiones intrinſecæ albedinis impenetrabilis remote ex natura rei, & idem eſt de creatione, & modo perſeitatis aliarum formarum materialium.

22 Ex dictis infertur primò, vnionem animæ rationalis cum materia corporea debere eſſe corpoream: quia vnio animæ rationalis cum materia corporea ex natura rei debet eſſe in eodem loco cum illa; ſed materia corporea ratione quantitatis, cui ex natura rei eſt coniuncta, eſt impenetrabilis: ergo & vnio animæ cum ipſa materia: ergo talis vnio eſt corporea. Dices: ea vnio ſubiectatur in anima ſpirituali: ergo ſpiritualis eſt. Iam probaui in Phyſ. diſput. 5. ſect. 4. omnem vnionem formæ cum materia ſubiectari in ſola materia. Sed quidquid ſit de hoc, eo ipſo quod talis vnio ſit nexus animæ cum materia, debet eſſe ex natura rei in eodem loco cum ipſa materia: eo autem ipſo quod eſſe debeat ex natura rei in eodem loco cum ipſa materia, debet eſſe impenetrabilis ex natura rei: ergo & corporea. Et quidem ex nullo alio capite probari poteſt productionem ipſius materiæ (quæ, cum ſit creatio nullum habeat ſubiectum receptionis, vt diximus in Phyſ. diſput. 15. ſect. 3.) eſſe corpoream, niſi, quia ita afficit illam, vt eam comitari debeat quoad locum: ergo, cum vnio animæ rationalis cum materia ita afficiat ipſam materiam, vt debeat eſſe in eodem loco cum illa, neceſſarium eſt, quod ſit corporea, ſiue ſubiectetur in materia, ſiue non.

23 Secundò infertur, animam rationalem non eſſe corporeã; quia, licet ex natura ſua peteret eſſe ſemper vnitam cũ materia prima (quod, an ſit verum? videbimus diſput. vltim.) at diſſolui poteſt talis vnio vi agentium naturalium, & ea diſſoluta poteſt anima ex natura rei cũ quauis entitate penetrari: ergo anima rationalis ex natura rei eſt penetrabilis: ac per cõſequens nõ corporea; ſed ſpiritualis. Dices: anima rationalis non poteſt penetrari, niſi ſeparata ſit à materia: at ſeparatio à materia illi contingit cõtra propriã exigẽtiã: ergo, & penetratio eſt contra propriã eius exigentiam: ergo nõ eſt naturalis, ac per conſequens ipſa anima non eſt naturaliter penetrabilis. Quidquid ſit de minori propoſitione, ac de primo cõſequenti (de quo diſput. vltima) diſtinguo vltimum conſequens: penetratio animæ non eſt naturalis, ſi naturale ſumatur, vt opponitur violento, do: ſi ſumatur, prout opponitur ſupernaturali, nego conſequentiam.

Ad

Ad rationem autem ſpiritus neceſſarium non eſt, quod ſine violentia penetrari poſsit; ſed ſolum, quod id fieri poſsit vi agentium naturalium abſque vllo miraculo, ſiue ſit iuxta, ſiue ſit contra exigentiam ipſarum rerum, quod quidem nullatenus conuenit rebus corporeis, quæ nulla vi agentium naturalium penetrari poſſunt, & ideo conſulto dixi in definitione: *Id, quod ex natura rei eſt impenetrabile*, hoc eſt, vi agentium naturalium.

SECTIO III.

Soluuntur obiecta.

24 EX dictis ſectione præcedenti facile ſoluũtur rationes adductæ pro ſententia P. Hurt. Ad primum conſtat, indiuiſibilitatem animæ non recte probari ex eius ſpiritualitate, & propterea eam aliunde probauimus ſupra diſput. 3. ſect. 1. Ad ſecundum dico, minorem propoſitionem, nempe omnia corpora, quæ hucvſque nouimus, conſtare partibus extenſionis; ſpiritus vero illis carere, eſſe falſam: tum quia punctum quantitatis eſt corpus in ſententia omnium, & tamen non habet partes extenſionis; deinde animæ perfectorum brutorum, quæ etiam ſunt corporeę, ſunt indiuiſibiles iuxta probabilem opinionem Thomiſtarum: tum etiam quia in præſentia ſpirituali Angeli concedendæ ſunt partes extenſionis, vt ſupra probauimus, & expreſſe concedit P. Suar. 2. Meta. diſp. 40. ſect. 1. num. 11.

25 Obijcitur 1. S. Auguſtin. Epiſt. 28. vbi præmiſsis alijs acceptionibus corporis, eiſque reiectis, vt probet, animam rationalem abſolute non eſſe corpus, hæc habet: *Porrò ſi corpus non eſt, niſi quod per loci ſpatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita ſiſtitur, vel mouetur, vt maiori parte maiorem locum occupet, & breuiori breuiorem, minuſque ſit in ſpatio, quam in toto; non eſt corpus anima.* Vbi rationem corporis in eo ponit, quod habeat partes, quarum maior plùs ſpatij, quàm minor occupet: ergo ſentit, rationem corporis conſiſtere in diuiſibilitate partium extenſionis. Reſpondeo, S. Auguſtin. hìc loqui, non de corpore in tota ſua latitudine, prout condiſtinguitur contra ſpiritum; ſed de corpore quantitativo conſtante partibus ex natura ſua impenetrabilibus. Id conſtat ex ipſis verbis adductis, & ex contextu; quia verbis adductis ait, corpꝰ eſſe, quod maiori parte maiorem occupat locum, & minori minorem: atqui id ſolum conuenit corpori habenti partes, quæ penetrari nequeunt; nam totum, cuius partes penetrari poſſunt, habere poteſt magnam partem; imò & omnes ſuas partes in breuiſsimo ſpatio, ſeu in puncto: ergo loquitur Auguſt. expreſſe de corpore

pore conſtante partibus ex natura rei impenetrabilibus: & propterea ſubiungit paulo inferius: *Quapropter ſi anima corpus eſſe dicenda eſt, non eſt certe corpus, quale terrenum, aut aereum, &c. Omnia quippe talia maiora ſunt in maioribus locis, & minora in minoribus, & nihil eorum in aliqua ſui parte totum adeſt*: ergo ſolum loquitur S. Doctor de corpore quantitatiuo, cuius partes non poſſunt penetrari ex natura rei. Nec mirum eſt Auguſtin. meminiſſe partium impenetrabilium, cum nullum corpus viderit impenetrabile, quod non conſtet partibus.

26 Obijcitur 2. lib. 2. de Incarn. in medio, qui habetur tom. 4. vbi ait: *Impoſſibile namq; eſt de incorporeo diuiſionem aliquam fieri*: ergo ſentit, de ratione rei ſpiritualis eſſe nō habere partes extenſionis. Reſpondeo S. Auguſtinū prædictis verbis non negare partes extenſionis in re ſpirituali; ſed ſolum tales partes, quarum vna poſsit ab alia ſeparari ex natura rei. Id colligo ex ipſo contextu, quia in eo loco Auguſtin. probabat, in Chriſto Domino eſſe totam Deitatem, & non partem aliquam Deitatis à Patre Æterno diuiſam. Id autem non probat ex eo, quod incorporeum non habeat partes, neque meminit partium; ſed ſolum ex eo, quod non poſſit diuidi, ex quo recte concludit non eſſe in Chriſto Domino aliquam partem Deitatis tantum. Sed dices: ſi incorporeum habeat partes, non erit, cur non poſſit vna ab alia ſeparari. Reſpondeo, ex natura rei non poſſe ſeparari iuxta mentem Auguſtini. Cum autem Deus non poſſit in ſe ipſo ſupernaturaliter operari id, quod illi repugnat ex natura rei; recte conuincebat Auguſtin, non poſſe dari in Chriſto Domino vnam tantum Deitatis partem: quia, etiamſi Deitas haberet partes; quod longe eſt à mente Auguſtini, nullo modo poſſet vna ab alijs ſeparari.

27 Obijcitur 3. S. Thom. 1. part. quæſt. 3. artic. 1. vbi in ſecunda probatione concluſionis ex eo colligit, Deum non eſſe corpus, quod omne corpus, cum ſit continuum, eſt in potentia ad diuiſionem: Deus autem non poteſt vllo modo eſſe in potentia: ergo aperte ſentit, de ratione corporis eſſe diuiſibilitatem in partes extenſionis. Reſpondeo, eo argumento non probare S. Thomam, Deum nullatenus eſſe quid corporeum; ſed ſolum non eſſe ſubſtantiam corpoream, ſicut eas, quas defacto nouimus. Alia vero argumenta adducit, quibus omnem rationem corporis à Deo excludit. Et quidem cum valde probabile ſit, ipſum ſentire, animas animalium perfectorum eſſe indiuiſibiles, non eſt, cur credatur in præſenti diuiſibilitatem tribuere omni rei corporeæ.

28 Obijcies 4. præſentia definitiua Chriſti Domini in Euchariſtia poteſt à Deo produci per creationē, quæ quidē creatio, vt pote productio termini corporei debet eſſe corporea: ſed hæc creatio neque eſt impenetrabilis remote, cum terminus illius, quem comitari debet quoad locum, non ſit impenetrabilis; neque eſt affectio intrinſeca rei impenetrabilis, cum ſit affectio intrinſeca præſentiæ definitiuæ, quæ ex ſe eſt penetrabilis: ergo aliquid datur, quod, cum ſit corporeum, non comprehēdatur definitione corporis à nobis traditâ. Reſpondeo, illam creationem eſſe affectionem intrinſecam rei impenetrabilis, quia cum ſit affectio intrinſeca præſentiæ definitiuæ, quæ eſt affectio intrinſeca corporis Chriſti Domini ex ſe impenetrabilis; remote ſaltem eſt affectio intrinſeca rei impenetrabilis, quia ad hoc neceſſarium non eſt, quod rem impenetrabilem immediate afficiat; ſed ſolum quod mediate, vel immediate ita illam afficiat, vt debeat eſſe in eodem loco cum illa. Hinc albedo dicitur accidens intrinſecum ſubſtantiæ, quia licèt illam afficiat mediâ quantitate, debet tamen eſſe in eodem loco cum ipſa ſubſtantia.

29 Obijces 5. actio, per quam concurrit phantaſma ad producendam ſpeciem intelligibilem in noſtro intellectu, eſt ſpiritualis, vt concedunt omnes: ſed hæc actio non poteſt penetrari ex natura rei: ergo datur aliquid ex ſe impenetrabile, quod non ſit corpus. Minor probatur: quia ea actio non poteſt oriri ex natura rei à phantaſmate, niſi in ſtatu coniunctionis animæ cum corpore: atqui, eo ipſo quod debeat eſſe cum corpore coniuncta, non poteſt penetrari: ergo eſt impenetrabilis ex natura rei. Maior eſt certa: quia ea actio non poteſt oriri à phantaſmate niſi ipſum phantaſma ſit in rerum natura: ſed non poteſt eſſe in rerum natura, niſi in ſtatu coniunctionis animæ cum corpore, quia, cum phantaſma ſit propria operatio compoſiti, vt dicemus infra, debet oriri ab anima vt vnita corpori: ergo actio, qua concurrit ad ſpeciem intelligibilem, non poteſt dari in intellectu, niſi in ſtatu coniunctionis animæ cum corpore.

30 Fateor, eam actionem non poſſe procedere à phantaſmate in intellectu, niſi quando anima eſt vnita corpori; at id non prouenit ex exigentia ipſius actionis; ſed ex exigentia phantaſmatis; quia, videlicet, phantaſma ex ſe eſt tale, quod non poſsit dari ex natura rei niſi vnitum compoſito, tamen ſi ſemel daretur non vnitum; ſed ſolum applicatum animæ, per contiguitatem, poſſet quidem ſine nouo miraculo actionem illam elicere, quia ea actio, cum non ſit ex ſe immanens, non petit ex ſe principium vnitum ſuo

ſubiecto

Digitized by Google

ſubiect ; ſed ſolū cōtiguum. Quod verô non ſit per ſe immanens ea actio, eſt certum, quia prouenit à phantaſmate ſupplente vicem obiecti: atqui obiectum non producit ſpeciem intentionalem ſui per actionem ex ſe immanentem: ergo neque id, qod talem ſpeciem producit tanquam vicarium ipſius obiecti.

31 Vnde id eſt diſcriminis inter hanc actionem, & creationem albedinis, quod creatio albedinis, licèt ex ſe non ſit immediatè impenetrabilis; petit tamen ex ſe intime coniunctam eſſe cum albedine, quæ eſt intime cōiuncta cum quantitate; & propterea ex ſe eſt impenetrabilis remote: at verò productio ſpeciei intelligibilis à phantaſmate procedens neque ex ſe eſt immediate impenetrabilis, neque petit eſſe intime affixam phantaſmati, aut alij rei ex ſe impenetrabili, & ideo ex ſe non eſt impenetrabilis adhuc remote. Ad argumentum ergo diſtinguo minorem: actio, per quam ſpecies intelligibilis producitur à phantaſmate, non poteſt penetrari ex natura rei ratione exigentiæ propriæ, qua proximè, vel remotè exigat impenetrationem, nego: ratione exigentiæ phantaſmatis, quod naturaliter eſſe nequit, niſi vnitum compoſito, admitto minorem. Et deinde nego conſequētiam: quia id ſolùm dicitur impenetrabile ex natura rei, quod ratione exigentiæ propriæ penetrari nequit.

32 Obijcies 6. partes præſentiæ ſpiritualis, per quas Angelus reſpondet diuerſis partibus ſpatij, nō poſſunt eſſe in eodem ſpatio ex natura rei: ergo datur res ſpiritualis ex naturâ rei impenetrabilis. Antecedēs eſt certū: quia quęuis prçſentia habet talē connexionem cum ſpatio, cui reſpondet, vt ex natura rei non poſsit fieri præſens alteri: ergo, &c. Aduerte, ea dici proprie impenetrabilia, quæ ſe mutuo impediunt, ne locum, quem vnumquodque poteſt occupare ſeorſim, ſimul occupet vtrūque. Fateor ergo, partes præſentiæ Angelicæ non poſſe coniungi ſimul in eodem loco: at id non prouenit ex eo, quod ſe mutuo impediant illuc ingredi; ſed ex eo, quod ſingulæ habeāt talem connexionē cum ſuo ſpatio, vt non poſsint alteri reſpondere. Vnde ſiue in alio ſit alia pars præſentiæ, ſiue non, nullatenus illud occupare poterunt. Ad argumentum ergo diſtinguo antecedens: non poſſunt eſſe in eodem ſpatio propter mutuam earum reſiſtentiam, nego: propter repugnantiam, quam ſingulæ habent ad occupandum ſpatium aliud præter illud, cui reſpōdent ex natura ſua, concedo antecedens. Et nego conſequentiam: quia impenetrabile non dicitur id, quod non poteſt correſpondere loco, quem aliud habet; ſed id, quod ex natura ſua impedit, ne aliud in eius locum ingrediatur.

SECTIO IIII.

An repuguet ſubſtantia corporea completa ſimplex?

33 EX dictis ſectionibus præcedentibus infertur primò, non repugnare præciſe ex prædicato corporeitatis ſubſtantiam corpoream completam ſimplicē, hoc eſt, non compoſitam ex materia, & forma. Ratio eſt: nam, eo ipſo quod ſubſtantia aliqua ſit impenetrabilis modo explicato, erit corporea: ſed ad hoc, vt ſubſtantia completa ſit impenetrabilis, non eſt neceſſarium, quod conſtet materiā, & formā: ergo, &c. Minorem probo: quia id dicitur impenetrabile, quod per ſe, vel per aliud, cui eſt intime vnitum ex natura rei, expellit aliud ab eodem loco: ſed compoſitio ex materia, & forma non eſt neceſſaria ad talem expulſionem: ergo per accidens ſe habet ad impenetrabilitatem. Confirmatur: quia, ſi daretur quantitas ſeparata à ſubſtantia, excluderet ex ſuo loco quamcunque aliam quantitatem. Pone ergo, te nunquam (vt contingere poteſt) nouiſſe, quantitatem informare poſſe ſubſtantiam compoſitam ex materia, & forma, certe tunc cognoſceres in quantitate virtutem excludendi aliam è loco, & tamen nullum ordinem cognoſceres in illa ad ſubſtantiam compoſitam: ergo de cōceptu impenetrabilitatis neque eſt compoſitio ex materia, & forma, nec ordo ad talem compoſitionem: ergo præciſe ex prædicato corporis non repugnat ſubſtantia corporea completa non compoſita ex materia, & forma. Neque deſunt huic ſententiæ patroni, quia eam tenent Iandun. de Subſt. orbis, quæſt. 1. Zima. Theor. 107. Durand. Gabriel, & alij in 2. diſt. 12. qui quidem dicunt, cœlum (quod certum eſt eſſe corporeum) eſſe ſubſtantiam completam non compoſitam ex materia, & forma. Eam etiam tuentur P. Pereira lib. 5. ſuæ philoſ. cap. 10. & P. Arriag. diſput. 5. ſect. 3. deinde P. Suar. in Met. diſp. 13. ſect. 10. num. 2. fatetur D. Tho. in hanc ſententiam inclinatū fuiſſe in 2. diſt. 12. q. 1. art. 1. Et in Diſputatis q. de Spiritual. creaturis art. 6. ad 2. & eam inſinuat Ariſt. 8. Met. tex. 4. & 14.

34 Sed obijcies 1. cum P. Hurt. qui oppoſitum tenet diſp. 1. de Cœlo ſect. 1. Nullū corpus poteſt dari perfectius animo rationali: ſed illa ſubſtantia corporea, ſi daretur, eſſet perfectior animo rationali: ergo dari non poteſt. Maior admittitur communiter ab omnibus. Minor probatur: quia illa ſubſtantia corporea eſſet actus ſubſiſtens completus; animus verò rationalis eſt actus incompletus ordinatus ad informationem materiæ: ſed eſſe actum ſubſtantialem completum eſt perfectio eſſentialiter maior, quam eſſe actum incompletum: ergo, &c. Nego minorem. Ad probationem diſtinguo minorem: eſſe actum ſub-

ſubſiſtentem completum eſt perfectio eſſentialiter maior, quam eſſe actum incompletum, ſi cætera ſint paria, concedo: ſi non ſint paria, nego minorem. Et deinde nego conſequentiam: quia animus rationalis, licèt ſit actus incompletus, eſt tamen ordinatus ad perfectiſsimas operationes, ratione quarum ſuperat in perfectione quamcunque ſubſtantiam corpoream quantumuis ſimplicem: quia hæc non poteſt attingere adeò perfectas operationes.

35 Obijcies ſecundò, illa ſubſtantia corporea ſimplex, ſi daretur, deberet eſſe viuens: non vitâ intellectiuâ, quia hæc excedit vires corporeas: ergo nutritiuâ, aut ſenſitiuâ: atqui nullam ex his habere poſſet: ergo, &c. Maior eſt certa: quia ea ſubſtantia, vtpotè ſimplex, perfectior eſſet quâuis ſubſtantiâ corporeâ compoſitâ, atque adeò perfectiores haberet operationes, quæ quidem perfectiores non eſſent, ſi vitalitate carerent, quia nullam operationem corpoream agnoſcimus vitalibus perfectiorem. Quod verò ea ſubſtantia non poſſet habere vitam vegetatiuam, aut ſenſitiuam, probatur: quia ad vtramque requiritur diſpoſitio primarum qualitatum: ſed illa ſubſtantia non poſſet habere primas qualitates: ergo neque eſſe vegetatiua, aut ſenſitiua. Minor probatur: quia primæ qualitates ex natura ſua ſunt diſpoſitiones ſubiecti ad formam ſubſtantialem: ſed talis ſubſtantia eſſet incapax recipiendi formã ſubſtantialem: ergo & incapax recipiendi primas qualitates.

36 Reſpondeo primò, neceſſarium non eſſe, eam ſubſtantiam corpoream ſimplicem fore perfectiorem alijs corporeis compoſitis ex materia, & forma: quia, licèt compoſitio, quatenus eſt ex ſe, non adæquet perfectionem ſimplicitatis; tamen coniungi poteſt cum prædicatis, ex quibus reſultet eſſentia aliqua compoſita ex materia, & forma perfectior eſſentialiter aliâ ſimplici. Quod quidem facile probari poteſt à paritate: quia non magis excedit ſimplicitas compoſitionem, quam incorruptibilitas corruptibilitatem: ſed poteſt dari ſubſtantia corruptibilis talibus conſtans prædicatis, vt ſit eſſentialiter perfectior ſubſtantiâ incorruptibili, vt apparet in animalibus perfectis, quæ, cum ſint corruptibilia, perfectiora ſunt cœlo incorruptibili: ergo non eſt, cur repugnet ſubſtantia aliqua compoſita perfectior aliquâ ſubſtantiâ ſimplici. Hinc fit, neceſſarium non fore, ſubſtantiam corpoream ſimplicem eſſe viuentem; etiamſi ſint aliæ compoſitæ viuentes, ſicut non eſt neceſſarium, ſubſtantiam incorruptibilem, quales ſunt cœli, eſſe viuẽtem, etiamſi ſint aliæ corruptibiles viuentes.

37 Sed age iam: admittamus, eam ſubſtantiam fore viuentem. Reſpondeo ſecundò, eam non fore vegetatiuam: quia ad vegetatio-

nem, ſeu nutritionem viuentium requiritur, quod ipſum viuens per actionem immanentem in ſe conuertat alimentum ſingulis ſui partibus applicatũ per intus ſumptionem, quod aliter fieri nequit, niſi per introductionem formæ viuentis in eo alimento, eo modo quo diximus in lib. de Gen. diſp. 8. ſect. 2. Id autem non poſſet fieri in ſubſtãtia ſimplici, cum non habeat formam, & ideo non poſſet eſſe vegetatiua.

38 Nihilominus non eſt, cur non poſſet eſſe ſenſitiua: tum quia poſſet eſſe elicitiua aliarum ſenſationũ diuerſæ rationis ab his, quas cognoſcimus; quæ quidem ſenſationes vel nullas requirerent diſpoſitiones; vel alias diuerſæ rationis à primis qualitatibus: tum etiã quia non eſt, cur non poſſet elicere ſenſationes eiuſdem rationis cum iſtis per eaſdem diſpoſitiones, per quas animalia, quæ de facto nouimus, ſuas ſenſationes eliciunt. Ratio huius eſt; quia poteſt contingere vnam, & eandem formam diuerſos tribuere effectus formales pro diuerſa capacitate ſubiectorum: ergo bene poſſet contingere primas qualitates, quæ materiam ad formam ſuſcipiendam præparant, informare aliud ſubiectum incapax huius præparationis. Antecedens conſtat in Verbo Diuino, quod vnitum humanitati Chriſti Domini conſtituit hominem ſanctum, iuſtum, & Filium Dei: at verò vnitum cadaueri in triduo mortis non redebat illud iuſtum, & Filium Dei, non alia de cauſa, niſi quia cadauer non erat capax eorum effectuum, quorum capax eſt humanitas. Deinde eadem intellectio vnita intellectui conſtituit illum intelligentem, quia eſt capax huius effectus, & tamen ſi vniretur lapidi, vt de potentia Dei abſoluta poteſt in ſententi plurium, non tribueret illi talem effectum formalem; quia eſt incapax illius: ergo non repugnat, vnam, & eandem formam tribuere alicui ſubiecto effectum formalem, quem alteri, cui vniri poteſt, non tribuet propter eius incapacitatem: cur ergo non poterit idem contingere in primis qualitatibus reſpectu materię primæ, & illius ſubſtantiæ ſimplicis?

39 Obijcies tertio: omnis ſubſtantia corporea debet habere quantitatem: ſed ſubſtantia illa ſimplex non poſſet habere quantitatem: ergo non poſſet eſſe corporea. Minor probatur quia non poſſet habere quantitatem, quæ de facto datur, tum quia hæc eſt propria paſsio materiæ primæ, & propria paſsio vnius non poteſt alteri conuenire ex natura rei; tum etiam quia ex natura ſua eſt diſpoſitio ad formam ſubſtantialem, ad quam non poteſt diſponere ſubſtantiam ſimplicem: deinde non poſſet habere aliam quantitatem ſpecie diſtinctam: quia nõ videtur poſsibilis. Nego minorem primi ſyllogiſmi. Ad probationem nego antecedens, & diſtinguo primam eius probationẽ: hęc quantitas eſt propria paſsio materiæ primæ, vt eſt ſubſtantia corporea,

con-

concedo: vt materia prima, nego. Cum autem ea ſubſtantia ſimplex corporea eſſet, eadem quantitas eſſet propria paſsio illius. Deinde diſtinguo etiam ſecundam probationem: hæc quantitas eſt diſpoſitio ad formam ſubſtantialem in quocumque ſubiecto, nego; in ſubiecto capaci recipiendi formam ſubſtantialem, concedo. Vide, quę diximus num. præced. pro ſolutione obiectionis ſecundæ. Denique id, quod additur, nempe non eſſe poſsibilem aliam quantitatē ſpecie diſtinctam ab illa, quæ de facto datur, ſine fundamento dicitur; quia ſicut eſt poſsibilis alia materia, quæ ordinetur ad plures, vel pauciores formas, quam ea, quæ de facto datur, vt diximus in Phyſ. diſp. 2. num. 138. cur non erit poſſibilis quantitas, quæ ex ſe ordinetur ad informandam ſubſtantiā diuerſæ rationis ab his, quæ de facto nouimus?

40 Rogas: an ea ſubſtantia corporea, ſi daretur, haberet partes integrantes, vel illis potius careret? Reſpondeo neutrum illi repugnare præciſè ex prædicato corporis. Quia, ſiue partes haberet integrantes, ſiue indiuiſibilis omnino eſſet, poſſet eſſe impenetrabilis. Punctum enim quantitatis eſt omnino indiuiſibile, & tamen penetrari nequit cum partibus ipſius quātitatis, aut cum alio puncto, vt probauimus in Phyſ. diſp. 25. ſect. 1.

41 Sed quid dicemus de quantitate? Haberetné ea ſubſtantia omnino indiuiſibilis quantitatem eiuſdem ſpeciei cum præſenti; vel diuerſæ? Reſpondeo 1. nullam apparere repugnātiam in eo, quod haberet quātitatem eiuſdem ſpeciei cum præſenti: quia effectus primarius præſentis quantitatis non eſt reddere ſubiectum extenſum, vt diximus in Log. diſp. 17. ſect. 1. ſed impenetrabile. Vnde oritur, quód, ſi ſubiectum habeat partes, reddet illas extēſas, quia, eo ipſo quód ſunt impenetrabiles per quantitatem, debent eſſe ſingulæ extra alias in diuerſis locis; ac per conſequens extenſæ. Si veró ſubiectum ſit indiuiſibile, non reddet illud extenſum, quia, cùm non habeat partes tale ſubiectum, eſt incapax talis effectus; ſed ſolū reddet illud impenetrabile, & illud conſtituet in tot partibus ſpatij, quot habuerit ipſa quantitas.

42 Id tenentur concedere, qui quantitatē dicunt in toto compoſito ſubiectari: quia, eo ipſo quód recipiatur in toto, debet recipi in materia, & forma, ex quibus totum ipſum coaleſcit. Cùm autem forma hominis ſit indiuiſibilis, ita recipiet quantitatem, vt non reddatur extenſa, vtpote quæ eſt incapax huius effectus; ſed ſolùm impenetrabilis, & petens reſpondere per præſentias replicatas toti ſpatio, cui ipſa quantitas reſpondet. Vbi aduerte, quod licèt diſp. 11. Phyſ. ſect. 2. probauerim accidentia non ſubiectari in compoſito; id tamen non deducebam ex eo, quód quantitas non poſſet ſubiectari in [illegible] rationali indiuiſibili: [illegible] enim [illegible]

Digitized by Google

mentum ſemper mihi viſum eſt inefficax; ſed ex alio fundamento ibi deducebam meam concluſionem.

43 Reſpondeo 2. nullam apparere repugnantiã in eo, quòd quãtitas illius ſubſtantiæ omnino indiuiſibilis, eſſet etiam indiuiſibilis, & diuerſæ ſpeciei à præſenti quãtitate: quia, ſi eut ſubiectum eius eſſet talis naturæ, quòd non ordinaretur ad totum integrale componendum, ita etiam poſſet huiuſmodi eſſe quantitas illi reſpondens ex natura rei. Si autem huiuſmodi eſſet talis quantitas, eſſet quidem diuerſæ ſpeciei à præſenti, quæ ex ſe ordinatur ad totum integrale componendum.

Non videtur repugnare ſubſtantia ſpiritualis compoſita.

44 Deinde ex dictis ſectionibus precedentibus infertur, nõ repugnare præciſè ex prædicato ſpiritualis ſubſtantiam ſpiritualẽ compoſitam ex materia, & forma ſpiritualibus, ſeu ex partibus integrantibus. Id tenent Richard. in 2. diſt. 3. art. 1. quæſt. 2. & art. 2. q. 1. & 2. Aureol. apud Capreol. in 2. diſt. 3. quæſt. 1. in argum. contra 1. cócl. Plotinus lib. 4. Decad. 2. cap. 5. & Procul. in Elucid. propoſ. 210. & Bonaũ. in 2. diſt. 3. art. 1. quæſt. 1. & ſeq. & id probabile putat Alenſ. 2. p. q. 2. memb. 2. in fine, & quæſt. 44. memb. 2. Huic ſententiæ fauet expreſsè S. Aug. lib. 2. de Mirab. ſacræ ſcrip. c. 1. & 2. ... confeſſ. c. 2. & 21. Boet. lib. de Vno & vno & lib. de Trin. c. 3. quorũ verba adducit P. Suar. in Met. diſput. 13. ſect. 4. num. 5.

45 Ratio noſtræ illationis eſt: quia ſpiritualitas cõſiſtit in penetrabilitate cum quacũque re: ſed compoſitio ex materia, & forma, ſeu ex partibus integralibus non pugnat cum penetrabilitate: ergo neque cum ſpiritualitate. Minor, quod ad partes integrales attinet, cõſtat ex dictis ſup. ſect. 2. vbi probauimus, præſentiam ſpiritualem Angeli habere partes integrales extenſiuas ex ſe penetrabiles. Probatur verò eadem minor de partibus eſſentialibus: quia materia, & forma non poſſunt eſſe impenetrabiles ex natura rei, niſi ratione quantitatis, cui affixæ eſſe debent taliter, vt ex natura rei non poſsint ab illa ſeparari: ſed de conceptu formæ vt ſic non eſt, hoc modo affixam eſſe quantitati, vt conſtat in animo rationali; neque de conceptu materiæ, quia, vt diximus in Phyſ. diſp. 2. ſect. 5. eſſentia materiæ vt ſic conſiſtit in hoc, quod eſt, eſſe primum ſubiectum generationis compoſiti ſubſtantialis, in quo non inuoluitur connexio cum quantitate: ergo compoſitio ex materia, & forma non pugnat cum penetrabilitate: ergo præciſè ex prædicato ſpiritus non pugnat ſubſtantia ſpiritualis compoſita ex materia, & forma ſpiritualibus, ſeu ex partibus integrantibu . An verò ex alio capite pugnet, non eſt huius loci.

46 Obijcit P. Hurt. qui oppoſitum docet hic diſp. 2. ſect. 2. Ea materia non poſſet ad vllũ munus

nus deſeruire: ergo eſſet omnino ſuperflua. Anteced. probatur: quia non deſeruiret ad hoc, vt forma educeretur ex illa; nam, cùm ea forma ſpiritualis, vtpotè quæ nõ eſſet forma corporis, perfectior eſſet animo rationali, deberet creari, ſicut animus rationalis: neque deſeruiret ad recipiendas operationes formæ; quia cùm eæ omnes eſſent ſpirituales, poſſent recipi in ipſa forma, ſicut operationes ſpirituales animi rationalis recipiũtur in ipſo: ad quid ergo deſeruiret ea materia? Nego primũ antecedens. Ad probationẽ admitto, formam illã ſpiritualẽ non fore educendã ex materia ſpirituali: poſſet tamẽ ea materia deſeruire ad recipiendas aliquas operationes formæ; quia, ſicut operationes corporeæ animi materialis equi non poſſunt recipi in ipſo animo, etiãſi corporeus ſit; ita etiã nõ eſt, cur dicatur repugnare operationes ſpirituales, quæ recipi non poſſint in forma ſpirituali, à qua oriuntur; ſed materiam ſpiritualem exigant vt proprium ſubiectum.

47 Dices: eã materia eſſet perfectior animo rationali, quia hic eſt actus corporis; illa vero nullã cõnexionẽ haberet cũ corpore: ergo nõ ſolũ reciperet; ſed etiã efficeret eas operationes: imo & perfectiores illis, quas elicit animus rationalis. Reſpõdeo, eã materiã nõ fore perfectiorẽ animo rationali, quia cũ hoc, quod eſt eſſe actũ corporis, rectè cõponitur principiũ effectiuũ operationũ intellectualiũ independentiũ omnino à corpore: cum hoc verò, quod eſt, nullã cõnexionẽ habere cũ corpore, nõ debet neceſſariò eſſe cõiunctũ principiũ effectiuũ operationũ. Neq; enim vlla oſtẽditur repugnantia in eo, quòd res aliqua omnino abſtracta à corpore, ſit principiũ tantũ paſſiuũ aliquarũ operationũ. Perfectius autẽ eſt principium effectiuũ operationũ intellectualiũ independentiũ à corpore, etiãſi habeat aliquã connexionem cum ipſo corpore, quã principiũ merè paſſiuum operationum nullatenus connexum cum corpore.

48 Rogas: ea materia ſpiritualis quã operationẽ reciperet? Nũquid intellectionẽ; an aliã diuerſæ rationis? Reſpõdeo, vtrunq; poſſe dici. Neq; enim repugnantia vlla oſtẽditur, præciſè ex prædicato ſpiritus, in eo, quòd detur aliqua forma productiua intellectionũ petentium recipi in materia ſpirituali vnum conſtituẽte cum ipſa forma. Neque etiam oſtenditur repugnãtia in eo, quòd ea forma poſſet elicere operationes alias petentes recipi in eâdem materia.

49 Obijcies 2. ſi poteſt dari ſubſtantia ſpiritualis cõpoſita ex materia & forma ſpiritualib9, nullum eſt fundamentũ ad aſſerendũ, Angelos non eſſe tales: quia, ſi aliquod eſſet, maximè, quia ſunt ſpiritus: at cum ſpiritualitate non opponitur per te prædicta cõpoſitio: ergo ſine fundamẽto dicuntur eſſe ſimplices. Reſpondeo, ad aſtruendam ſimplicitatẽ, & indiuiſibilitatem Angelorũ ſufficiens fundamẽtum eſſe authoritatem Patrum, &

 Theo-

Theologorum omnium id aſſerentium, à quibus nefas eſt diſcedere ſine ratione conuincente; præcipuè cùm D. Dioniſius Areopagita, cuius authoritas maximi habita eſt ſemper in Eccleſia circa ea, quæ ad Angelos ſpectant, id expreſſerit 4. de Cœleſt. Hierarchia, vbi dixit, Angelis ineſſe ſimplicitatem Dei formaliſsimã, ſeu quæ Diuinã ſimplicitatem maximè imitatur. Quod quidem verum eſſe non poſſet, ſi compoſitionem aliquam admitterent vel ex materia, & forma ſubſtantialibus; vel ex partibus integralibus.

DISPVTATIO V.

De Conceptu vitæ.

PEracta diſpoſitione de diuiſione, informatione, & compoſitione animorum, quæ omnia ad priorem primę definitionis animę partem reducuntur, explicanda eſt poſterior, in qua dicitur; *potentia vitam habentis*, vt eſſentia animæ, cuius indagini ſedulò incumbimus in hoc opere, penitus innoteſcat. Igitur in præſenti rationem vitæ diſquirimus.

SECTIO I.

Nonnulla ſupponuntur.

1 DVplex ſolet diſtingui vita: vna ſubſtantialis; accidentalis altera. Illa eſt primum principium, ſeu prima radix operationum vitalium, de qua loquutus eſt Ariſt. 2. de Anim. c. 4. tex. 37. dum dixit: *Viuere viuentibus eſt eſſe, vtique ſubſtantiale.* Vita accidentalis eſt duplex. Alia dicitur actualis, ſeu in actu ſecundo, quæ adueniens vitæ ſubſtantiali, illam conſtituit actualiter, ſeu in actu ſecundo viuentem: tales ſunt viſio, auditio, intellectio, & volitio. Alia dicitur vita in actu primo, ſeu virtualis; ea videlicet, quæ ex natura ſua aduenit vitæ ſubſtantiali vt administra eius ad operationes vitales eliciendas: tales erunt potentiæ, quas vitales appellamus; vt, intellectus, voluntas, viſus, auditus, &c. ſi accidentia ſint realiter diſtincta ab anima. Hæ omnes vitæ ita connexæ ſunt inter ſe, vt vix vna explicari poſsit, quin reliquæ explicentur. Nihilominus incipiemus à vita ſubſtãtiali, & deinde addemus ea, quæ peculiaria fuerint circa accidentales.

2 Aduertò 2. ſubſtantias cognoſcitiuas, & appetitiuas adeò certò vitales eſſe apud omnes, vt nullus vnquam in hac re fuerit dubitandi locus, quin & frequenter in ſacra Pagina hæ omnes viuentes nuncupari ſolent. De ijs verò, quæ ſolùm nutritiuæ ſunt, vt plantæ, negabant Stoici, vitales eſſe, vt refert Plutarchus de Placit. philoſoph. cap. 26. quibus demum conſenſere hoc tempore nonnulli recentiores contra communẽ Theologorum, & Philoſophorum ſententiam. Horũ patronus eſt Ariſt. pluribus in locis; præcipuè 2. de Anim. cap. 1 tex. 3 vbi ait: *Vitam autem dicimus nutritionem, accretionem,*

tionem, &c. quod quidem per ipſum ſit, quod viuere dicitur. En nutritionem vocat vitam, & id, quod nutritionem elicit, affirmat viuere. Theologis verò præeunt S. Auguſt. & S. Thom. Ille tom. 1. lib. 8. de Ciuit. cap. 6. ait: *Illorum vita, quæ vel nutritionem continet, &c.* & tom. 10. ſerm. 29. aliàs 17. de Verb. Apoſt. ait: *Nos autem viuimus; ſed adhuc nobis id ipſum viuere cum arboribus, frutetiſque commune eſt.* Idem docet S. Thom. 1. p. q. 18. art. 1. ſequutus D. Dioniſium cap. 7. de Diui nom. In præſenti ergo ſentiẽdum eſt cum Philoſophis omnibus, & Theologis, quorum placitũ ſemper ſuſpiciendum eſt, dum ratio cõuincens oppoſitum non ſuadet: & propterea ſedulò danda eſt opera, vt rationem vitæ plantis cum animalibus communem inueniamus.

3 Aduerto 3. inter actiones, quaſdam eſſe tranſeuntes; quaſdã immanentes. Actio immanens dicitur, quæ manet in ſuo agentè tanquam in ſubiecto, quod quidẽ contingit, non ſolùm quando recipitur in eadem entitate, à qua efficitur; ſed etiam quando ſubiectum actionis, licèt ſit diuerſa entitas ab efficiente, conſtituit tamen vnũ compoſitum cum illo. Et ratio huius eſt clara: quia, cùm operationes partium tribuãtur toti ex illis reſultanti, rectè dicitur vnum, & idem totũ agere, & recipere eundem effectum, quando per vnam partem illum efficit, & recipit per aliam, ac per cõſequens talis actio dicetur reuera immanens, quia manet in agente, à quo efficitur. Actio tranſiens dicitur, quæ ad ſubiectum tranſit extraneum, hoc eſt, quod neque eſt entitas efficiens, neque vnum compoſitum cum illa conſtituit.

4 Rurſus actio immanens; alia per ſe; alia per accidens immanens nuncupatur. Per ſe immanens dicitur, quæ, eo ipſo quòd eſt ab hoc agente in ſpecie, in hunc terminũ in ſpecie, debet manere in ipſo agente: talis eſt intellectio in ſententia omnium, quam quidem non poteſt principium intellectiuum in alio ſubiecto, niſi in ſe ipſo producere. Immanens per accidens dicitur illa, cuius terminus ita manet in agẽte, vt ipſe, vel alius eiuſdem ſpeciei poſſet ab eodẽ agente produci in ſubiecto extraneo: talis eſt calefactio, qua vna manus alteram eiuſdem hominis calefacit, quia calor per hanc actionem productus, vel alius eiuſdem ſpeciei, poſſet ab eadem manu produci in quocumque alio ſubiecto. Vide, quæ circa actionem immanentem diximus in Phyſ. diſp. 20. ſect. 6.

5 Eſt ergo certũ, omnẽ actionem vitalem eſſe immanentẽ per ſe: ac per conſequens, viuens quatenus tale, eſſe immanenter operatiuum. Id conſtat ex communi omnium Philoſ. & Theologorum ſenſu, qui teſte D. Tho. 1. p. q. 18. art. 1. nullam ſubſtantiã vitã praditam exiſtimant, niſi talis ſit ex natura ſua, quæ ſe ipſam moueat, aut perficiat per actionem propriam. Idem docet Ariſtot. 8. Phyſ.

Phyſ. text. 29. vbi ait, eſſe vitale, & animatorem proprium moueri à ſe ipſis, & ideo non poſſe conuenire grauibus, & leuibus; quod quidē intelligi debet de motu immanente per ſe, quia plura non viuentia mouentur à ſe ipſis per motum immanentem per accidens, vt conſtabit ex dicendis.

Non omnis actio per ſe immanens eſt vitalis.

6 ADuerto 4. non omnē actionem per ſe immanentē eſſe vitalem; ſed dari aliquas actiones immanentes per ſe, quæ vitales nō ſunt. Probatur: quia aqua producit in ſe ipſa ſuam frigiditatem; &, quæuis eſſentia ſuas paſsiones per actionem immanentem per ſe: ergo dantur actiones per ſe immanētes, non vitales. Conſequentia patet: quia prædictæ actiones non ſunt vitales, vt fatentur omnes. Anteced. probatur: quia aqua (& idem eſt de eſſentia quacumque reſpectu ſuarum paſsionum) ita ſe ipſam immediate per ſuam formam intrigidat, vt nullum aliud ſubiectum extra ſe poſsit frigefacere: ergo ſe infrigidat per actionem immanentem per ſe. Anteced. probatur: quia manus immerſa aquæ non cōcipit frigus, niſi ipſa aqua ſit frigida: ergo aqua non frigefacit per ſe ipſam ſubiectum extraneum; ſed ſolùm medio frigore in ſe exiſtente. Patet conſequentia: quia, ſi per ſe ipſam frigefaceret manum, non eſſet, cur adhuc carens frigore frigus aliquod in eam non induceret.

7 Confirmatur: quia, ſi aqua per ſe ipſam poſſet frigus producere in ſubiecto extraneo, nō poſſet, quantumuis calida eſſet, nimio calore manum ipſi immerſam diuexare: atqui contrarium conſtat experientiā: ergo, &c. Probatur maior: quia calidum vt quinque, vel vt ſex in præſentia frigidi vt octo non poteſt intenſum calorem producere in ſubiecto ęquè vtrique applicato: atqui aqua in caſu poſito ex vna parte haberet virtutem producendi octo gradus frigoris in manu, quia ipſa in ſua virtute continet eos gradus, & per ſe poteſt illos producere in ſubiecto extraneo; ex alia verò parte non poteſt admittere in ſe niſi quinque, aut ſex gradus caloris, quandoquidem conſeruari nequit ſine determinato aliquo frigore, & propterea antequam ſummè intenſum calorem concipiat, tranſit in aerem, vt conſtat experientiā in aqua feruente: deinde immerſa manus eſt æquè applicata ipſi aquæ, ac calori exiſtēti in illa, vt conſtat: ergo nunquā poſſet aqua calida nimio calore manū diuexare. Maior eſt certa: quia calor vt ſex, adhuc expeditus à contrario agente, non poteſt (ſi fortè non ſit ita magna, ſeu nimis denſa materia) producere in ſubiecto nō penetrato plùs, quàm quinque gradus, aut, ſi placet, addamus etiam dimidiū: ergo, ſi ſimul cum illo applicetur frigidum vt octo, multò minus producet. Ponamus, producere tres, vel ad ſummum quatuor gradus: ſed quatuor gradus caloris non reddunt ſubiectū intenſè calidum;

dum: ergò manus immerſa aquæ quantumuis calidæ non poſſet intenſè ab ea calefieri, quod eſt contra experientiam.

Reſponſio Thomiſtarũ conuellitur.

8 THomiſtæ, qui rationem viuentis in eo conſtituunt, quòd ſe moueat ab intrinſeco, vel ſit determinatum ad ſe perficiendum per actionem immanentem, aſſerunt, frigus exiſtens in aqua non procedere immediatè ab ipſa aqua, neque paſſiones ab eſſentia; ſed omnia hæc à generante produci, & ideò eorũ productiones non eſſe immanentes. Sed contrà: aqua calefacta ſe reducit ad priſtinã frigiditatẽ, extincto iam generante, vel ſaltem nimiùm diſtante: ergo principium phyſicũ illius actionis non poteſt eſſe generans: ſed neq; ambiens, quia ſæpe eſt æquè calidum, ac ipſa aqua: ergo ipſa in ſe producit ipſam frigiditatem.

9 Dicunt aliqui, generans per eandem actionẽ producere aquã, & frigiditatem: illam tanquã terminum primarium; hanc verò tanquam ſecundarium: deficiente tamen generante ſubſtitui Deum ad conſeruationẽ vtriuſque per ſimilem aliam actionem, quæ quidem actio, adueniente calore, eadem perſeuerans ceſſat à conſeruanda frigiditate: nam licèt actio nequeat dari abſque termino primario, bene poteſt dari ſine ſecundario. Quod probant ab exẽplo formæ, quæ, licèt dari nequeat in ſubiecto abſque effectu primario, qui eſt compoſitum, poteſt tamen dari ſine ſecundario, qui eſt expulſio formæ.

10 Hæc tamen ſolutio falſam continet doctrinam: quia vel ea actio ſe ipſa eſt actualis productio frigiditatis vt termini ſecundarij; vel per aliquid ſuperadditum. Si hoc vltimum? ergo hoc ſuperadditum erit productio actualis frigiditatis. Patet cõſequentia: quia id, quo terminus conſtituitur actu productus, eſt productio: ergo, cùm per illud ſuperadditũ conſtituatur frigiditas actu producta, erit productio illius: ergo iam frigiditas producetur per verã actionem diſtinctã à productione aquę, cuius oppoſitum aſſeris in tua ſolutione. Si dicatur primum? ergo productio, ſeu conſeruatio aquæ nõ poteſt dari in rerũ natura, quin ſit actualis productio frigiditatis vt termini ſecundarij: ſed implicat, dari actualem productionem alicuius vt termini ſecũdarij, quin ipſum detur productũ vt terminus ſecundarius: ergo implicat, dari eam actionem, quin detur frigiditas actu producta.

11 Exemplum veró deſumptum ex forma nec quidquã probat, nec fauet aduerſarijs. Primũ probatur: quia informatio formæ aduenientis non expellit præexiſtentem vt expulſio actualis illius; ſed ſolùm vt quid exigens ſubſtractionẽ concurſus, quo Deus illam conſeruabat, per cuius ſubſtractionem immediatè expellitur: at verò actio, quã aqua producitur, ſeu conſeruatur à generante,

Digitized by Google

rante, vel à Deo, ſe ipſâ eſt productio frigiditatis aquæ in tua ſententia, & non per aliquid ſuperadditum: ergo repugnat, dari talem actionem ſine frigiditate. Secundùm verò, nempe quòd prædictum exemplum nō faueat aduerſarijs, facilè conſtat: quia, ſi productio aquæ ſe haberet ad frigiditatem, ſicut informatio formæ aduenientis ſe habet ad expulſionem præexiſtentis: ergo ſicut naturaliter non poteſt dari informatio illius abſque huius expulſione, ita non poterit dari naturaliter productio, aut conſeruatio aquæ abſque frigoris conſeruatione: atqui oppoſitum concedis conuictus experientiâ; ergo tibi non fauet exemplum adductum.

12 Alij dicunt, productionem paſsionum tribui generāti vt cauſę principali; eſſentiæ verò, cuius ſunt paſsiones, vt cauſæ inſtrumētali, & ideo nō eſſe immanētē, quia ad id requiritur, quòd maneat in cauſa principali. Sed cōtra: generans non aliter cōcurrit ad producendas proprietates eſſentiæ, niſi producēdo ipſam eſſentiā, quę immediatè illas producit: at hoc non ſufficit, vt dicatur cauſa principalis: ergo, &c. Minorē probo: quia ignis producens alium, dat illi virtutem, quâ producat ſuos effectus, & nihilominus non dicitur cauſa principalis talium effectuum ab igne productorum; ſed ſolùm cauſa remota: ergo neque generans dicetur cauſa principalis proprietatum, quas eſſentia in ſe producit; ſed ſolùm cauſa remota. Et quidem, cùm eſſentia ſit perfectior ſuis paſsionibus, & eiuſdem rationis cum generante, non eſt, cur dicatur inſtrumentum illius ad paſſiones producendas, quia inſtrumentum naturale neque eſt eiuſdē rationis cum cauſa principali, neque perfectiùs effectu, ad quem concurrit vt inſtrumentum naturale.

13 Dices: qui dat formam, dat conſequentia ad formā, iuxta commune philoſophorum proloquium: ergo eadem cauſa, quæ producit eſſentiam, producit etiam proprietates, & paſsiones conſequentes ipſam eſſentiam. Diſtinguo antecedens: qui dat formam, dat remotè conſequentia ad formam, concedo: dat proximè, nego antecedens: quia ad hoc, vt dicatur eſſe cauſa eorum, quæ conſequuntur formam, ſufficit, quòd tribuat virtutem ipſi formæ ad ea producenda iuxta illud: *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.* Deinde diſtinguo conſequens: ergo eadem cauſa, quæ producit eſſentiam, producit etiam proprietates tanquam cauſa remota, concedo: tanquam cauſa proxima, nego conſequentiam.

Solutio P. Hurt. refellitur.

14 Pater Hurtado aliter conatur defendere, non eſſe immanētes actiones, per quas frigus ab aqua, & proprietates ab eſſentia producuntur. Pro quo ſupponit hìc diſp. 3. ſect. 3. nu. 48. actionem immanentem illam eſſe, cuius ter-

terminus natura ſua eſt immanens: deinde num. 7. illum terminum dicit eſſe natura ſua immanentem, quem ſubiectum non poteſt ab alio recipere ſine ſuo concurſu actiuo. Hoc ergo ſuppoſito, reſpondet ſubſ. 6 & 7. frigiditatem, & quancunque aliam proprietatẽ, & paſſionem non eſſe terminos ex natura ſua immanentes, ac perconſequens neque actiones, per quas producuntur; quia frigiditas poteſt produci in aqua ab alio agente extrinſeco, vt conſtat experientiâ: reliquas verò proprietates, vt ſunt quantitas reſpectu materiæ, intellectus, & voluntas reſpectu animæ (ex ſuppoſitione, quòd ab illa diſtinguantur) &c. dicit, produci quidem de facto ab eſſentia, cuius ſunt paſſiones, eas tamen ex natura ſua non magis petere ab eſſentia produci, quàm à Deo, vel alia entitate eiuſdem rationis, v. g. quantitatem huius materię ab alia materia; &, intellectum, ac voluntatem huius animæ ab alia anima numero diuerſa.

15 Multa mihi diſplicent in hac doctrina. Et primò id, quod ſupponitur de immanentia actionis, eſt falſum: quia ſpecies expreſſa intellectus humani, quæ in ſententia huius authoris eſt terminus ex natura ſua immanens, poteſt produci per actionem ex ſe tranſeuntem: ergo immanentia actionis non poteſt ſumi ex ſola immanentia naturali termini. Conſequẽtia patet: quia alioqui nulla actio ex ſe tendens in terminum immanentem poſſet eſſe tranſiens. Antecedens verò probatur: quia ſpecies expreſſa intellectus humani poteſt produci in ipſo intellectu per actionem à ſolo Deo procedentem, vt fatetur P. Hurt. infra diſp. 6 num. 99. ergo datur actio, quæ, cùm ſe ipſâ terminetur ad terminum ex natura ſua immanentem, non ſit immanens. Patet conſequentia: quia non poteſt manere in Deo, à quo ſolo vt agente procedit: ergo non poteſt eſſe immanens; ac per conſequens erit tranſiens.

16 Secundò, negari nequit, eſſe per ſe immanentem eam actionem, quæ, prout eſt à tali agente in ſpecie in talem terminum in ſpecie, manere debet in agẽte, etiamſi terminus productus oriri poſſit tranſeunter ab alio agente diuerſæ rationis: ergo poteſt dari actio per ſe immanens terminata ad terminum tranſeuntem. Antecedens probatur: quia cum actiones ſpecificentur nõ ſolùm à termino; ſed etiã ab agente, vt diximus in Phyſ. diſp. 20. ſect. 4. ea actio erit immanens ratione prædicati, quo reſpicit tale agens in ſpecie, & talem terminũ in ſpecie, quod quidẽ prædicatum eſt ſpecificum, vt cõſtat: ergo ea actio erit per ſe, & eſſentialiter immanens, quandoquidem id, quod conuenit ratione prædicati ſpecifici, conuenit eſſentialiter. Talis eſt actio, per quam aqua producit in ſe frigiditatem: quia licèt frigus poſſit tranſeunter produci ab alio frigore; non tamen ab aqua, hæc enim non poteſt frigus niſi in ſe ipſa producere,

Digitized by Google

re, vt probaui ſupra. Hæc circa id, quod ſupponitur à P. Hurt. ante ſolutionem.

17 Sed age iam, videamus, quid veritatis ſolutio habeat. Dicit, frigiditatem aquæ, intellectum, voluntatem, &c. non eſſe terminos ex natura ſua immanentes, quia ex natura ſua poſſunt produci ab agente extrinſeco. Id quidem verum eſt de frigiditate, quia experientiâ conſtat, non ſolùm produci ab aqua; ſed etiã ab alio frigore. Ex eo tamẽ non infertur nõ produci ab aqua per actionẽ immanẽtem, vt dicebamus nu. præced. Sed quod attinet ad quãtitatẽ huius materiæ, intellectũ huius animæ &c. neſcio, vnde colligat, produci poſſe ab alia materia, & ab alia anima numero diuerſa: quia, vt ipſe fatetur, de facto ſemper producuntur ab ea materia, & ab ea anima, in quibus ſunt: ergo non eſt, vnde colligatur, produci poſſe ab alijs.

18 Reſpondet num. 65. id colligi ex eo, quòd non eſt neceſſaria maior virtus ad producendum effectum in ſe, quàm in alio: ergo cùm hæc materia poſſit quantitatem, & hæc anima potentiam intellectiuam in ſe producere, poterunt eas etiam producere in quacumque alia eiuſdem ſpeciei. Sed contrà: hic intellectus poteſt ſpeciẽ expreſſam; & hoc animal terminum nutritionis in ſe ipſis producere; & tamen non poſſunt hos effectus producere in alio intellectu, aut animali eiuſdem ſpeciei, vt fateris: ergo ex eo, quòd hæc anima poſſit intellectum in ſe producere, non colligitur, poſſe illum producere in alia numero diuerſa. Confirmatur: quia ex eo, quod ſpecies expreſſa nunquam producatur, niſi ab intellectu, in quo recipitur, colligis, non poſſe produci ab alio numerò diuerſo: ſed per te quantitas huius materiæ, & intellectus huius animæ nunquam producuntur niſi ab eis, in quibus recipiuntur: ergo non poſſunt produci ab alijs: ergo ſunt termini ex ſe immanentes, ſicut ſpecies expreſſa; ac perconſequens iuxta tuam ſententiam producentur per actionem ex ſe immanentem, ſicut producitur ſpecies expreſſa.

19 Ex dictis conſtat, dari aliquas actiones per ſe immanentes, quæ vitales non ſunt. Hoc verò ſuppoſito difficultas eſt, & non parua in aſsignando conceptu viuentis, ſeu, quod idem eſt, vitę ſubſtantialis, in quo omnia viuentia creata conueniant, & per quem à non viuentibus diſcernantur. An verò poſsit aſsignari aliquis vitæ conceptus quodammodo communis Deo, & creaturis? infra videbimus.

SECTIO II.

Duæ ſententiæ refutantur.

20 RECentiores aliqui ex noſtris ſic vitam ſubſtantialem definiêre: *Viuens eſt, quod vltra complementum in eſſe ſubſtantiali, & virtute operatiua, determinatum eſt ad producendum in ſe perfectionem, aut terminum, qui naturaliter ab extrinſeco non poſsit produci.* Per *complementum in eſſe ſubſtan-*

Digitized by Google

ſtantiali, & virtute operatiua, intelligunt ſubſiſtentiam, quæ eſt cõplementum naturæ in eſſe ſubſtantiali; &, facultates, ſeu potentias ad operandum requiſitas (ſi eæ ſint accidentia realiter ſuperaddita ſubſtantiæ) quia eis completur virtus operatiua ſubſtantię ad ſuas operationes eliciẽdas. Ea verò voce *vltra* denotatur, nullam ſubſtãtiam eſſe viuentem per ordinem ad productionem prædictarum entitatum, etiamſi ea ſit actio immanens, quia talis operatio eſt communis viuentibus, & non viuentibus.

21 Additur *determinatum ad producendum in ſe perfectionem*, vt excludantur à ratione viuentium aliquæ ſubſtantiæ, quæ vltra productionẽ ſubſiſtentiæ, & potentiarum alias eliciunt actiones, non tamen in ſe, ſed in ſubiecto diſtincto, vt ignis elicit generationem ignis alterius, &c. Adhuc vero cõuenit prædicta definitio grauibus, & leuibus, quæ quidẽ determinata ſunt ad producendam in ſe præſentiam, per quam in proprio centro collocantur, & propterea adduntur vltima verba, *qui naturaliter ab extrinſeco non poſsit*, per quæ grauia, & leuia à ratione viuentiũ excluduntur, quia poſſunt fieri præſentia ſuo centro à mouente externo, vt conſtat experientiâ; ſecus eſt de viuentibus, hæc enim vt talia ordinantur ad terminos, qui produci naturaliter non poſſunt ab extrinſeco, vt ſunt ſpecies expreſſa; pars viuentis acquiſita per nutritionem, &c. quæ naturaliter non poſſunt produci, niſi ab ipſis viuentibus, in quibus recipiuntur. Pro hac vltima parte definitionis referunt Petrum Garſiam ſup. Fen. Auic. d. 50. c. 1. n. 6. & P. Rub. hic tract. de intellectu agente q. 5. n. 28. vbi dicit productionem ſpeciei impreſſæ in intellectu non eſſe vitalem, quia poteſt fieri ab extrinſeco.

22 In duplici parte prædictæ definitionis hæreo, nempe, *quod vltra complementum in virtute operatiua*, &; *qui naturaliter ab extrinſeco non poſsit*. Et quod ad priorem attinet; ſi actio, per quam ſubſtantia completur in virtute operatiua; non eſt vitalis, ſequitur apertè, intellectionem non eſſe vitalem; ac perconſequens intellectiuum vt tale non eſſe viuens. Sequela probatur: quia per intellectionem conſtituitur homo proximè potens ad eliciendam volitionem: ergo per intellectionem completur in virtute operatiua volitionis: non ergo eſt actio vitalis intellectio, ſi actio complens in virtute operatiua non eſt vitalis.

23 Dices 1. actionẽ nõ excludi à ratione vitalis ex eo, quod compleat virtutem operatiuã in ordine ad vnam, vel alteram tãtùm operationem; dummodo non cõpleat in ordine ad omnes: per intellectionẽ autẽ non cõpletur homo in ordine ad omnes ſuas operationes, & ideo poteſt eſſe vitalis, etiamſi per illã cõpleatur homo in ordine ad volitiones. Sed contrà: ergo etiã actio, per quam voluntas producitur, erit vitalis. Patet conſequentia:

quia per te actio non excluditur à ratione vitalis ex eo, quòd per illam compleatur viuens in ordine ad vnam, vel alteram operationẽ, dummodo non compleatur in ordine ad omnes: ſed per productionem voluntatis completur in ordine ſolùm ad eliciendos actus voluntatis: ergo erit hæc actio vitalis.

24 Dices 2. ad hoc, vt actio à ratione vitalis excludatur, neceſſarium non eſt, quòd ſubſtantia cõpleatur in ordine ad omnes operationes, quas abſolutè poteſt elicere; ſed ſolùm in ordine ad omnes vnius lineæ, ſeu ſeriei, v.g. in ordine ad omnes operationes intelligendi, vel volendi, &c. per voluntatem autem completur homo in ordine ad omnes operationes lineæ volendi, & ideo productio eius non eſt vitalis. Sed cõtrà; per intellectionem cõpletur homo in ordine ad omnes operationes lineæ volitiuæ, quia nulla poteſt elici volitio, quin præcedat cognitio: ergo intellectio non eſt actio vitalis iuxta hanc doctrinam. Secundò, virtus operatiua hominis cõpletur per nutritionem in ordine ad aliquam ſeriem operationum, quas non poteſt elicere, niſi priùs in certam magnitudinem deuenerit per nutritionem, vt ſunt deambulatio, loquutio, diſcurſus, & aliæ ſimiles: ergo nutritio non erit actio vitalis. Vide quot oboriantur abſurda ex prima parte tuæ definitionis.

25 Veniamus ad vltimam, in qua ad rationem viuentis requiritur, quòd terminus eius nõ poſsit produci naturaliter ab extrinſeco. Contra quã ſic argumẽtor primò: viuens cõſtituitur in eſſe talis per virtutem, & perfectionem ipſi intrinſecam: ſed quòd terminus eius non poſsit ab extrinſeco produci, non eſt perfectio intrinſeca viuentis: ergo non poteſt id pertinere ad rationem viuentis vt talis. Minor eſt certa: quia ad hoc, vt terminus eius non poſsit produci ab extrinſeco, neceſſarium non eſt, quòd virtus ſit maior, quàm aliàs eſſet, ſed ſufficit, quòd non detur extra viuens virtus aliqua potens terminum producere: at, quòd hæc virtus detur, vel non detur extra viuens, eſt quid valde extrinſecum ipſi viuenti, vt conſtat: ergo nulla perfectio intrinſeca illi accreſcit ex defectu talis virtutis.

26 Secundò, terminus nutritionis poteſt naturaliter ab extrinſeco produci, & nihilominus nutritio eſt actio vitalis, vt concedis: ergo, &c. Antecedens probatur: quia Angelus applicando actiua paſsiuis poteſt vltimo diſponere alimentum intra poros cõtentum ad nutritionem, in hoc enim nulla inueniri poteſt repugnantia: atqui alimento ita diſpoſito teneretur Deus vt author naturæ introducere formam viuentis in ea parte alimenti, & eam viuenti vnire: ergo terminus nutritionis produci poteſt naturaliter ab extrinſeco.

27 P. Arriag. hîc diſp. 2. ſect. 1. ſubſ. 5. poſt multa, quæ in præcedentibus adduxerat pro varijs ſententijs, quas omnes lõgè, latèque

que impugnauerat, tandem concludit, nullam dari rationem vitæ communem plantis cum alijs viuentibus cognoſcitiuis: quia putat, nutritionem non eſſe actionem per ſe immanentem, quod probauerat in ſuperioribus ex eo, quòd ſi vnum viuens cum altero penetraretur, poſſet quidem illud augere per nutritionē: & propterea ſubiungit, vitam plantæ in eo ſolùm conſiſtere, quòd augeatur intrinſecè per intus ſumptionem, & in hoc ſolùm diſcerni à non viuentibus.

28 Hæc ſententia vel ex eo ſolum mihi diſpliceret, quòd eſt contra communem philoſophorum ſententiam aſſerentium, tum de ratione viuentis eſſe operari immanenter; tum etiam dari in linea prędicamentali Subſtantię, rationem quandam, quæ & rationem ſubſtantiæ corporeæ contrahit ad eſſe viuentis ſeparando illam à non viuentibus, & vniuocè diuiditur in omnia viuentia corporea, inſenſibilia videlicet, quæ ſunt plantæ; &, ſenſibilia, quę ſunt animalia: ergo aliquam vitæ rationem admittunt communem animalibus, & plantis.

29 Secundò, leui fundamento, ne dicam falſo, nixus opinionem adſtruit ſingularem contrariam omnibus, quia docet, nutritionem non eſſe actionem per ſe immanentem, ex eo, quòd, ſi vnum viuens cum altero penetraretur, poſſet augmentum in illo producere per nutritionem. Certè ſi penetratum poſſet vnum viuens aliud per nutritionem augere, non video, cur non poſſet per ſolam contiguitatem aliquid in eo producere; vt argumentabar in lib. de Gen. diſp. 8. ſect. 2. Vide, quæ ibi diximus. Deinde ſic argumentor: Nulla datur potentia naturalis, quæ ſaltem aliquando non poſsit naturaliter applicari ad ſuum effectum naturaliter producendum: ſed vnum viuens non poteſt naturaliter applicari ad augendum aliud: ergo non habet potentiam naturalem ad tale augmentum. Minor probatur: quia per te non poteſt applicari ad illud augendum, niſi per penetrationem: ſed penetratio non poteſt naturaliter dari: ergo neque vnum viuens naturaliter applicari alteri ad illud augendum.

30 Hinc ſumitur ratio à priori, cur vnum viuens non poſsit aliud augere per nutritionem? quia neque viuens poteſt per potentiam nutritiuam ex natura rei agere in alimentum, niſi hoc ſit illi applicatū per intus ſumptionem; neq; alimentū poteſt ex natura rei conuerti in viuens, cui nō eſt applicatum per intus ſumptionem, vt conſtat experientiā: ſed alimentum, quod per intus ſumptionem applicatum eſt potentiæ nutritiuæ vnius viuentis, non poteſt ex natura rei eſſe applicatum alteri eodem modo: ergo non poteſt ex natura rei in alterum conuerti per potentiam nutritiuam huius. Minor probatur: quia applicari alimentum

per intus ſumptionem potentiæ nutritiuæ vnius viuentis nil aliud eſt, quàm quòd per venas, & poros ipſius viuentis applicetur potentiæ nutritiuæ illius: ſed venæ, & pori vnius viuentis non ſunt venæ, & pori alterius, neque ex natura rei poſſunt penetrari in eodem loco: ergo id, quod per intus ſumptionem applicatur ex natura rei potentiæ nutritiuæ vnius viuentis, non poteſt ex natura rei ſimul applicari alteri viuenti eodem modo: ergo neque ab vno in alterum conuerti.

31 Secus res accidunt in nõ viuentibus: quia non viuens poteſt per potentiam augmentatiuam agere in alimentum per ſolam contiguitatem applicatum potentiæ ipſius non viuentis; & illi, in quod eſt conuertendum, vt cõſtat experientiâ. Cum autem illud alimentum, quod per contiguitatem applicatum eſt potentiæ augmentatiuæ huius non viuentis, ignis v. g. poſsit etiam eſſe alteri applicatũ eodẽ modo, fit, vt potẽtia augmẽtatiua vnius ignis poſsit alimẽtũ in aliũ diſtinctum conuertere ex natura rei.

SECTIO III.

Vera definitio vitæ ſubſtantialis explicatur.

32 Ergo ſic vitã ſubſtantialẽ definio: *Viuens eſt, quod vltra ea, quibus in ſua naturali diſpoſitione conſtituitur, eſt determinatum ad producẽdam in ſe ſuam perfectionem.* Hanc definitionem ferè eiſdem verbis tradit P. Molin. 1. p. q. 13. diſp. vnic. §. 2. eãdẽ tradit P. Zuñ. de Trin. diſp. 1. dub. 1. mẽb. 2. & nonnulli recentiores ſequati, vt audio, Petrum Garſ. ſuper Fen. Auic. diſp. 50. c. 1. n. 4. Explicatur. Per priora verba, *quod vltra ea, quibus in ſua naturali diſpoſitione cõſtituitur*, intelligo ea omnia, quæ per ſe debentur viuenti ex vi ſuæ eſſentiæ in primo inſtanti generationis, quales ſunt proprietates, & paſſiones, ſubſiſtentia, præſentia in centro, & alia huiuſmodi, quorum productiones ea voce *vltra* excluduntur à ratione vitæ, quia non viuentibus conuenit etiam in ſe producere ea omnia, per quæ in ſua naturali diſpoſitione conſtituuntur, vt conſtat ex dictis ſect. 1. & ideo viuens vt tale præter has, debet alias habere operationes, per ordinẽ ad quas à nõ viuentibus diſcernatur. Propterea additur; *Eſt determinatũ ad producendum in ſe ſuam perfectionem*, quibus verbis ſignificatur, viuens vt tale vltra or[illegible]nes, quibus in ſua natu[illegible]ſitione conſtituitur [illegible]re alias habere ex na[illegible]a immanentes, qui[illegible] continuò ſuæ prouideat perfectioni, in quo differt à non viuentibus, quibus non cõuenit talis operandi modus, vt conſtabit ex dicendis.

33 Per τὸ autẽ *determinatũ* nõ intelligẽda eſt determinatio, quę infert neceſsitatem oppoſitã libertati: homo enim, vt eſt principium volitionis, eſt viuens; & nihilominus non elicit volitionem

cum

cum hac neceſsitate; ſed ſolùm ſignificat ea particula, quòd viuens debet in ſe ſuam perfectionẽ producere, & non in alio: aliter enim nõ eſſet per ſe immanens ea actio, quod neceſſariò requiritur ad rationem viuentis, vt cõſtat ex dictis ſect. 1. nu. 4. Porrò perfectio poteſt ſumi dupliciter: *vt quod*; &, *vt quo*. Priori modo ſumpta, eſt illa entitas, quæ vnita ſubiecto illud perficit: poſteriori verò eſt ipſa vnio, media qua perficit ſubiectum. In definitione ergo, dum dicitur, *ad producendum in ſe ſuam perfectionẽ*, loquimur de perfectione *vt quod*; non de perfectione *vt quo*; quia per ordinem ad illam, & non ad iſtam diſcernitur viuens à nõ viuentibus, vt conſtabit ex dicendis.

34 Sic ergo explicata definitio probatur: quia ea erit bona viuentis definitio, quæ, cùm cõueniat omnibus viuentibus, nulli nõ viuentium attribui poteſt: ſed talis eſt præfata definitio: ergo eſt bona. Maior eſt nota. Minor probatur: quia in primis conuenit Angelis, animalibus, & plantis; hæc enim omnia vltra ſubſiſtentiam, facultates, potentias, & alia, quæ illi debentur ex vi ſuæ eſſentiæ in inſtanti generationis, determinata ſunt ad producendã in ſe ipſis formã illa perficientẽ *vt quod*. In Angelis, & animalibus eſt certum; producunt nãque in ſe, illi actus intellectus, & voluntatis; iſta, actus ſentiendi, & appetendi, quos quidẽ nõ poſſunt in alijs, niſi in ſe ipſis producere, neq; ad naturalem eorũ conſtitutionem pertinent modo explicato. De plantis idem conſtat: quia virtute propriâ nouas partes cõtinuò acquirunt, quibus ita quotidianis incrementis augeſcunt, vt neq; illis conſtituantur in ſua naturali diſpoſitione; neque eas poſsint in alio, quã in ſe ipſis producere, vt conſtat ex dictis. En prædicta definitio cõuenit omnibus viventibus creatis.

35 Iã, quòd nulli ex non viuẽtibus conueniat, facile monſtratur: quia, licèt non viuentia in ſe ipſis poſsint producere per actionẽ ex ſe immanẽtẽ ea, quæ ad naturalẽ eorũ cõſtitutionẽ, & diſpoſitionẽ pertinent; vltra ea tamen nil poſsũt in ſe ipſis producere per actionẽ ex ſe immanẽtẽ: ergo nõ conuenit illis vltima pars definitionis. Dices: ignis in ſua naturali diſpoſitione cõſtitutus poteſt ſe ipſum augere; deinde grauia, & leuia poſſunt ſe ipſa mouere in cẽtrũ: ergo vltra ea, quibus in ſua naturali diſpoſitione cõſtituuntur, poſſunt in ſe producere ſuã perfectionẽ per actionẽ ex ſe immanentẽ. Quod ad ignẽ attinet, reſpondetur, ita ſe ipſum augere, vt idẽ augmentũ poſsit in alio producere defacto, ſi applicetur, vt conſtat experientiâ, & ideo ea actio non eſt immanens per ſe; ſed ſolũ per accidens. Idẽ dicito de grauibus, & leuibus circa productionẽ præſentiæ centricæ; quia non ſolùm in ſe; ſed etiam in quocumque alio corpore ſibi affixo poſſunt producere talẽ præſentiã.

36 Inſtabis: vnio, qua pars denuo adueniens per augmentationem vnitur huic igni; &, præſentia, qua hoc corpus graue fit præſens ſuo cētro, ſunt modi eorum: ergo neque hic ignis poteſt eam vnionem; neque hoc graue eam præſentiam, niſi in ſe ipſis producere: ergo determinata ſunt ad producendas in ſe tales perfectiones, ſicut viuentia. Diſtinguo hoc vltimum conſequens: determinata ſunt ad producendas in ſe perfectiones, quibus perficiuntur *vt quo*, cōcedo: quibus perficiuntur *vt quod*, nego cōſequentiā. Itaq; hoc eſt diſcrimen inter augmentationē viuentiū; & ignis, quòd viuentia nō solū vnionem; ſed neq; partē per nutritionem illis aduenientē, qua perficiuntur *vt quod*, poſſunt in alio producere, aut alteri vnire, niſi ſibi ipſis: at verò ignis, licèt vnionem partis ipſi aduenientis per augmentationē non poſsit in alio producere, quia, cùm ſit modus ipſius, non poteſt ab ipſo ſeparari; poteſt tamē ipſam partē, qua perficitur *vt quod*, in alio producere, ſeu alteri vnire per vnionē eiuſdē ſpeciei cū illa, per quam ſibi talem partem vniebat. Vnde oritur, quòd augmentatio non viuentiū non ſit per ſe immanens; quia, prout eſt ab hoc agente in ſpecie in hunc terminum in ſpecie, poteſt tranſire ad aliud paſſum; ſecus augmentatio viuentium.

37 Idem dicendum eſt de præſentia grauium, & leuium, ſi non eſt modus; at vero, ſi dicatur eſſe modus (vt nos diximus in Phy. diſp. 22. n. 39.) poſſumus duas formalitates in illa diſtinguere: vnam, perquam conſtituatur corpus in centro; aliam, per quam ſe vniat ipſi corpori: hæc ſe habebit tanquam perfectio *vt quo*, & illa tanquam perfectio *vt quod*. Iuxta hanc ergo doctrinam reſpondeo, quòd, licèt corpus graue non poſsit hanc præſentiā in alio producere, quia eſt modus ipſius; poteſt tamen aliā producere, quæ ſit eiuſdem ſpeciei; ſaltē ſecundū formalitatē ſe habentē tanquā perfectionem *vt quod*, & ideo actio illa nō erit immanens per ſe. Adde, præſentiam centricā pertinere ad naturalem diſpoſitionem corporis grauis, & leuis; quia debetur illis ex vi propriæ eſſentiæ in inſtanti generationis, atque adeo ex hoc capite excludi etiam poſſunt à ratione viuentium grauia, & leuia vt productiua talis præſentiæ.

Viuens non eſt tale per ordinem ad omnes actiones proprias illius.

38 EX dictis facile eſt iudicare, an viuens ſit formaliter tale per ordinē ad omnes actiones, quæ ſunt propriæ ipſius viuentis? Aliquæ enim ſunt propriæ illius, de quibus frequenter dubitari ſolet, an ſint formaliter vitales? quales ſunt mot⁹ dilatationis cordis, ac arteriarum; reſpiratio; loquutio; deambulatio; & aliæ ſimiles. Si autem hæ ſunt formali-

Digitized by Google

ter vitales, viuens erit formaliter tale per ordinem ad illas; ſecus ſi vitales non ſint formaliter.

39 Dico ergo, viuens non eſſe formaliter tale per ordinem ad illas præciſè. Hanc ſentẽtiã quoad motum cordis, & arteriarum tenet Pet. Garſ. ſuper Fen. Auicen. diſp. 50. c. 4. nu. 17. & dicit apertè eſſe S. Tho. opuſc. 35. qui etiam 1. 2. q. 17. art. 9. ad 2. & 3. dicit, motum cordis eſſe naturalem, hoc eſt, pertinere propriè ad facultates naturales, prout à vitalibus diſtinguũtur, & idem docet Ferra. 2. cont. Genr. c. 95. Quod attinet ad loquutionem, deambulationem, & comeſtionẽ tradit eandem ſententiã P. Vazq. 1. p. in explicatione art. 3. q. 52. & diſp. 186.; ibi enim docet, prædictas actiones non eſſe vitales quoad ſubſtãtiã; ſed ſolùm quoad modum, quia videlicet ita fiunt à viuente, vt in illo ſupponant operationes aliquas vitales. Patri Vazq. cõſentit P. Garſ. ſup. c. 5. n. 24. & propterea iſte author admittit ibi, dari actiones vitales non immanentes perſe, quod quidem intelligit non de actionibus formaliter, & ſecundùm ſubſtantiam vitalibus (de his enim docẽt cõmuniter philoſophi cum Ariſt. & S. Tho. debere eſſe immanentes perſe, vt vidimus ſect. 1.) ſed de prædictis actionibus, quas ipſe vocat vitales tãtũ quoad modũ.

40 Probatur ergo prædicta ſẽtentia: quia viuens eſt formaliter tale per ordinem ad operationes ex natura ſua immanentes in ipſo viuente: ſed prędictę operationes non ſunt ex natura ſua immanentes in viuẽte: ergo, &c. Minorem probo: quia illæ operationes, quarum terminũ poteſt viuens in alio producere, nõ ſunt ex natura ſua immanentes in ipſo viuente: ſed terminos earum actionum poteſt viuens in alio producere, quia terminum de ambulationis, qui eſt præſẽtia ſucceſsiuè acquiſita per greſsũ, poteſt vnũ viuens producere in alio, vt conſtat experiẽtiã; deinde cor poteſt ſecum mouere quodcumq; aliud corpus ſibi affixũ, & in eo producere præſentias ſimiles ijs, quas in ſe producit; & idem conſtat de loquutione, reſpiratione, &c. ergo tales actiones non ſunt immanentes perſe: ergo neq; viuens eſt tale formaliter per ordinẽ ad illas.

41 Sunt autẽ hæ operationes propriæ viuentis, quia ita ab ipſo eliciũtur, vt vel in illo ſupponant ex natura rei ad ſui exercitium operationes aliquas vitales, vel ſint media in viuente requiſita ad vitæ functiones exercendas, & propterea dicunturvitales quoad modum. Prioris generis ſunt deambulatio, & loquutio, quarum prima ſupponit in viuente, à quo elicitur, actum appetitus imperantis potentiæ motrici exequutionem ipſius: ſecunda verò ſupponit in ipſo viuente tùm actum cognitionis repræſentantis obiectum ſignificandũ per verba, tùm actũ voluntatis imperantis motum neceſſarium in lingua, faucibus, & ore ad verborũ dearticu-

rante, vel à Deo, ſe ipsâ eſt productio frigiditatis aquæ in tua ſententia, & non per aliquid ſuperadditum: ergo repugnat, dari talem actionem ſine frigiditate. Secundùm verò, nempe quòd prædictum exemplum nõ faueat aduerſarijs, facilè conſtat: quia, ſi productio aquæ ſe haberet ad frigiditatem, ſicut informatio formæ aduenientis ſe habet ad expulſionem præexiſtentis: ergo ſicut naturaliter non poteſt dari informatio illius abſque huius expulſione, ita non poterit dari naturaliter productio, aut conſeruatio aquæ abſque frigoris conſeruatione: atqui oppoſitum concedis conuictus experientiâ: ergo tibi non fauet exemplum adductum.

12 Alij dicunt, productionem paſsionum tribui generãti vt cauſę principali; eſſentiæ verò, cuius ſunt paſsiones, vt cauſæ inſtrumẽtali, & ideo nõ eſſe immanẽtẽ, quia ad id requiritur, quòd maneat in cauſa principali. Sed cõtra: generans non aliter cõcurrit ad producendas proprietates eſſentiæ, niſi producẽdo ipſam eſſentiã, quę immediatè illas producit: at hoc non ſufficit, vt dicatur cauſa principalis: ergo, &c. Minorẽ probo: quia ignis producens alium, dat illi virtutem, quâ producat ſuos effectus, & nihilominus non dicitur cauſa principalis talium effectuum ab igne productorum; ſed ſolùm cauſa remota: ergo neque generans dicetur cauſa principalis proprietatum, quas eſſentia in ſe producit; ſed ſolùm cauſa remota. Et quidem, cùm eſſentia ſit perfectior ſuis paſsionibus, & eiuſdem rationis cum generante, non eſt, cur dicatur inſtrumentum illius ad paſsiones producendas, quia inſtrumentum naturale neque eſt eiuſdẽ rationis cum cauſa principali, neque perfectiùs effectu, ad quem concurrit vt inſtrùmentum naturale.

13 Dices: qui dat formam, dat conſequentia ad formã, iuxta commune philoſophorum proloquium: ergo eadem cauſa, quæ producit eſſentiam, producit etiam proprietates, & paſsiones conſequentes ipſam eſſentiam. Diſtinguo antecedens: qui dat formam, dat remotè conſequentia ad formam, concedo: dat proximè, nego antecedens: quia ad hoc, vt dicatur eſſe cauſa eorum, quæ conſequuntur formam, ſufficit, quòd tribuat virtutem ipſi formæ ad ea producenda iuxta illud: *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.* Deinde diſtinguo conſequens: ergo eadem cauſa, quæ producit eſſentiam, producit etiam proprietates tanquam cauſa remota, concedo: tanquam cauſa proxima, nego conſequentiam.

Solutio P. Hurt. refellitur.

14 Pater Hurtado aliter conatur defendere, non eſſe immanẽtes actiones, per quas frigus ab aqua, & proprietates ab eſſentia producuntur. Pro quo ſupponit hìc diſp. 3. ſect. 3. nu. 48. actionem immanentem illam eſſe, cuius ter-

terminus natura ſua eſt immanens: deinde num. 7. illum terminum dicit eſſe natura ſua immanentem, quem ſubiectum non poteſt ab alio recipere ſine ſuo concurſu actiuo. Hoc ergo ſuppoſito, reſpondet ſubſ. 6 & 7. frigiditatem, & quancunque aliam proprietatē, & paſſionem non eſſe terminos ex natura ſua immanentes, ac perconſequens neque actiones, per quas producuntur; quia frigiditas poteſt produci in aqua ab alio agente extrinſeco, vt conſtat experientiâ: reliquas verò proprietates, vt ſunt quantitas reſpectu materiæ, intellectus, & voluntas reſpectu animæ (ex ſuppoſitione, quòd ab illa diſtinguantur) &c. dicit, produci quidem de facto ab eſſentia, cuius ſunt paſsiones, eas tamen ex natura ſua non magis petere ab eſſentia produci, quàm à Deo, vel alia entitate eiuſdem rationis, v. g. quantitatem huius materię ab alia materia; &, intellectum, ac voluntatem huius animæ ab alia anima numero diuerſa.

15 Multa mihi diſplicent in hac doctrina. Et primò id, quod ſupponitur de immanentia actionis, eſt falſum: quia ſpecies expreſſa intellectus humani, quæ in ſententia huius authoris eſt terminus ex natura ſua immanens, poteſt produci per actionem ex ſe tranſeuntem: ergo immanentia actionis non poteſt ſumi ex ſola immanentia naturali termini. Conſequētia patet: quia alioqui nulla actio ex ſe tendens in terminum immanentem poſſet eſſe tranſiens. Antecedens verò probatur: quia ſpecies expreſſa intellectus humani poteſt produci in ipſo intellectu per actionem à ſolo Deo procedentem, vt fatetur P. Hurt. infra diſp. 6 num. 99. ergo datur actio, quæ, cùm ſe ipſâ terminetur ad terminum ex natura ſua immanentem, non ſit immanens. Patet conſequentia: quia non poteſt manere in Deo, à quo ſolo vt agente procedit: ergo non poteſt eſſe immanens; ac per conſequens erit tranſiens.

16 Secundò, negari nequit, eſſe per ſe immanentem eam actionem, quæ, prout eſt à tali agente in ſpecie in talem terminum in ſpecie, manere debet in agēte, etiamſi terminus productus oriri poſsit tranſeunter ab alio agente diuerſæ rationis: ergo poteſt dari actio per ſe immanens terminata ad terminum tranſeuntem. Antecedens probatur: quia cum actiones ſpecificentur nō ſolùm à termino; ſed etiā ab agente, vt diximus in Phyſ. diſp. 20. ſect. 4. ea actio erit immanens ratione prædicati, quo reſpicit tale agens in ſpecie, & talem terminū in ſpecie, quod quidē prædicatum eſt ſpecificum, vt cōſtat: ergo ea actio erit per ſe, & eſſentialiter immanens, quandoquidem id, quod conuenit ratione prædicati ſpecifici, conuenit eſſentialiter. Talis eſt actio, per quam aqua producit in ſe frigiditatem: quia licèt frigus poſsit tranſeunter produci ab alio frigore; non tamen ab aqua, hæc enim non poteſt frigus niſi in ſe ipſa producere,

re, vt probaui ſupra. Hæc circa id, quod ſupponitur à P. Hurt. ante ſolutionem.

17 Sed age iam, videamus, quid veritatis ſolutio habeat. Dicit, frigiditatem aquæ, intellectum, voluntatem, &c. non eſſe terminos ex natura ſua immanentes, quia ex natura ſua poſſunt produci ab agente extrinſeco. Id quidem verum eſt de frigiditate, quia experientiâ conſtat, non ſolùm produci ab aqua; ſed etiã ab alio frigore. Ex eo tamẽ non infertur nõ produci ab aqua per actionẽ immanẽtem, vt dicebamus nu. præced. Sed quod attinet ad quãtitatẽ huius materiæ, intellectũ huius animæ &c. neſcio, vnde colligat, produci poſſe ab alia materia, & ab alia anima numero diuerſa: quia, vt ipſe fatetur, de facto ſemper producuntur ab ea materia, & ab ea anima, in quibus ſunt: ergo non eſt, vnde colligatur, produci poſſe ab alijs.

18 Reſpondet num. 65. id colligi ex eo, quòd non eſt neceſſaria maior virtus ad producendum effectum in ſe, quàm in alio: ergo cùm hæc materia poſſit quantitatem, & hæc anima potentiam intellectiuam in ſe producere, poterunt eas etiam producere in quacumque alia eiuſdem ſpeciei. Sed contrà: hic intellectus poteſt ſpeciẽ expreſſam; & hoc animal terminum nutritionis in ſe ipſis producere; & tamen non poſſunt hos effectus producere in alio intellectu, aut animali eiuſdem ſpeciei, vt fateris: ergo ex eo, quòd hæc anima poſſit intellectum in ſe producere, non colligitur, poſſe illum producere in alia numero diuerſa. Confirmatur: quia ex eo, quod ſpecies expreſſa nunquam producatur, niſi ab intellectu, in quo recipitur, colligis, non poſſe produci ab alio numerò diuerſo: ſed per te quantitas huius materiæ, & intellectus huius animæ nunquam producuntur niſi ab eis, in quibus recipiuntur: ergo non poſſunt produci ab alijs: ergo ſunt termini ex ſe immanentes, ſicut ſpecies expreſſa; ac per conſequens iuxta tuam ſententiam producentur per actionem ex ſe immanentem, ſicut producitur ſpecies expreſſa.

19 Ex dictis conſtat, dari aliquas actiones per ſe immanentes, quæ vitales non ſunt. Hoc verò ſuppoſito difficultas eſt, & non parua in aſsignando conceptu viuentis, ſeu, quod idem eſt, vitę ſubſtantialis, in quo omnia viuentia creata conueniant, & per quem à non viuentibus diſcernantur. An verò poſsit aſsignari aliquis vitæ conceptus quodammodo communis Deo, & creaturis? infra videbimus.

SECTIO II.

Duæ ſententiæ refutantur.

20 RECentiores aliqui ex noſtris ſic vitam ſubſtantialem definiêre: *Viuens eſt, quod vltra complementum in eſſe ſubſtantiali, & virtute operatiua, determinatum eſt ad producendum in ſe perfectionem, aut terminum, qui naturaliter ab extrinſeco non poſsit produci.* Per *complementum in eſſe ſubſtan-*

ſtantiali, & virtute operatiua, intelligunt ſubſiſtentiam, quæ eſt cõplementum naturæ in eſſe ſubſtantiali; &, facultates, ſeu potentias ad operandum requiſitas (ſi eæ ſint accidentia realiter ſuperaddita ſubſtantiæ) quia eis completur virtus operatiua ſubſtantię ad ſuas operationes eliciẽdas. Ea verò voce *vltra* denotatur, nullam ſubſtãtiam eſſe viuentem per ordinem ad productionem prædictarum entitatum, etiamſi ea ſit actio immanens, quia talis operatio eſt communis viuentibus, & non viuentibus.

21 Additur *determinatum ad producendum in ſe perfectionem*, vt excludantur à ratione viuentium aliquæ ſubſtantiæ, quæ vltra productionẽ ſubſiſtentiæ, & potentiarum alias eliciunt actiones, non tamen in ſe, ſed in ſubiecto diſtincto, vt ignis elicit generationem ignis alterius, &c. Adhuc vero cõuenit prædicta definitio grauibus, & leuibus, quæ quidẽ determinata ſunt ad producendam in ſe præſentiam, per quam in proprio centro collocantur, & propterea adduntur vltima verba, *qui naturaliter ab extrinſeco non poſſit*, per quã grauia, & leuia à ratione viuentiũ excluduntur, quia poſſunt fieri præſentia ſuo centro à mouente externo, vt conſtat experientiâ; ſecus eſt de viuentibus, hæc enim vt talia ordinantur ad terminos, qui produci naturaliter non poſſunt ab extrinſeco, vt ſunt ſpecies expreſſæ; pars viuentis acquiſita per nutritionem, &c. quæ naturaliter non poſſunt produci, niſi ab ipſis viuentibus, in quibus recipiuntur. Pro hac vltima parte definitionis referunt Petrum Garſiam ſup. Fen. Auic. d. 50. c. 1. n. 6. & P. Rub. hìc tract. de intellectu agente q. 5. n. 28. vbi dicit productionem ſpeciei impreſſæ in intellectu non eſſe vitalem, quia poteſt fieri ab extrinſeco.

22 In duplici parte prædictæ definitionis hæreo, nempe, *quod vltra complementum in virtute operatiua*, &, *qui naturaliter ab extrinſeco non poſſit*. Et quod ad priorem attinet; ſi actio, per quam ſubſtantia completur in virtute operatiua; non eſt vitalis, ſequitur apertè, intellectionem non eſſe vitalem; ac perconſequens intellectiuum vt tale non eſſe viuens. Sequela probatur: quia per intellectionem conſtituitur homo proximè potens ad eliciendam volitionem: ergo per intellectionem completur in virtute operatiua volitionis: non ergo eſt actio vitalis intellectio, ſi actio complens in virtute operatiua non eſt vitalis.

23 Dices 1. actionẽ nõ excludi à ratione vitalis ex eo, quod compleat virtutem operatiuã in ordine ad vnam, vel alteram tãtùm operationem; dummodo non cõpleat in ordine ad omnes: per intellectionẽ autẽ non cõpletur homo in ordine ad omnes ſuas operationes, & ideo poteſt eſſe vitalis, etiamſi per illã cõpleatur homo in ordine ad volitiones. Sed contrà: ergo etiã actio, per quam voluntas producitur, erit vitalis. Patet conſequentia: quia

Quia per te actio non excluditur à ratione vitalis ex eo, quòd per illam compleatur viuens in ordine ad vnam, vel alteram operationẽ, dummodo non compleatur in ordine ad omnes: ſed per productionem voluntatis completur in ordine ſolũ ad eliciendos actus voluntatis: ergo erit hæc actio vitalis.

24 Dices 2. ad hoc, vt actio à ratione vitalis excludatur, neceſſarium non eſt, quòd ſubſtantia cõpleatur in ordine ad omnes operationes, quas abſolutè poteſt elicere; ſed ſolùm in ordine ad omnes vnius lineæ, ſeu ſeriei, v.g. in ordine ad omnes operationes intelligendi, vel volendi, &c. per voluntatem autem completur homo in ordine ad omnes operationes lineæ volendi, & ideo productio eius non eſt vitalis. Sed cõtrà; per intellectionem cõpletur homo in ordine ad omnes operationes lineæ volitiuæ, quia nulla poteſt elici volitio, quin præcedat cognitio: ergo intellectio non eſt actio vitalis iuxta hanc doctrinam. Secundò, virtus operatiua hominis cõpletur per nutritionem in ordine ad aliquam ſeriem operationum, quas non poteſt elicere, niſi priùs in certam magnitudinem deuenerit per nutritionem, vt ſunt deambulatio, loquutio, diſcurſus, & aliæ ſimiles: ergo nutritio non erit actio vitalis. Vide quot oboriantur abſurda ex prima parte tuæ definitionis.

25 Veniamus ad vltimam, in qua ad rationem viuentis requiritur, quòd terminus eius nõ poſsit produci naturaliter ab extrinſeco. Contra quã ſic argumẽtor primò: viuens cõſtituitur in eſſe talis per virtutem, & perfectionem ipſi intrinſecam: ſed quòd terminus eius non poſsit ab extrinſeco produci, non eſt perfectio intrinſeca viuentis: ergo non poteſt id pertinere ad rationem viuentis vt talis. Minor eſt certa: quia ad hoc, vt terminus eius non poſsit produci ab extrinſeco, neceſſarium non eſt, quòd virtus ſit maior, quàm aliàs eſſet; ſed ſufficit, quòd non detur extra viuens virtus aliqua potens terminum producere: at, quòd hæc virtus detur, vel non detur extra viuens, eſt quid valde extrinſecum ipſi viuenti, vt conſtat: ergo nulla perfectio intrinſeca illi accreſcit ex defectu talis virtutis.

26 Secundò, terminus nutritionis poteſt naturaliter ab extrinſeco produci, & nihilominus nutritio eſt actio vitalis, vt concedis: ergo, &c. Antecedens probatur; quia Angelus applicando actiua paſsiuis poteſt vltimo diſponere alimentum intra poros cõtentum ad nutritionem, in hoc enim nulla inueniri poteſt repugnantia: atqui alimento ita diſpoſito teneretur Deus vt author naturæ introducere formam viuentis in ea parte alimenti, & eam viuenti vnire: ergo terminus nutritionis produci poteſt naturaliter ab extrinſeco.

27 P. Arriag. hìc diſp. 2. ſect. 1. ſubſ. 5. poſt multa, quæ in præcedentibus adduxerat pro varijs ſententijs, quas omnes lõgè, latèque

que impugnauerat, tandem concludit, nullam dari rationem vitæ communem plantis cum alijs viuentibus cognoſcitiuis: quia putat, nutritionem non eſſe actionem per ſe immanentem, quod probauerat in ſuperioribus ex eo, quòd ſi vnum viuens cum altero penetraretur, poſſet quidem illud augere per nutritionē: & propterea ſubiungit, vitam plantæ in eo ſolùm conſiſtere, quòd augeatur intrinſecè per intus ſumptionem, & in hoc ſolùm diſcerni à non viuentibus.

28 Hæc ſententia vel ex eo ſolum mihi diſpliceret, quòd eſt contra communem philoſophorum ſententiam aſſerentium, tum de ratione viuentis eſſe operari immanenter; tum etiam dari in linea prędicamentali Subſtantię, rationem quandam, quæ & rationem ſubſtantiæ corporeæ contrahit ad eſſe viuentis ſeparando illam à non viuentibus, & vniuocè diuiditur in omnia viuentia corporea, inſenſibilia videlicet, quæ ſunt plantæ; &, ſenſibilia, quę ſunt animalia: ergo aliquam vitæ rationem admittunt communem animalibus, & plantis.

29 Secundò, leui fundamento, ne dicam falſo, nixus opinionem adſtruit ſingularem contrariam omnibus, quia docet, nutritionem non eſſe actionem per ſe immanentem, ex eo, quòd, ſi vnum viuens cum altero penetraretur, poſſet augmentum in illo producere per nutritionem. Certè ſi penetratum poſſet vnum viuens aliud per nutritionem augere, non video, cur non poſſet per ſolam contiguitatem aliquid in eo producere; vt argumentabar in lib. de Gen. diſp. 8. ſect. 2. Vide, quæ ibi diximus. Deinde ſic argumentor: Nulla datur potentia naturalis, quæ ſaltem aliquando non poſsit naturaliter applicari ad ſuum effectum naturaliter producendum: ſed vnum viuens non poteſt naturaliter applicari ad augendum aliud: ergo non habet potentiam naturalem ad tale augmentum. Minor probatur: quia per te non poteſt applicari ad illud augendum, niſi per penetrationem: ſed penetratio non poteſt naturaliter dari: ergo neque vnum viuens naturaliter applicari alteri ad illud augendum.

30 Hinc ſumitur ratio à priori, cur vnum viuens non poſsit aliud augere per nutritionem? quia neque viuens poteſt per potentiam nutritiuam ex natura rei agere in alimentum, niſi hoc ſit illi applicatū per intus ſumptionem; neq; alimentū poteſt ex natura rei conuerti in viuens, cui nō eſt applicatum per intus ſumptionem, vt conſtat experientiâ: ſed alimentum, quod per intus ſumptionem applicatum eſt potentiæ nutritiuæ vnius viuentis, non poteſt ex natura rei eſſe applicatum alteri eodem modo: ergo non poteſt ex natura rei in alterum conuerti per potentiam nutritiuam huius. Minor probatur: quia applicari alimentum

Digitized by Google

per intus ſumptionem potentiæ nutritiuæ vnius viuentis nil aliud eſt, quàm quòd per venas, & poros ipſius viuentis applicetur potentiæ nutritiuæ illius: ſed venæ, & pori vnius viuentis non ſunt venæ, & pori alterius, neque ex natura rei poſſunt penetrari in eodem loco: ergo id, quod per intus ſumptionem applicatur ex natura rei potentiæ nutritiuæ vnius viuentis, non poteſt ex natura rei ſimul applicari alteri viuenti eodem modo: ergo neque ab vno in alterum conuerti.

31 Secus res accidunt in nō viuentibus: quia non viuens poteſt per potentiam augmentatiuam agere in alimentum per ſolam contiguitatem applicatum potentiæ ipſius non viuentis; & illi, in quod eſt conuertendum, vt cōſtat experientiā. Cum autem illud alimentum, quod per contiguitatem applicatum eſt potentiæ augmentatiuæ huius non viuentis, ignis v. g. poſsit etiam eſſe alteri applicatū eodē modo, fit, vt potētia augmētatiua vnius ignis poſsit alimētū in aliū diſtinctum conuertere ex natura rei.

SECTIO III.

Vera definitio vitæ ſubſtantialis explicatur.

32 Ergo ſic vitā ſubſtantialē definio: *Viuens eſt, quod vltra ea, quibus in ſua naturali diſpoſitione conſtituitur, eſt determinatum ad producēdam in ſe ſuam perfectionem.* Hanc definitionem ferè eiſdem verbis tradit P. Molin. 1. p. q. 13. diſp. vnic. §. 2. eādē tradit P. Zuñ. de Trin. diſp. 1. dub. 1. mēb. 2. & nonnulli recentiores ſequuti, vt audio, Petrum Garſ. ſuper Fen. Auic. diſp. 50. c. 1. n. 4. Explicatur. Per priora verba, *quod vltra ea, quibus in ſua naturali diſpoſitione cōſtituitur*, intelligo ea omnia, quæ per ſe debentur viuenti ex vi ſuæ eſſentiæ in primo inſtanti generationis, quales ſunt proprietates, & paſſiones, ſubſiſtentia, præſentia in centro, & alia huiuſmodi, quorum productiones ea voce *vltra* excluduntur à ratione vitæ, quia non viuentibus conuenit etiam in ſe producere ea omnia, per quæ in ſua naturali diſpoſitione conſtituuntur, vt conſtat ex dictis ſect. 1. & ideo viuens vt tale præter has, debet alias habere operationes; per ordinē ad quas à nō viuentibus diſcernatur. Propterea additur; *Eſt determinatū ad producendum in ſe ſuam perfectionem*, quibus verbis ſignif[icatur], viuens vt tale vltra o[peratio]nes, quibus in ſua natur[ali diſ]poſitione conſtituit[ur, debe]re alias habere ex na[tura ſ]ua immanentes, qui[bus] continuò ſuæ prouideat perfectioni, in quo differt à non viuentibus, quibus non cōuenit talis operandi modus, vt conſtabit ex dicendis.

33 Per τὸ autē *determinatū* nō intelligēda eſt determinatio, quę infert neceſsitatem oppoſitā libertati: homo enim, vt eſt principium volitionis, eſt viuens; & nihilominus non elicit volitionem

cum

cum hac neceſsitate; ſed ſolùm ſignificat ea particula, quód viuens debet in ſe ſuam perfectionē producere, & non in alios: aliter enim nó eſſet perſe immanens ea actio, quod neceſſariò requiritur ad rationem viuentis, vt cōſtat ex dictis ſect. 1. nu. 4. Porrò perfectio poteſt ſumi dupliciter: *vt quod*; &, *vt quo*. Priori modo ſumpta, eſt illa entitas, quæ vnita ſubiecto illud perficit: poſteriori verò eſt ipſa vnio, media qua perficit ſubiectum. In definitione ergo, dum dicitur, *ad producendum in ſe ſuam perfectionē*, loquimur de perfectione *vt quod*; non de perfectione *vt quo*; quia per ordinem ad illam, & non ad iſtam diſcernitur viuens à nō viuentibus, vt conſtabit ex dicendis.

34 Sic ergo explicata definitio probatur: quia ea erit bona viuentis definitio, quæ, cùm cōueniat omnibus viuentibus, nulli nō viuentium attribui poteſt: ſed talis eſt prælata definitio: ergo eſt bona. Maior eſt nota. Minor probatur: quia in primis conuenit Angelis, animalibus, & plantis; hæc enim omnia vltra ſubſiſtentiam, facultates, potentias, & alia, quæ illi debentur ex vi ſuæ eſſentiæ in inſtanti generationis, determinata ſunt ad producendā in ſe ipſis formā illa perficientē *vt quod*. In Angelis, & animalibus eſt certum; producunt nāque in ſe, illi actus intellectus, & voluntatis; iſta, actus ſentiendi, & appetendi, quos quidē nō poſſunt in alijs, niſi in ſe ipſis producere, neq; ad naturalem eorū conſtitutionem pertinent modo explicato. De plantis idem conſtat: quia virtute propriâ nouas partes cōtinuò acquirunt, quibus ita quotidianis incrementis augeſcunt, vt neq; illis conſtituantur in ſua naturali diſpoſitione; neque eas poſsint in alio, quā in ſe ipſis producere, vt conſtat ex dictis. En prædicta definitio cōuenit omnibus viventibus creatis.

35 Iā, quòd nulli ex non viuētibus conueniat, facile monſtratur: quia, licèt non viuentia in ſe ipſis poſsint producere per actionē ex ſe immanētē ea, quæ ad naturalē eorū cōſtitutionē, & diſpoſitionē pertinent; vltra ea tamen nil poſsūt in ſe ipſis producere per actionē ex ſe immanētē: ergo nō conuenit illis vltima pars definitionis. Dices: ignis in ſua naturali diſpoſitione cōſtitutus poteſt ſe ipſum augere; deinde grauia, & leuia poſſunt ſe ipſa mouere in cētrū: ergo vltra ea, quibus in ſua naturali diſpoſitione cōſtituuntur, poſſunt in ſe producere ſuā perfectioné per actioné ex ſe immanenté. Quod ad ignē attinet, reſpondetur, ita ſe ipſum augere, vt idē augmentū poſsit in alio producere defacto, ſi applicetur, vt conſtat experientiā, & ideo ea actio non eſt immanens perſe; ſed ſolū per accidens. Idē dicito de grauibus, & leuibus circa productionē præſentiæ centricæ; quia non ſolùm in ſe; ſed etiam in quocumque alio corpore ſibi affixo poſſunt producere tal.é præſentiā.

36 Inſtabis: vnio, qua pars denuo aduenicus per augmentationem vnitur huic igni; &, præſentia, qua hoc corpus graue fit præſens ſuo cêtro, ſunt modi eorum: ergo neque hic ignis poteſt eam vnionem; neque hoc graue eam præſentiam, niſi in ſe ipſis producere: ergo determinata ſunt ad producendas in ſe tales perfectiones, ſicut viuentia. Diſtinguo hoc vltimum conſequens: determinata ſunt ad producendas in ſe perfectiones, quibus perficiuntur *vt quo*, côcedo: quibus perficiuntur *vt quod*, nego cõſequentiã. Itaq; hoc eſt diſcrimen inter augmentationẽ viuentiũ; & ignis, quòd viuentia nõ ſolũ vnionem; ſed neq; partẽ per nutritionem illis aduenientẽ, qua perficiuntur *vt quod*, poſſunt in alio producere, aut alteri vnire, niſi ſibi ipſis: at verò ignis, licèt vnionem partis ipſi aduenientis per augmentationẽ non poſſit in alio producere, quia, cùm ſit modus ipſius, non poteſt ab ipſo ſeparari; poteſt tamẽ ipſam partẽ, qua perficitur *vt quod*, in alio producere, ſeu alteri vnire per vnionẽ eiuſdẽ ſpeciei cũ illa, per quam ſibi talem partem vniebat. Vnde oritur, quòd augmentatio non viuentiũ non ſit per ſe immanens; quia, prout eſt ab hoc agente in ſpecie in hunc terminum in ſpecie, poteſt tranſire ad aliud paſſum; ſecus augmentatio viuentium.

37 Idem dicendum eſt de præſentia grauium, & leuium, ſi non eſt modus; at vero, ſi dicatur eſſe modus (vt nos diximus in Phy.diſp.22.n.39.) poſſumus duas formalitates in illa diſtinguere: vnam, perquam conſtituatur corpus in centro; aliam, per quam ſe vniat ipſi corpori: hæc ſe habebit tanquam perfectio *vt quo*, & illa tanquam perfectio *vt quod*. Iuxta hanc ergo doctrinam reſpondeo, quòd, licèt corpus graue non poſſit hanc præſentiã in alio producere, quia eſt modus ipſius; poteſt tamen aliã producere, quæ ſit eiuſdem ſpeciei; ſaltẽ ſecundũ formalitatẽ ſe habentẽ tanquã perfectionem *vt quod*, & ideo actio illa nõ erit immanens per ſe. Adde, præſentiam centricã pertinere ad naturalem diſpoſitionem corporis grauis, & leuis; quia debetur illis ex vi propriæ eſſentiæ in inſtanti generationis, atque adeo ex hoc capite excludi etiam poſſunt à ratione viuentium grauia, & leuia vt productiua talis præſentiæ.

Viuens non eſt tale per ordinem ad omnes actiones proprias illius.

38 EX dictis facile eſt iudicare, an viuens ſit formaliter tale per ordinẽ ad omnes actiones, quæ ſunt propriæ ipſius viuentis? Aliquæ enim ſunt propriæ illius, de quibus frequenter dubitari ſolet, an ſint formaliter vitales? quales ſunt motꝰ dilatationis cordis, ac arteriarum; reſpiratio; loquutio; deambulatio; & aliæ ſimiles. Si autem hæ ſunt formali-

te

Digitized by Google

ter vitales, viuens erit formaliter tale per ordinem ad illas; ſecus ſi vitales non ſint formaliter.

39 Dico ergo, viuens non eſſe formaliter tale per ordinem ad illas præciſè. Hanc ſentẽtiã quoad motum cordis, & arteriarum tenet Pet. Garſ. ſuper Fen. Auicen. diſp. 50. c. 4. nu. 17. & dicit apertè eſſe S. Tho. opuſc. 35. qui etiam 1. 2. q. 17. art. 9. ad 2. & 3. dicit, motum cordis eſſe naturalem, hoc eſt, pertinere propriè ad facultates naturales, prout à vitalibus diſtinguũtur, & idem docet Ferra. 2. cont. Gent. c. 95. Quod attinet ad loquutionem, deambulationem, & comeſtionẽ tradit eandem ſententiã P. Vazq. 1. p. in explicatione art. 3. q. 52. & diſp. 186.; ibi enim docet, prædictas actiones non eſſe vitales quoad ſubſtãtiã; ſed ſolùm quoad modum, quia videlicet ita fiunt à viuente, vt in illo ſupponant operationes aliquas vitales. Patri Vazq. cõſentit P. Garſ. ſup. c. 5. n. 24. & propterea iſte author admittit ibi, dari actiones vitales non immanentes perſe, quod quidem intelligit non de actionibus formaliter, & ſecundùm ſubſtantiam vitalibus (de his enim docet cõmuniter philoſophi cum Ariſt. & S. Tho. debere eſſe immanentes perſe, vt vidimus ſect. 1.) ſed de prædictis actionibus, quas ipſe vocat vitales tãtũ quoad modũ.

40 Probatur ergo prædicta ſẽtentia: quia viuens eſt formaliter tale per ordinem ad operationes ex natura ſua immanentes in ipſo viuente: ſed prędictę operationes non ſunt ex natura ſua immanentes in viuẽte: ergo, &c. Minorem probo: quia illæ operationes, quarum terminũ poteſt viuens in alio producere, nõ ſunt ex natura ſua immanentes in ipſo viuente: ſed terminos earum actionum poteſt viuens in alio producere, quia terminum deambulationis, qui eſt præſẽtia ſucceſsiuè acquiſita per greſsũ, poteſt vnũ viuens producere in alio, vt conſtat experiẽtiã; deinde cor poteſt ſecum mouere quodcumq; aliud corpus ſibi affixũ, & in eo producere præſentias ſimiles ijs, quas in ſe producit; & idem conſtat de loquutione, reſpiratione, &c. ergo tales actiones non ſunt immanentes perſe: ergo neq; viuens eſt tale formaliter per ordinẽ ad illas.

41 Sunt autẽ hæ operationes propriæ viuentis, quia ita ab ipſo eliciũtur, vt vel in illo ſupponant ex natura rei ad ſui exercitium operationes aliquas vitales, vel ſint media in viuente requiſita ad vitæ functiones exercendas, & propterea dicuntur vitales quoad modum. Prioris generis ſunt deambulatio, & loquutio, quarum prima ſupponit in viuente, à quo elicitur, actum appetitus imperantis potentiæ motrici exequutionem ipſius: ſecunda verò ſupponit in ipſo viuente tùm actum cognitionis repræſentantis obiectum ſignificandũ per verba, tùm actũ voluntatis imperantis motum neceſſarium in lingua, faucibus, & ore ad verborũ dearticulatio-

lationẽ. Poſterioris generis ſunt motus cordis, & reſpiratio, quæ ſunt media in viuẽte requiſita ad elaborandos ſpiritus vitales, ſine quibus functiones vitæ exerceri nequeunt.

Qua ratione conceptus vitæ conueniat Deo?

42 HVcuſque explicata eſt definitio viuentis creatis omnibus cõmunis; hæc tamen nõ poteſt Deo conuenire eo modo, quo explicata eſt: nam, cùm actus, quibus Deus viuit, non diſtinguãtur realiter ab eſſentia Diuina, non poſſunt ab ipſa eſſentia produci: & propterea procul eſt Deus ab ea definitionis parte, in qua viuens dicitur *Determinatũ ad producẽdam in ſe ſuã perfectionem.* Poteſt tamen paucis variatis ita diſponi, vt Deo ſimul, & viuentibus creatis conueniat, in hãc modum. Viuens eſt, *quod vltra ea, quibus in ſuã naturali diſpoſitione conſtituitur, eſt determinatum ad habendum à ſe ſuã perfectionem vel ad producendum in ſua eſſentia perfectionem alterius ſuppoſiti*: Tam enim Deus, quàm creatura habent à ſe ſuam perfectionem, adeò tamen diuerſã ratione, vt in eo vniuocè conuenire nequeant: Deus namq; dicitur habere illã à ſe, quia habet eam ſine dependentia ab aliquo agẽte extrinſeco, ſeu intrinſeco: creata vero, quia eam habent à ſe ipſis tãquam ab efficientibus.

43 Per priora ergo definitionis verba excluduntur à ratione Diuinæ vitæ, perſonalitates; & attributa omnia, quæ à nobis cõſiderãtur per modum potentiarũ vt ſunt intellectus, voluntas, omnipotẽtia, immenſitas, &c. quia, cum hæc omnia ſint debita Diuinæ eſſentiæ præciſè, vt eſſentia eſt, cenſentur pertinere ad cõſtitutionem naturalis diſpoſitionis illius. Per ſequentia verba ſignificatur, intellectionẽ, & volitionẽ Diuinã eſſe actus vitales; quia ita Deus eas habet à ſe, vt nõ ſint debitæ Diuinę eſſentię pręciſè, vt eſſentia eſt, vt conſtabit ex dicẽdis ſect. ſeq. & ideò non cenſentur eſſe ex illis perfectionibus, quibus in ſua naturali diſpoſitione Deus conſtituitur.

44 Benè noui, eſſe aliquos recentiores, qui definitionem viuẽtium creatorum Deo conuenire docent; quia, licèt Deus in ſe nõ producat formaliter ſuã perfectionem, producit tamen illã virtualiter. Sed quia circa productionem iſtam virtualem magna eſt apud Theologos cõtentio in materia de Sciẽtia, & Volũtate, ideo eã omiſsâ vitam Dei explicui modo ſupra poſito, quia in omnium ſentẽtia eſt admittẽdus. Per poſteriora verba, nempè: *Vel ad producendũ in ſua eſſentia perfectionẽ alterius ſuppoſiti*, cõprehendũtur in eſſe viuẽtiũ Pater æternus reſpectu productionis Filij, & vterq; reſpectu productionis Spiritus ſancti; quia eæ actiones & ſupponũt perſonas producentes conſtitutas in eſſe perſonarum, vt cõſtat; & ſunt verè immanentes; quia licèt tẽdãt in terminos ſuppoſito

Digitized by Google

poſito diſtinctos à producẽtibus; illos tamen producunt in eadem eſſentia cum ipſis producẽtibus.

45 Dices: id quod Pater æternus producit per generationem, eſt perſonalitas Filij: ſed hæc pertinet ad naturalẽ diſpoſitionẽ eſſentiæ Diuinæ, quia per illam cõpletur eſſentia in ſuo eſſe ſubſtãtiali: ergo generatio illa non eſt actio vitalis; ac per conſequens neq; Pater eſt viuens per ordinẽ ad illã. Fateor, perſonalitatẽ Filij productã à Patre per generationem pertinere ad naturalem diſpoſitionem, & cõplementũ eſſentiæ Diuinæ. Cæterùm nõ pertinet ad naturalem diſpoſitionẽ, & complementũ ipſius Patris, à quo procedit; ſed potiùs ſupponit illum omnino cõpletum in ratione perſonæ Patris; atq; adeò generatio, per quam perſonalitas Filij producitur à Patre, licèt nõ ſit vitalis reſpectu eſſentiæ ſecũdùm ſe; eſt tamẽ vitalis reſpectu perſonæ Patris, quæ in ſua naturali diſpoſitione conſtituta eſt determinata ad producendã perſonalitatem Filij in ſua eſſentia.

SECTIO IIII.

Soluuntur Obiectiones.

46 Pater Hur. hìc d. 3. ſect. 1. vbi rationem viuentis conſtituit in hoc, quod eſt, eſſe operatiuũ per actionem ex ſe terminatã ad terminũ ex natura ſua immanentem, multis oppugnat noſtram definitionem. Et primò ſic argumentatur: Si viuens determinatum eſſet ad producendũ in ſe, & non in alio ſuã perfectionem, gradus viuentis eſſet imperfectior gradu nõ viuentis: hoc nõ eſt admittendũ: ergo neque illud. Maiorem probat: quia perfectius quid eſt, poſſe effectum producere in ſe, & in alio, quàm in ſe ſolo: ſed nõ viuens poteſt ſuos effectus producere in ſe, & in alio; viuens verò non niſi in ſe ſolo: ergo perfectior eſt gradus non viuentium.

47 Hoc tamen argumentũ non magis nos oppugnat, quàm ſuum authorem, in cuius ſententia terminus vitalis eſt ille, qui manere debet in ſuo efficiente. Sic ergo argumentor: Perfectius quid eſt, poſſe afficere propriũ efficiens, & alia ſubiecta diſtincta, quàm ſolũ efficiens: ſed per te terminus vitalis nõ poteſt afficere, niſi ſuũ efficiens; nõ vitalis verò ſuũ efficiens, & alia: ergo perfectior eſt iſte, quàm ille. Imò & hinc ſumitur idẽ argumẽtũ circa cauſas horũ terminorũ: quia perfectior eſt cauſa ordinata ad terminũ ex ſe producibilẽ in ſua cauſa, & in alio ſubiecto, quàm cauſa ordinata ad terminum ex ſe producibilẽ in ſola cauſa: ſed per te non viuens ordinatur ad terminũ producibilem in ſua cauſa, & in alio ſubiecto; viuens verò ad terminũ producibilẽ ſolũ in ſua cauſa: ergo gradus viuentium imperfectior eſt, quàm non viuentium.

48 Ad obiectionem ergo contra nos factam nego maiorẽ. Ad probationem nego etiam maiorẽ propoſitionem: quia negari nequit, perfectius quid eſſe in Diuinis, quòd Pater nõ poſſit Filium

Digitized by Google

producere, niſi in propria eſſentia, quàm quòd illum poſsit producere in propria ſimul, & in aliena. Cuius ratio eſt: quia producere filium in eſsētia propria inuoluit ſummam ſimplicitatem, quæ eſt ſumma perfectio, cui quidem repugnat productio filij in aliena eſſentia.

49 Idem ergo dicēdū eſt, proportione ſeruata, in viuentibus, quæ, eo ipſo quòd non poſſunt producere ſuos terminos, niſi in ſe ipſis, habent actiones ex ſe ſimpliciores, quàm non viuentia, quæ in ſe, & in alijs ſuos terminos producere poſſunt, & ideo illæ ſunt iſtis perfectiores. Et non eſt leue huius rei indicium, quòd intra eādem ſeriem, actionum videlicet, quæ ad ſubſtantiam, vel ad accidens terminantur, ſemper immanentes ſunt alligatæ terminis perfectioribus, quàm non immanentes. Dicuntur autem actiones viuentium eſſe ſimpliciores, quàm non viuentium, quia; cùm debeāt recipi in ſuo efficiente, maiorem vnitatem principiorum requirūt, quàm actiones non viuentiū, quæ in diuerſo ſubiecto recipi poſſunt.

50 Dices: cauſa, quæ ſuos effectus poteſt in ſe, & in alio producere, plures modos vnionis, & plures actiones continet, quàm quæ in ſe ſola poteſt operari: ergo perfectior eſt illa, quàm iſta. Diſtinguo antecedens quoad id, quod dicit de modis vnionis: plures modos vnionis continet imperfectiori modo producendos, cōcedo: perfectiori, ſeu ęquè perfecto modo producendos, nego antecedens. Et deinde diſtinguo id, quod dicitur de actionib⁹: plures actiones cōtinet imperfectiores, concedo: perfectiores, ſeu ęquè perfectas, nego antecedens; & deinde conſequentiā: quia perfectio cauſæ nō tam penſanda eſt ex multitudine vnionū, per quas poteſt ſuos effectus diuerſis ſubiectis vnire, quā ex perfectiori modo producendi, & ex perfectioribus effectibus. Cûm autem modus immanenter operandi ſit perfectior modo operandi tranſeunter; &, deinde ille ex ſe ordinetur ad effectus perfectiores, vt dictū eſt, neceſſarium erit, quòd cauſa ex ſe determinata ad producendos in ſe ſuos effectus, ſit perfectior aliā potente illos producere in ſe, & in alio; licèt hęc plures modos vnionis, quàm illa in ſuâ virtute contineat.

51 Obijcies 2. per nutritionē conſtituitur viuens in ſua naturali diſpoſitione: ergo nutritio non eſt operatio vitalis, ſeu propria viuentis vt talis. Antecedens probatur: quia per nutritionē acquirit quodcumq; animal magnitudinem ſibi debitam ex natura ſua ad exercendas operationes proprias, ſine qua vel nullatenus, vel ſaltem ægrè eas exercere poſſet: ergo, &c. Nego primum antecedens: quia adhoc, vt per aliquam actionem conſtituatur viuens in ſua naturali diſpoſitione, non ſufficit, quòd debeatur illi ex natura ſua terminus actionis; ſed eſt neceſſariū, quòd debeatur in primo

instanti

inſtanti generationis, ita vt, ſi tũc non detur, violentiam patiatur, quatenus ex ſe eſt: magnitudo autem acquiſita per nutritionem nõ debetur viuenti in primo inſtanti generationis; ſed quòd procedẽte tempore eam acquirat.

52 Dices: præſentia centrica nõ debetur corpori graui in inſtãti generationis, & nihilominus pertinet ad naturalẽ diſpoſitionem illius; ergo idem dicẽdũ erit de nutritione, etiamſi non debeatur in inſtanti generationis. Antecед. prob.: quia ſi graue generetur extra centrum, nõ poteſt naturaliter dari illi in eo inſtãti pręſentia in centro: ergo nõ debetur illi in eo inſtanti. Nego primũ antecedens. Ad probationẽ fateor antecedens: ſed tamen nõ prouenit ex eo, quòd nõ debeatur illi in inſtãti generationis pręſentia cẽtrica; ſed quia ex ſuppoſitione, quòd extra centrum producatur, nõ poteſt tendere in illud, niſi per motũ localem, qui non poteſt fieri in eo inſtanti. Vndè tunc nõ caret præſentiâ centricâ ex defectu exigentiæ habendi illã; ſed ex accidenti, quia videlicet productum eſt ab agente in loco, è quo illam tunc conſequi non poteſt, & propterea ſi trãſacto illo inſtanti negetur illi motus ad talem præſentiam conſequendam, patietur violentiam, quã quidem nõ patitur viuens, etiãſi immediate poſt inſtans generationis nõ nutriatur.

53 Obijcies 3. In nutritione non ſolùm producitur noua pars ſubſtantiæ viuentis; ſed etiam facultates, & potentiæ pertinentes ad naturalem diſpoſitionẽ illius partis: ergo per aliquam actionẽ vitalem producuntur ea, quibus viuens conſtituitur in ſua naturali diſpoſitione. Reſpondeo, & eſſe actionem, per quã viuens antiquum ſe perficit producendo in ſe nouã partem ſubſtãtiæ; & actionem, per quam pars denuo producta producit in ſe ſuas facultates. Prior actio habet rationem vitalis, & eſt nutritio; hæc tamen non pertinet ad naturalem diſpoſitionem viuentis, vt cõſtat ex dictis. Poſterior verò neq; habet rationem nutritionis, neq; eſt vitalis, quia pertinet ad naturalem diſpoſitionem illius partis.

54 Obijcies 4. Angelus ex vi ſuæ entitatis eſt determinatus ad habendã cognitionem ſui in primo inſtanti ſuæ creationis: ergo per talem cognitionem conſtituitur in ſua naturali diſpoſitione: ergo ea cognitio non eſt vitalis iuxta doctrinam à nobis traditã. Pro reſponſione pono Primò id, quod docent Theologi cõmuniter 1. p. ad a. 2. q. 51. nẽpè quòd, licèt Angelus ab inſtanti ſuę creationis habeat ſpecies obiectorũ, quæ ex natura ſua poteſt attingere; non tamen debetur illi cognitio intuitiua eorum, donec ipſa actu exiſtant in rerum naturâ. Pono 2. entitatem cuiuſuis Angeli duo munera exercere circa ſuam cognitionem intuitiuã, nempè rationem principij ſaltem radicalis, & rationem obiecti. Primum conuenit illi formaliter, vt

eſſentia

eſſentia eſt: quia eam entitatem eſſe eſſentiam Angeli nihil aliud eſt, quàm eſſe primam radicem operationum ipſius Angeli. Secundum conuenit illi, vt eſt capax terminandi ſuam cognitionem. His ergo ſuppoſitis.

55 Reſpondeo, Angelum eſſe quidem determinatum ad ſui intuitionẽ in primo inſtāti creationis ex vi ſuæ entitatis, non præciſè vt eſſentia eſt; ſed quatenus ſimul eſt obiectum talis intuitionis: quia ſicut per ſuā entitatē eſt cognoſcitiuus aliorū obiectorū, & tamen non debetur illi intuitiua cognitio eorum (etiamſi ab inſtanti creationis habeat ſpecies proprias illorū) niſi poſitā eorūdem exiſtentiâ; ita etiam non debetur illi cognitio ſui præciſè ex vi virtutis cognoſcitiuę, niſi ſimul ſupponatur exiſtentia illius vt obiecti capacis terminandi talem cognitionem. Si autem hæc cognitio non debetur Angelo ex vi ſuæ entitatis, vt eſſentia eſt præciſè, non pertinebit ad naturalem diſpoſitionē illius; quia ad id neceſſarium eſt, quòd debeatur illi ex vi ſuæ eſſentiæ quatenus talis, vt diximus in explicatione noſtrę definitionis. Idem dicendum eſt de Deo, qui, licèt determinatus ſit ad habēdum ſemper cognitionem ſui, hæc tamen non eſt determinatè debita præciſè ex vi eſſentiæ vt talis; ſed vt eſt etiā obiectū determinans ad ſui cognitionem.

56 Ex hucuſque dictis conſtat 1. ad rationem viuentis, ſeu vitæ ſubſtātialis *vt quod* requiri, quòd ſit & principium effectiuū, & principium receptiuū ſuæ perfectionis, quia non producet eam in ſe, niſi eam efficiat ſimul, & recipiat. Ex quo fundamento iterum fit, in viuentibus, quæ reſultant ex materia, & anima corporea, totum compoſitum, & non animam ſolā, aut materiam ſolam dici viuens, ſeu vitam ſubſtantialem *vt quod*: anima enim efficit operationes vitales, non tamen eas recipit, ſaltem vt ſubiectum adæquatum, vt dicemus diſp. ſeq. Deinde materia recipit; non tamen efficit eas operationes: ergo nulli ex ipſis ſeorſim ſumptæ cōuenit efficere, & recipere ſimul: ergo neque viuere *vt quod*. Cōpoſitum verò cū vtrâque conſtet, munus vtriuſque obit, & propterea dicitur id, quod viuit; ſeu, viuens *vt quod*.

57 Conſtat 2. animam corpoream dicendam eſſe vitam, ſeu viuentem *vt quo*; ſecus materiam primam: quia anima eſt id, quo viuens conſtituitur determinatum ad producendam in ſe ſuam perfectionem, vt omnibus compertum eſt: ergo eſt id, quo viuens conſtituitur ſubſtantialiter. Conſequentia ſatis conſtat ex dictis: quia, cùm ratio viuentis conſiſtat in hoc, quod eſt eſſe determinatum ad producendam in ſe ſuam perfectionem modo iam explicato, per illud conſtituitur in ratione viuentis, per quod conſtituitur determinatum ad talem productionem: hoc autem eſt anima, & propterea dicitur vita ſubſtātialis, ſeu viuens *vt quo*, hoc eſt, id, quo

quo viuimus: Materia verò nõ eſt vita *vt quo* unquam, licèt recipiat operationes vitales, non tamen eſt id, quo totum viuens determinatur ad producendum in ſe ſuam perfectionem; quia, cùm ipſa ex ſe non magis in hanc, quàm in illã operationem inclinetur, non poteſt totum determinare per ſe ipſam ad hanc potiùs, quàm ad illã.

58 In homine verò non ſolùm compoſitum dicitur viuens *vt quod*; ſed etiam anima rationalis reſpectu operationum rationalium, quia eas efficit, & ſimul recipit in ſe ipſa tanquam ſubiectũ adæquatum; dicetur tamen etiam vita *vt quo*, quia eſt id, quo homo ratiocinatur. Reſpectu verò ſenſationum, & aliarum operationũ materialium eſt tantùm vita *vt quo*, quia, licèt eas efficiat, non tamen eas recipit, ſaltem tanquã ſubiectum adæquatum.

59 Conſtat 3. ſubſtantiã creatam tendentem ex natura ſua in obiectum per cognitionem, & volitionem à ſe non productas non fore ex vi taliũ actionum viuentẽ vita adhuc intentionali (Id eſt cõtra aliquos aſſerentes, talem ſubſtantiam forè viuentem vitâ intẽtionali; non phyſicâ.) Ratio eſt: quia id, quo viuit extra Deum, debet, in omnium ſententia, moueri à ſemetipſo: ergo id, quod extra Deum viuit intẽtionaliter, debet moueri à ſe ipſo intẽtionaliter: atqui talis ſubſtantia non moueretur à ſe ipſa intentionaliter in obiectum: ergo non viueret vita intentionali ex vi taliũ actionum. Minor prob. quia non aliter moueri poteſt à ſe ipſa intentionaliter in obiectum, niſi producẽdo in ſe attentionem, ſeu intentionem in ipſum obiectum: atqui nullam ex his produceret in ſe ipſa, vt ſupponimus: ergo, &c.

SECTIO V.

De Vita accidentali in actu primo.

60 EX dictis pro explicatione vitæ ſubſtantialis facilis eſt explicatu vita accidentalis tam virtualis ſeu in actu primo, quàm actualis ſeu in actu ſecundo. Prima vendicabit ſibi hanc ſectionem; ſecunda ſequentẽ. Vita virtualis ſeu in actu primo dicitur *Comprincipium accidentale per ſe intrinſecè conueniens ab intrinſeco vitæ ſubſtãtiali ad immediatè eliciendas operationes vitales vt tales*. Debet eſſe *comprincipium*; quia ex vna parte non poteſt dici actus primus, ſeu eſſe in actu primo ad aliquem effectum id, quod non habet virtutem ſaltem inadæquatã ad illũ producendum: ex alia verò non poteſt ſe ſolo ſine cõcurſu immediato vitæ ſubſtantialis elicere operationem vitalem, vt dicemus diſp. ſeq. & propterea non dicitur principium; ſed *comprincipium*.

61 Deinde dicitur *Per ſe intrinſecè conueniens ab intrinſeco vita ſubſtantiali*; quia ſicut nulla datur virtus accidenta-

Digitized by Google

dētalis, quæ non ſit per ſe conueniens ſubſtantiæ alicui; ita nulla poteſt dari virtus accidentalis vitalis, quæ nō ſit per ſe conueniens ſubſtātiæ vitali. Debet autem illi intrinſecè conuenire; quia, ſi non ſit viuenti intrinſecum tale comprincipium, non poterit immanenter operari cum ipſo viuente; ac per conſequens, neque vitali modo, cùm vitalitas in operando inuoluat immanentiam actionis; vt ſæpè dictū eſt. Additur autem *ab intrinſeco*; quia cum comprincipia vitalia accidētalia ſint proprietates, & paſsiones vitæ ſubſtantialis, ab hac oriri debent immanenter, ſicut relinquæ proprietates, & paſsiones ab eſſentijs, quas afficiunt.

62 Præterea dicitur, *ad eliciendas operationes vitales*; tùm quia, cùm vita ſubſtantialis conſtituatur in ratione vitæ per ordinem ad operationes vitales, per ordinem ad eaſdem conſtitui debet in ratione vitæ vita accidentalis; tùm etiam, quia ſicut viuens non concurrit vt tale ad operationes, quæ vitales non ſunt, ita etiam neque indiget comprincipio vitali ad illas eliciendas. Additur tamen *vt tales*, quia in operationibus vitalibus ſunt aliqua prædicata communia cum nō viuentibus, quæ quidem ad ſui productionem non indigent principio vitali, & ideo illud ſolum *cōprincipium*, quod ex parte vitæ ſubſtātialis requiritur ad operationes vitales ſub ea ratione, qua diſsidēt à nō vitalib⁹, erit vitale.

63 Deniq; dicitur, *ad immediatè eliciendas, &c.* quia ſi remotè tātùm cōcurrat medijs alijs operationibus non vitalibus, nō poterit dici reuera virtualiter continere operationes vitales, quando quidem cauſa, quæ eſt ſolùm remota, reuera nō dicitur effectum in ſua virtute continere, & ideo non poterit dici vita virtualis, ſeu in actu primo.

64 Ex hoc fit 1. potētias, quas cōmuniter vitales appellamus (ſi ſint realiter à viuente diſtinctæ) vt, potētiā nutritiuam, ſenſitiuā, intellectiuam, & volitiuam eſſe quoad ſuam ſubſtantiā vitas in actu primo, ſeu virtuales, quia eæ omnes potentiæ ſunt comprincipia, perſe intrinſecè conuenientia vitæ ſubſtantiali ad immediatam elicientiam operationum vitalium, vt concedunt omnes. Fit 2. intellectum agentem vt talem nō eſſe vitam virtualem; quia intellectus agens vt talis nullā aliā elicit operationem præter productionem ſpeciei intelligibilis: huius autem productio non eſt actio vitalis, vt dicemus ſect. ſequente.

65 Fit 3. ſpeciē ipſam intelligibilem nō eſſe vitam in actu primo (etiamſi concurrat efficienter ad intellectionem, de quo infra diſp. 7.) tùm quia non concurrit ad intellectionem vt vitalem; cōcurſus enim efficiens ſpeciei non requiritur ex parte intellectionis (ſi fortè requiritur) niſi propter rationem imaginis, vt dicemus infra, quæ ratio cùm inueniatur in ipſa ſpecie, quæ vitaliter non pro-

producitur, non poteſt ex ſe requirere productionem vitalem. Tum etiam, quia ſpecies non debet eſſe intrinſecè in intellectu adhoc, vt concurrat ad intellectionem (præciſè propter virtutem effectiuam illius) quia, cũ ſpecies concurrat ad intellectioné vt vicaria obiecti, quod eſt extrinſecũ potentiæ, non eſt neceſſariũ, quòd ipſa intrinſecè ſit in potentia: & propterea cõmuniter cẽſentur cõcurrere cum potentia viſiua ad viſionem non ſolùm ſpecies, quæ ſunt in ipſa potẽtia; ſed etiã eę, quę ſunt in aere contiguo. Dixi *præciſè propter virtutem effectiuam illius*, quia propter aliam rationem debent inhærere ſpecies potentiæ, vt dicam infra. Tum denique quia ſpecies non conueniunt viuenti per ſe ab intrinſeco; ſed ab extrinſeco obiecto prouenire ſolent.

66 Fit 4. habitus potentiarum vitalium tam naturales, quam ſupernaturales non eſſe vitam in actu primo: quia habitus naturales non concurrunt ad ſubſtantiã actuum vitaliũ; ſed ſolùm ad hoc, vt faciliè fiãt, in quo nulla additur vitalitas ſupra vitalitatem ipſorũ actuum: ſupernaturales verò concurrunt quidem ad ſubſtantiam actuum ratione ſupernaturalitatis exiſtentis in ipſis actibus, quæ quidem ſecundùm ſe præciſè non eſt vitalis, cùm in ipſis habitibus, & in alijs rebus non vitalibus inueniatur, & præterea illi proueniunt ab extrinſeco.

67 Fit 5. potentiam loco motiuam animalium non eſſe: vitam virtualẽ, quia non concurrit ad operationem vitalem, vt diximus ſupra ſect. 3. & hinc conſtat, quid dicendum ſit circa alias ſimiles potentias. Prædictæ tamen potentiæ dici poſſunt vitales quoad modum; quia vel ad ſuas operationes ſupponunt aliquas vitales; vel eliciũt operationes per ſe requiſitas in viuente ad operationes vitales eliciendas.

SECTIO VI.

De vita in actu ſecundo, ſeu actuali.

68 Vita accidẽtalis actualis, ſeu in actu ſecundo eſt *actio, per quã agens ex ſe determinatum ad producendã in ſe ſuã perfectionem non cõſtituentẽ illud in ſua naturali diſpoſitione, eam in ſe de facto producit.* Quæ definitio ſatis explicata manet ex dictis pro explicatione vitæ ſubſtantialis. Et facilè ſuaderi poteſt: quia eſſe vitã ſubſtantialem, ſeu radicalem, eſt, eſſe principium productiuum immanenter perfectionis, quæ non conducit ad naturalem diſpoſitionẽ talis principij: ergo eſſe vitam actualẽ nihil aliud erit, niſi eſſe exercitium actuale illius principij: atqui actio, per quam à viuente in ſe ipſo producitur prædicta perfectio, eſt exercitium actuale illius principij: ergo talis actio eſt vita actualis, per quã vita radicalis conſtituitur viuens in actu ſecundo. Id verò, ad quod talis actio ex natura ſua terminatur, dicetur terminus vitalis.

Hinc

69 Hinc fit 1. nutritionem, ſenſationes omnes, & appetitiones materiales, intellectionẽ, & volitionem quoad ſuã ſubſtantiã eſſe vitã actualem, ſeu in actu ſecundo, quod ſatis conſtat ex dictis. Fit 2. actiones ſequentes nõ eſſe vitam actualem quoad ſubſtantiã. Primo enim non eſt talis actio, per quã præparatur alimentum ad nutritionem, quia, cùm hæc detur antequam materia alimenti vniatur cum materia viuentis, nõ poteſt eſſe immanens. Imò neq; actio, per quam vnitur quãtitas alimenti cum quantitate viuentis, eſt vita actualis: quia prędicta quantitas, quatenus ex ſe eſt ' poteſt á viuente vniri alteri ſubiecto, vt conſtat, quando chylum conuertit in ſanguinem: tunc enim vnit quantitatem chyli cum quantitate ſanguinis, qui non eſt vnitus viuenti, vt conſtat ex dictis, diſput. 2. ſect. 5. Dum autem Ariſt. 2. de Anim. text. 3. dixit, accretionem eſſe vitam, non loquutus eſt de accretione, prout dicit ſolam productionem vnionis quantitatum; ſed de illa ſecũdùm totum, quod eſſentialiter includit: ſupra productionem autẽ vnionis quantitatum includit eſſentialiter nutritionem, vt diximus in lib. de Gen. diſp. 8. ſect. 4.

70 Secundè, nõ eſt vita actualis generatio viuentium, neque actiones ad illam prærequiſitæ in materia fœtus; quia hæ omnes ſunt tranſeuntes, vt conſtat. Vndè neq; potentia generatiua erit vita in actu 1. quoad ſubſtãtiã in ordine ad has actiones, vt diximus de locomotiua. Tertiò neq; eſt vita actualis actio, per quã intellectus agens producit ſpeciem intelligibilem in poſsibili ſecum realiter identificato; hæc enim non eſt actio perſe immanens: nã cùm intellectus agens nõ alia de cauſa concurrat ad talem productionem, niſi vt defectũ ſuppleat obiecti materialis, ad quod primariò pertinet productio talis ſpeciei, non eſt, cur dicatur diuerſo modo cõcurrere, ac ipſum obiectum concurrit ad producendam ſui ſpeciem: ſed ad hanc non concurrit obiectum per actionẽ perſe immanentem, vt conſtat: ergo neque intellectus agens ad productionem ſpeciei intelligibilis. Vndè ſi intellectus agens vnius animæ applicaretur localiter intellectui poſsibili alterius cũ reliquis cõditionibus requiſitis, produceret in illo ſpeciẽ intelligibilẽ.

71 Quartò, neq; eſt vitalis ea actio, per quã habitus acquiſitus producitur ab actibus in potẽtiã, á qua eliciuntur: quia hæc actio non oritur à ſubſtãtia viuente immediatè; ſed ſolùm ab ipſis actibus: ergo nõ poteſt eſſe vita actualis. Conſeq. conſtabit ex his, quæ dicemus diſp. ſeq. ſect. 1. Quintò neque ſunt tales, motus progreſſiuus animaliũ, motus cordis, reſpiratio, loquutio, & aliæ ſimiles. Id cõſtat ex dictis ſect. 3. vbi probauimus, actiones tales non eſſe immanentes perſe. Prædictæ tamen actiones, & aliæ, quas hucuſque excluſimus à ratione vitæ actua-

actualis, dicuntur vitales quoad modum: quia licèt viuens nõ cõſtituatur per illas viuens formaliter in actu ſecundo, ſunt tamen propriæ illius vt viuentis; quia vel ad ſui exiſtentiam ſupponunt operationem aliquam vitalem in ipſo viuente, à quo eliciuntur; vel ſunt prærequiſitæ in ipſo viuente ad operationẽ aliquã vitalẽ exercendã, vt cõſtat ex dictis ſect. 3.

72 Ex actionibus autẽ, quas diximus eſſe vitam actualem, nõnullæ ſunt tales per ſuam entitatem abſque vllo ſuperaddito, ex videlicet, quæ tãquã in ſubiecto recipiũtur in ipſiſsimo principio, à quo oriũtur: aliæ vero nõ ſunt vita actualis per ſuã ſolũ entitatẽ; ſed aliquo indigent ſuperaddito, ex videlicet, quę non recipiuntur in ipſiſsimo principio, à quo oriũtur; ſed in alio realiter diſtincto, cõſtituẽte tamẽ vnũ cõpoſitũ cũ illo: quia poterit fieri de potentia Dei, quod pars efficiens deficiẽte vnione producat ſuũ effectum in altera parte per eandẽ omnino actionẽ, per quã illũ producebat, quando erant vnitæ, cum vnio non ſit principium actiuum, aut paſsiuum; ſed ſolum conditio ad talẽ actionem: atqui hęc actio in tali caſu non eſſet vita actualis, ſiquidem non eſſet actualiter immanens, quando quidem, deficiẽte vnione, principiũ efficiens, & recipiens non facerent vnum cõpoſitũ: ergo ea actio nõ eſt vita actualis per ſuam ſolam entitatẽ; ſed illi accreſcere debet vnio principiorũ: huius modi eſt nutritio, per quam viuens producit in materia alimenti partem formæ viuentis.

DISPVTATIO VI.

De Potẽtijs animæ in genere.

POST naturam, & quidditatẽ animæ, examinandę ſunt eius potentiæ, quarũ examen non parùm conducet ad clariorem animæ cognitionem. Id præſtandum eſt in hac diſputatione, in qua agemus de potentijs animæ in genere, & poſtea ſingulas ſeorſim aggrediemur.

SECTIO I.

Nonnulla ſupponuntur.

1 SVppono 1. potentias vitales, præcipuè cognoſcitiuas, & appetitiuas, eſſentialiter includere principium actiuum, & paſſiuum actionum vitalium. De principio actiuo nullus eſt, qui dubitet. De paſsiuo verò probatur 1. ex Ariſ. lib. de Somno, & Vigilia cap. 1. vbi ait: *Quoniam autẽ non animæ proprium eſt ſentire, neque corporis (cuius enim eſt potentia, huius eſt & actus, qui verò dicitur ſenſus, vt actio, motus qui dã per corpus animæ eſt) manifeſtũ eſt, quòd neq; animi paſsio propria, neq; inanimatũ corpus poſsibile eſt ſentire*: vbi ex eo, quod ſenſatio ſit motus animæ per corpus, colligit, neq; ſolã animam, neq; ſolum corpus eſſe ſenſitiuum, ſed ex vtroq; coaleſcere: atqui corpus nõ poteſt aliter cõcurrere ad ſenſationẽ, niſi illã recipiẽdo. Et ſanè nil aliud innuere videtur illa

verba,

verba, *motus quidam per corpus animæ eſt*: ergo principium paſſiuũ ſenſationis pertinet formaliter ad potentiam ſenſitiuã. Secundò probatur ex eodem Ariſtot. 2. de Anim. text. 118. vbi ait: *Sentire eſt quoddam pati*, & idem alibi docet de intellectione: ergo apertè ſentit, paſsionem eſſe de ratione ſenſationis: ergo & potentiam paſsiuam de ratione ſenſitiui. Idem dicendum eſt de potẽtia paſsiua intellectionis, nempe eſſe de ratione potentiæ intellectiuæ.

2 Ratio à priori huius poſitionis eſt; quia de ratione principij viuentis eſt in ſe producere ſuam perfectionẽ: ergo de ratione principij viuentis eſt efficere, & recipere ſuam perfectionem. Conſequentia patet; quia non alio modo agens in ſe producit aliquid, niſi recipiendo id, quod efficit. Pergo: ſed viuens efficit ſuam perfectionem per principiũ effectiuum, & eam recipit per principium paſsiuum: ergo de ratione principij viuentis, ſeu vitalis eſt eſſe actiuum, & paſsiuum. Confirmatur ex communi philoſophorũ ſenſu, qui rationẽ viuentis explicant tàm per hoc, quod eſt moueri à ſemetipſo, quàm per hoc, quod eſt ſe ipſum mouere: ergo exiſtimant, ad rationem viuentis pertinere tam principiũ paſsiuũ, quàm actiuum talis motus. Idem dicẽdũ eſt de adæquato principio nutritionis: quia nutritio, vt vitalis actio eſt, nõ ſolũ dicit effectionem nouæ partis; ſed receptionẽ etiam eiuſdem in eodem viuente, à quo efficitur: & propterea potentia nutritiua, per quam communiter ſignificari ſolet virtus effectiua nouæ partis viuentis, non eſt principium adæquatum nutritionis vt vitalis, niſi illi adiungatur id, in quo talis actio recipitur.

Anima immediatè concurrit ad actiones vitales.

3 SVppono ſecundò, animã immediatè cõcurrere ad eliciendas vitales operationes, etiamſi potentiæ realiter ab illa diſtinguantur. Ita P. Vazquez, tom. 1. in primam ſecundæ, diſputat. 9. numer. 27. & 28. Pater Suar. in Metap. diſp. 18. ſect. 5. nu. 2. Petrus Garſia ſuper Fen. Auic. diſp. 50. cap. 6. P. Hurt. hìc diſp. 4. ſect. 2. & Pat. Arria. diſp. 3. ſect. 1. Eſtq; contra Thomiſtas negantes, vllam ſubſtantiam creatam poſſe immediatè concurrere ad aliquid efficiendum. Eos reiecimus in Phyſ. diſput. 13. ſect. 2. & ibid. ſect. 3. eorum argumentis ſatis, ſuperque fecimus. Nunc autem probatur noſtra poſitio, & primo quoad actus potentiæ nutritiuæ certum mihi eſt, ſolam potentiam accidentalem non poſſe ſine concurſu immediato animæ nouam partem ſubſtantię producere per nutritionem, quia pars ſubſtantiæ non poteſt adæquatè produci à potentia accidentali, vtpotè imperfectiori: ergo debet concurrere

currere animam ad illius productio nem; imò & vt cauſa adæquata, vt in ſimili de generatione ſubſtantiæ diximus in Phyſ. diſput. 13. ſect. 4.

4 Quoad actus veró potentiarum intentionalium, quales ſunt cognoſcitiuæ, & appetitiuæ, non eſt adeò certum noſtrum aſſertum; nihilominus efficaciter probabitur. Et primò apertè colligitur ex D. Thom. animam concurrere ad hos actus immediatè: nam 1. p q. 76. art. 3. vt probet, nõ eſſe plures animas in homine. hæc habet: *Tertiò apparet, hoc eſſe impoſſibile per hoc, quòd vna operatio animæ, cùm fuerit intenſa, impedit aliam, quod nullo modo contingeret, niſi principium actiuum eſſet per eſſentiam vnum.* Quod argumentum nullam vim haberet, ſi anima non concurreret ſimul cum potentijs immediatè ad earum operationes: quia alioquì principium actiuum earum non eſſet vnum; ſed plura, cùm potentię plures ſint. Dum autẽ q. 77. art. 1. probat, eſſentiam animæ nõ poſſe eſſe potentiam eius, explicãdus eſt de potentiã adæquatã. Neque enim ſibi cõſtare poterat Doctor Angelicus, ſi in hoc loco negaret animã vllo modo concurrere immediatè ad ſuas operationes.

Prima probatio de actibus intentionalibus.

5 Deinde probatur ratiòne cõtra Thomiſtas 1. quia anima intellectiua propriſsimè eſt vita ſubſtantialis: ergo propriſsimè debet elicere aliquam operationẽ vitalem: ſed, ſi non concurrat anima immediatè cum ſuis potentijs ad actus vitales, nullatenus poteſt dici propriè elicere aliquã operationem vitalẽ: ergo debet concurrere immediatè cum illis. Minor probatur; quia in primis in ſententia Thomiſtarum anima non elicit potentias vitales; &, licèt eas eliciat iuxta noſtram ſententiã, talis tamen eliciẽtia non eſt actio vitalis, vt probauimus diſp. pręced. deinde per te nõ elicit actiones vitales potentię intellectiuæ, v.g. ergo nullam elicit operationem vitalẽ. Idem dicendum eſt de reliquis potentijs.

6 Dices: anima in ſe ſuſtentat potentiã intellectiuam, quod ſufficit, vt dicatur elicere eius actus. Sed contrà: ergo anima non magis propriè elicit intellectionẽ, quàm aqua calida elicit calefactionẽ manus illi applicitæ. Patet conſequẽtia: quia aqua calida eatenùs dicitur elicere calefactionẽ, quatenùs ſuſtentat calorẽ immediatè concurrentem ad ipſam calefactionẽ: ſed per te anima nõ aliter elicit intellectionẽ, niſi quatenus ſuſtentat intellectũ immediatè elicientem ipſam intellectionem: ergo anima nõ magis propriè elicit intellectionem, quã aqua calida elicit calefactionẽ. Quod quis audeat dicere?

7 Dices, id eſſe diſcriminis, quod anima ſuſtentat intellectum tanquã potentiã propriã, quã exigit ex natura ſua ad eliciendã intellectionẽ; at verò aqua non petit calorẽ ex natura ſua: & propterea

H in-

intellectio dicitur propriè elici ab anima; ſecus calefactio ab aqua calida. Sed contrà: ſiue anima exigat, ſiue non exigat ex natura ſua potentiã intellectiuã, non maiorẽ concurſum præſtat ad intellectionem, quàm aqua calida ad calefactionem: ergo anima non magis, neque propriùs elicit intellectionem, quàm aqua calida calefactionem. Antecedens eſt certum: quia per te anima nullũ aliũ concurſum præſtat, niſi ſuſtentationẽ potentiæ intellectiuæ: at eundẽ præſtat aqua ad calefactionem: ergo.

8 Inſtabis: ignis non calefacit immediatè per ſe manũ illi applicatam, & nihilominùs dicitur propriè calefactiuus ex natura ſua, quia calefacit medio calore quem ex natura ſua petit ſecum habere: ergo, licèt anima non eliciat immediatè actionem vitalem, dicetur ex natura ſua viuens, quia illam elicit mediâ potentiâ, quam ex natura ſua petit ſecum habere. Reſpondeo 1. Ignis, licèt non producat immediatè calorem in manu applicata, nihilominùs illum per ſe producit immediatè in ſe ipſo per actionẽ, quæ propriè eſt calefactio: & ideo propriè dicitur calefactiuus ex natura ſua: at verò anima, neque elicit propriè per ſe actionem vitalem immediatè ortam à potentia, vt tu aſſeris; neque ipſam potentiam producit per actionem vitalem, vt fatentur communiter philoſophi, atque adeò non poteſt dici propriè viuens.

9 Reſpondeo 2. dato, quòd ignis non produceret calorẽ in ſe ipſo, propriè quidem dici poſſet calefactiuus, non per ſuum eſſe, ſed per potentiam ſibi ſuperadditam ex natura ſua: at verò anima dicitur vita ſubſtantialis ratione ſui eſſe, quia iuxta commune philoſophorum proloquium, *Viuere viuentibus eſt eſſe*, & ideo debet concurrere ratione ſui ad aliquam operationem vitalem; cùm autem non ſit vitalis ea, per quã producit ſuas potentias, cõcurrere debet immediatè per ſuum eſſe ad alias, quæ vitales ſint: atqui eiuſmodi ſunt, quæ immediatè oriuntur à potentijs: ergo ad eas debet anima immediatè per ſuum eſſe concurrere.

10 Neque poteſt dici, potentiã intellectiuam concurrere in virtute animæ, & propterea illi propriè tribui intellectionem. Id, inquam, dici non poteſt: quia potentiam intellectiuam concurrere in virtute animæ, nihil aliud eſt, quã eſſe potentiam debitam animæ ex natura rei: ſed, licèt ſit potẽtia debita animę ex natura rei, nullũ maiorem concurſum præſtat anima circa intellectionẽ, quàm aqua calida circa calefactionem: ergo non magis propriè concurrit anima ad illam, quàm aqua ad iſtam. Confirmatur: quia, ſi voluntas ſeparata eliceret volitionem peccaminoſam, eam eliceret tanquam virtus propria animæ; & tamen non tribueretur illud peccatum animæ: ergo, ſi anima de facto non concurrit immediatè ad volitionem, ex eo ſolùm tribuitur illi talis actus, quòd ſuſtentat ipſam voluntatem: ergo non magis propriè

pliè illi tribuitur, quàm aquæ calidæ calefactio.

Secunda probatio.

11 ANte ſecundam probationẽ aduerto, ſuppoſita diſtinctione reali potentiarũ inter ſe ſe, & ab anima, voluntatẽ nullatenus in ſe recipere actus intellectus, aut illis informari; nec è cõtrà, intellectum actus voluntatis. In hoc omnes conueniunt. Et ratio ſumitur ex his, quæ diximus in prima poſitione: quia potentia vitalis coaleſcit ex principio effectiuo, & paſsiuo ſuorum actuum: ergo potentia intellectiua debet eſſe principium effectiuum, & paſsiuum intellectionum: atqui volũtas in ſententia, quam ſupponimus, non eſt de conceptu, aut integritate potẽtiæ intellectiuæ: ergo neque eſt principium paſsiuum intellectionum: ergo neque informatur intellectionibus; quia forma educibilis nõ aliud ſubiectum informat, niſi illud, in quo recipitur, vt inductione conſtat.

12 Hoc ſuppoſito, probatur 2. animã concurrere immediatè cum potẽtijs ad ſuos actus eliciendos: quia principium, quod immediatè elicit volitionẽ, mouetur ad illam eliciendam per cognitionẽ repræſentantem illi formaliter obiectũ ipſius volitionis: ſed cognitio non poteſt obiectum repræſentare formaliter principio immediatè elicienti volitionẽ, niſi illud informãdo: ergo ex parte principij immediati volitionis debet dari aliquid, quod informetur cognitione: ſed hoc non poteſt eſſe aliud, niſi anima: ergo anima ſe habet ex parte principij immediati volitionis: ergo cõcurrit immediatè ad volitionem. Maior admittitur ab omnib. Philoſophis, & Theologis. Minor facilè probatur: nam cognitio eſt repræſentatio formalis obiecti nõ alia de cauſa, niſi quia illud repræſentat ſubiecto per ſui informationem: ergo, eo ipſo quòd repræſentet formaliter obiectum principio elicienti volitionem, debet informare tale principium: ergo ex parte principij immediati volitionis debet dari aliquid, quod informetur cognitione. Iam, quòd id non poſsit eſſe aliud, niſi anima, eſt certum: quia voluntas non poteſt informari cognitione, vt probauimus num. præced. neque eſt aliud, quod informari poſsit, niſi anima: ergo anima informatur cognitione: ergo ipſa ſe habet ex parte immediati principij volitionis.

13 Cõfirmatur: quia nullus poteſt liberè eligere vnum præ alio, quin prius nouerit vtrumque: ſed principiũ immediatè eliciens volitionem ſæpè eligit vnum præ alio liberè: ergo debet noſcere vtrumque: at nõ poteſt aliquid cognoſcere, quin informetur cognitione: ergo informari debet ipſâ cognitione. Maior eſt nota ex terminis: quia eligere vnũ præ alio eſt, vnum alteri præferre: qui autẽ vnum, & alterum non nouit, quomodo poterit vnum alteri præferre?

14 Dices: vt principium eliciens volitionem eligat vnum præ

alio, ſufficit, quòd intellectus in eadem anima exiſtens, cognoſcat id, quod eligendũ eſt: ſicut manus mouetur ad imperium voluntatis exiſtens in anima informante manum, etiamſi imperium non ſit in ipſa manu. Sed contra: quòd intellectus in eadem anima exiſtens cognoſcat obiectum, non ſufficit, vt voluntas realiter diſtincta notitiã habeat ipſius obiecti; quandoquidem voluntas non informatur tali cognitione: ergo non ſufficit ea cognitio, vt voluntas vnum præ alio eligere poſsit.

15 Neque exemplum adductum alicuius eſt momenti: quia manus mouetur per naturalẽ quãdam ſympathiam, & connexionẽ, quam habet cum imperio voluntatis; & ideo, eo poſito, non poteſt motu abſtinere: at verò voluntas non tendit in obiectum per naturalem ſympathiam, & connexionem, quam habeat cum actu intellectus cognoſcentis ipſum obiectum (alioqui, poſito actu intellectus, non poſſet voluntas cohibere ſuum actum circa obiectum cognitum) ſed ideo tendit in obiectum; quia bonitas obiecti illi manifeſtata per cognitionem, eam inuitat ad ſui electionem: non poteſt autem bonitas manifeſta fieri voluntati, neque illã inuitare, niſi ſit ipſi propoſita formaliter per cognitionem; hoc enim ſonat inuitatio, & manifeſtatio: ergo neceſſarium eſt, quòd cognitio informet voluntatem, ſeu aliquid immediatè concurrens cum voluntate. Cum autem non poſsit informare voluntatẽ, vt probatum eſt, debet aſsignari aliud ſimul concurrens cum ipſa voluntate, quod informari poſsit cognitione, quod quidem non poteſt eſſe aliud, niſi anima.

16 Ex dictis conſtat, animam immediatè recipere intellectionẽ, & immediatè efficere volitionem, & idem dicendũ eſt ſuo modo circa actus appetitus ſenſitiui, & ſenſus interni: quia ſicut voluntas nõ fertur in obiectũ, niſi præcedente intellectione ipſius obiecti, ita neque appetitus, niſi ductus cognitione ſenſus interni. An verò anima concurrat immediatè ad eliciẽdos actus omnium aliarum potentiarum, non probatur efficaciter prædicto argumento; quia poteſt eſſe, quòd in voluntate ſit neceſſarius talis animæ concurſus ob peculiarem exigentiam actuum ipſius voluntatis.

17 Nihilominus ex dictis circa voluntatem probabiliter deducicitur, idem dicendum eſſe circa actus aliarum potentiarum: quia ſicut voluntas datur animæ ad eliciendam voſitionẽ, ita datur intellectus ad intellectionem, & viſus ad viſionẽ, &c. ergo ſicut in voluntate, quatenus eſt ex parte ipſius, non datur virtus adæquata ad eliciendam volitionem ſine immediato animæ concurſu; ita neque in intellectu ad intellectionẽ, &c. Conſequentia probatur: quia non apparet ratio, cur intellectus ſufficiat ad intellectionem ſine concurſu animæ, cum volũtas non ſufficiat ad volitionem.

Ter-

Tertia probatio eſt inſufficiens.

18 Tertio probari ſolet, animã immediatè concurrere ad actus ſuarum potentiarum: quia, vt experientiã conſtat, operatio vnius potentiæ impeditur per intenſam operationem aliùs: ergo concedendum eſt aliquod principium omnibus commune, quod, dum impenſiùs cum vna potentia concurrit, ſubſtrahit alteri concurſum: hoc autem non poteſt eſſe aliud, niſi anima: ergo dicendum eſt, immediatè concurrere cum omnibus potentijs ad ſuos actus. Probatur prima cõſequentia: quia alioqui, ſi ſingulę potentiæ ſuos actus adæquatè elicerent, cùm eæ ſint realiter diſtinctæ, non eſſet, cur intenſa operatio vnius impediret operationem alterius, quando quidem virtus huius non poteſt per illius operationem imminui.

19 Hoc tamen argumentum nobis fauere non poteſt, qui ſuprà diximus, animas perfectorum animalium conſtare partibus integrãtibus, quarum ſingulæ ſuas operationes eliciunt ſine immediato cõcurſu aliarum; & nihilominus per operationem intenſam vnius partis animæ impeditur ſæpè in bruto operatio alterius: ergo aliunde eſt aſsignanda ratio huius, & non ex cõcurſu immediatò animæ cum potentijs.

20 Ex duobus ergo capitibus deſumi poſſet ratio huius, etiamſi anima non concurreret immediatè cum potẽtijs ad ſuos actus. Primum eſt, quòd ad operationes potentiarum maximè cõducunt ſpiritus vitales, & animales: dum autem vna potentia impenſè vacat ſuæ operationi, plures ad ſe trahit, & conſumit ſpiritus vitales, quibus deſtitutæ reliquæ minus aptæ ſunt ad operandum: & propterea qui poſt prandium mentis operibus incumbunt, neque cibum bene excoquunt, neque digerunt; quia videlicet euocatis è ſtomacho in cerebrum ſpiritibus vitalibus, non poteſt ſtomachus, vel ſaltem ægrè in cibum operari.

21 Secundò etiam dici poſſet (quod ad operationes ſenſuũ externorum attinet) quòd, licèt, vno intenſè operante, non ceſſet alter à ſua operatione, nihilominus non poteſt diſcerni, an eã eliciat: quia ſenſus communis, cuius proprium eſt cognoſcere, & diſcernere inter obiecta, & cognitiones ſenſuũ externorũ, vt dicemus infrà, dum nimium intendit in operationem vnius, non poteſt ſimul attendere ad operationem alterius; & ideo perinde eſt tunc ſenſum externum operari, ac ſi non operaretur: tum quia, ſi operatio eius nõ percipiatur per internum ſenſum, non poteſt quis ſcire, an operetur talis ſenſus; ac per conſequens neque poſtea recordari talis operationis, quia eorum tantùm recordatur animal, quæ ad notitiam ſenſus interni peruenẽre, vt conſtabit ex infra dicendis: tum etiam quia ſenſatio ſenſuum externorum ex natura ſua ordinatur ad hoc, vt appetitus proſequatur obiectum ſibi

Digitized by Google

conueniens, & fugiat diſconueniens: ſi vero ſenſatio ſenſus exterꝑni non percipiatur per internum, ad quem pertinet obiectū proponere appetitui, perinde eſt, ac ſi nō eſſet, quia neque appetitus poterit bonum per ſenſum externū cognitum proſequi, neque malum euitare.

SECTIO II.

An potentiæ vitales diſtinguātur realiter ab anima?

22 Certum eſt, dari in anima potētias, ſeu virtutes producendi, & recipiendi proprios actus. Dubium tamen eſt, quo pacto ab animæ ſubſtantia diſtinguātur hæ potentiæ? an ſcilicet diſtinctione reali, vel ſolùm rationis? In qua re duæ ſunt oppoſitæ ſententiæ, ad quas nonnullæ aliæ mediæ reduci poſſunt. Prior abſolutè aſſerit, potentias diſtingui realiter ab anima. Ita S. Thom. 1. p. q. 77. art. 1. Caiet. Albert. Ægidi. & alij, quos refert, & ſequitur P. Rub. hìc tract. de Poten. quæſt. 1. P. Tolet. 2. de Anim. cap. 4. q. 9. P. Suar. in Met diſp. 18. ſect. 3. n. 30. P. Vaz. tom. 1. in 1. 2. diſp. 34. c. 3. & P. Valen. 1. p. diſp. 6. q. 3. pun. 2. & PP. Conim. hìc. Poſterior ſententia abſolutè negat diſtingui realiter ab anima. Ita Greg. Henr. OKā, Gabr. Marſil. & alij apud P. Rub. ſuprà, Scot. in 2. diſt. 16. q. vnica, S. Bonau. in 1. diſt. 3. quæſt. 3. P. Hurt. hìc, diſput. 4. ſect. 4. à nu. 63. P. Arria. hìc diſput. 3. ſect. 3 ſubſect. 4 & probabilem cenſet P. Valen. ſupra. His cōſentio. Pro maiori tamen explicatione,

23 Dico 1. Potentiæ ſpirituales, quales ſunt intellectus, & voluntas, ſunt idem realiter cum anima rationali. Eſt expreſſa ſententia D. Auguſtin. D. Bernardi. & D. Iſidori. Auguſtinus enim in ſerm. de Imag. vt ex Gregorio refert P. Hurt. ait: *Anima eſt intellectus, anima eſt memoria; & anima eſt voluntas.* Et tom. 1. libr. 10. Confeſſ. cap. 14. ait: *Cùm animus ſit etiam ipſa memoria.* Et tom. 9, tract. 15. in Ioan. loquens de intellectu ait: *Non enim aliquid aliud eſt, quam anima; ſed aliquid animæ eſt intellectus.* Et tom. 10. ſerm. 3. de Temp. recenſens diuerſa munera potentiarum ait: *Et cùm vnum ſint, &c.* Bernar. verò ſerm. 11. in Cant. hæc habet: *In anima tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem, & hæc tria tandem eſſe animam.* Et denique Iſidor. lib. 11. Etymolog. ait: *Anima, dum viuificat corpus, anima eſt; dum vult, voluntas; dum intelligit, mens; dum recolit, memoria.* En expreſſam mentem horum Patrum, quorum authoritate fultus, quid mirum, relinquā D. Tho. qui oppoſitam ſententiam amplectitur?

24 Relictis alijs rationibus, hac vna probatur: quia non ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſsitate: ſed nulla eſt in præſenti neceſsitas adſtruendi potētias realiter diſtinctas ab anima: ergo non ſunt adſtruendæ. Minor probatur: quia neque ſunt neceſſariæ ex parte animæ, vt medijs illis ſuas operationes eliciat; cū ipſa anima poſ-

ſit,

ſit, imò debeat concurrere immediate ad operationes vitales, vt probatum eſt ſect. præced. neque neceſſariæ ſunt ex parte operationum, intellectionis videlicet, & volitionis: quia, ſi hæ exigerent potētias realiter diſtinctas, maximè propter rationem vitæ, aut rationem intellectionis, & volitionis: ſed ad has efficiendas, & recipiendas ſufficit anima, quæ eſſentialiter eſt vita ſubſtantialis intellectiua, & volitiua: ad quid ergo addemus potentias realiter ab illa diſtinctas?

25 Dico 2. Potentiæ vitales materiales non diſtinguuntur realiter à compoſito ſubſtantiali viuente. Explicatur. Potentiæ vitales, vt dixi ſect. præced. eſſentialiter includunt principium actiuum, & paſsiuum operationum vitaliũ: reſpectu ergo operationum vitaliũ materialium anima ſola eſt principium effectiuum; &, materia principium paſsiuum, ſaltē inadæquatum, vltra quas non eſt neceſſaria alia potentia à compoſito diſtincta. Hanc concluſionem tuentur authores adducti pro prima. Et quidem, quòd anima ſit principium actiuum harum operationum expreſſè tradit Auguſt. lib. de Spirit. & Anima cap. 4. vbi ait, animam eſſe ſuos ſenſus, quod intelligendum eſt, quoad virtutem ſaltem effectiuam ſenſationum. Eius verba adducit P. Hurt. ſup. n. 64. Ratione facilè ſuadetur: quia nullum prædicatũ eſt in ſenſationibus exigens potentiam effectiuam ab anima diſtinctam: nam, ſi aliquod, maximè vitalitas, ſenſatio, aut talis ſenſatio, videlicet auditio, &c. ſed hæc omnia ſufficienter reſpondent animæ tanquam efficienti, cum ea ſit eſſentialiter vita ſubſtantialis ſenſitiua, viſiua, auditiua, &c. ergo non eſt addendum aliud principiũ efficiēs diſtinctũ realiter ab anima.

26 Iam, quòd materia ſit principium paſsiuum ſenſationum, cōſtat apertè ex Ariſt. ſuprà adducto num. 1. ex lib. de Somn. & Vigil. c. 1. vbi ait, ſenſationem non eſſe motum ſolius animæ, aut corporis; *ſed animæ per corpus*: ergo ſentit, corpus concurrere ad receptionem ſenſationũ. Deinde 1. de Ani. text. 65. & 66. ait, intelligere eſſe ſolius animæ; ſentire verò totius compoſiti: ergo ſentit, non ſolùm animam; ſed etiam materiam concurrere ad ſenſationem: atqui materia non poteſt aliter concurrere, niſi in genere cauſæ materialis recipientis: ergo eſt ſubiectum receptiuum ſenſationis. Dices: poteſt eſſe conditio ad hoc, vt anima eliciat ſuam ſenſationem in ſe ipſa. Sed contrà: vnio cum materia eſt etiam conditio adhoc, vt anima in ſtatu coniunctionis eliciat in ſe ipſa intellectionem, & nihilominus aſſerit Ariſt. intellectionem eſſe ſolius animæ: ergo quando dicit, ſenſationem eſſe totius compoſiti, quidquam aliud tribuit materiæ præter hoc, quod eſt eſſe cōditionem. Quod quidē nil aliud eſſe poteſt, niſi ratio principij receptiui.

27 Ratione verò prob. 1. quia ad ſenſationem requiruntur certa organa, & diſpoſitiones, ſine quib⁹ vi-

viuens nequit elicere ſenſationẽ: hæc autem recipiuntur in materia, vt conſtat experiẽtiâ: ergo & ipſa ſenſatio debet recipi in materia. Patet conſequentia: quia forma recipitur in eodẽ ſubiecto, in quo diſpoſitiones ad illam requiſitæ recipiuntur; alioqui, vt quid deſeruirent hæ diſpoſitiones, ſi nõ præpararent ſubiectum ad formæ receptionem?

28 Secundò probatur: quia, ſi ſenſatio in ſola anima reciperetur, non eſſet, cur anima ſeparata non eliceret ſenſationem: at eam non elicit, vt fatentur omnes; ergo nõ recipitur in illa. Maior probatur: quia anima eſt cauſa effectiua, & per te receptiua adæquatè ipſius ſenſationis: deinde poſſet in ſtatu ſeparationis conſeruare ſpecies intentionales requiſitas ad ſenſationem, ſicut conſeruat ſpecies intelligibiles, quas per ſenſus acquiſiuit ad eliciendam intellectionem; imò & poſſet alias denuo recipere ab obiectis materialibus, ſicut modò recipit: quid ergo illi deeſſet ad eliciendam ſenſationem?

29 Deficeret (dices) vnio animæ cum corpore, quæ eſt conditio neceſſaria ad eliciendam ſenſationem. Sed contrà: ea vnio eſt etiam conditio ad eliciendam intellectionem pro hoc ſtatu, & nihilominus in ſtatu ſeparationis ſuppletur per aliam deſeruientem ad eliciendam intellectionem: ergo eadem deſeruire poſſet ad ſenſationem. Ex dictis conſtat, potentias ſenſitiuas diſtingui realiter ab anima tanquam includens ab incluſo, quia tales potentiæ præter animam includunt etiam materiam.

An materia ſit ſubiectum adæquatum operationum vitalium materialium?

30 Pater Hurt. hìc diſp. 4. ſect. 3. num. 44. reſpondet affirmatiuè. Sed ſibi non conſtat meo iudicio perdoctus Pater: quia, ſicut ſe habet intellectio ad amorẽ voluntatis, ita ſe habet ſenſatio ſenſus interni ad actum appetitus: ſed in tua ſententia non poteſt anima immediatè elicere amorẽ, niſi in ſe recipiat immediatè intellectionem, per quam obiectum illi formaliter proponatur: ergo neq; poterit elicere actum appetitus, niſi in ſe recipiat ſenſationem ſenſus interni, quę illi repręſentet formaliter obiectum: ergo datur aliqua ſaltem ſenſatio, quæ non ſolùm in materia; ſed etiam in anima ſubiectetur.

31 Reſpondet, recipi in materia, quæ ſimul cum anima conſtituit vnum principium. Sed cõtrà: Materia non pertinet ad principium appetitionis, tanquam quid efficiens; ſed ſolùm vt recipiens ipſam appetitionẽ: ergo ſenſatio in materia ſolùm exiſtens nõ proponit obiectũ principio efficienti appetitionẽ. Patet conſequentia: quia per te intellectio non proponit formaliter obiectum principio efficiẽti volitionẽ, niſi immediatè in illo ſubiectetur: ergo neq; ſen-

ſatio proponet formaliter obiectũ principio elicienti appetitionem, niſi immediatè in illo ſubiectetur.

32 Dico 1. Nutritio in ſola materia recipitur immediatè. Ratio eſt: quia nutritio debet recipi immediatè in ſubiecto, in quo forma per illã producta ſubiectatur: ſed forma producta per nutritionẽ ſubiectatur in materia alimenti, & in indiuiſibili vnienti illã cum materia viuentis: ergo nutritio ſimiliter in materia recipietur.

33 Dico 2. Senſationes omnes, & appetitiones recipiuntur in toto compoſito. Eſt D. Tho. 1. p. q. 77. art. 5. vbi ait, potentias vitales ſubiectari in toto compoſito: ergo idem dicet de earum actibus. Probatur deinde ratione: quia effectus formalis ſenſationis, ſeu termini per illã producti (qui quidem dicitur ſpecies expreſſa, ſeu imago expreſſa obiecti) eſt repræſentare formaliter obiectũ ſuo ſubiecto: ſed obiectũ non poteſt repræſentari formaliter ſubiecto nõ viuẽti: ergo ſenſatio debet habere ſubiectum viuens, cui propriũ obiectũ formaliter repræſentet: hoc non poteſt eſſe materia; quia non eſt viuens, neque vita: ergo debet eſſe vel anima, vel cõpoſitum. Iam verò probauimus, nõ eſſe ſolam animam, & ideo debet eſſe cõpoſitũ. Maior eſt certa apud omnes, vt ex infra dicendis conſtabit. Minor probatur: quia iuxta communem ſententiam, ſi cognitio, aut terminus illius (ſi illa conſiſtat in ſola actione) poneretur in lapide, non repræſentaret illi formaliter obiectum, non alia de cauſa, niſi quia lapis non eſt viuens.

34 Et ratio à priori huius eſt: quia imago non repræſentat ſuum obiectũ, niſi potẽti illud cognoſcere mediâ ipſâ, & propterea imago Cęſaris depicta in pariete non repræſentat ſuum obiectũ alteri parieti è regione poſito; quia videlicet iſte non poteſt media imagine venire in cognitionẽ talis obiecti: atqui non viuens non poteſt obiectum cognoſcere mediâ imagine expreſſa in ſe receptâ: ergo hęc nõ repræſentat illi ſuum obiectũ. Minor eſt certa: quia hoc, quod eſt, eſſe cognoſcens ſicut inuoluit talẽ formam, nempè cognitionẽ, inuoluit etiam tale ſubiectũ, nempe potentiam ex ſe cognoſcitiuam: ſed non viuens non eſt potentia ex ſe cognoſcitiua: ergo, &c.

35 Dices: Materia per ſe eſt ſubiectũ inadæquatũ ſenſationis: ergo repræſentatur illi formaliter obiectũ per ipſam ſenſationẽ. Diſtinguo conſequens: adæquatè, nego: inadęquatè, cõcedo conſequentiam. Hoc autem nullũ eſt inconueniens: quia, cùm materia ſit pars viuentis, non eſt mirũ, quòd inadæquatè illi repræſentetur obiectũ, quod adæquatè toti viuenti repræſentatur: at verò nõ poteſt repræſentari illi adæquatè, cum ipſa ſecundùm ſe non ſit viuens.

36 Obijcit P. Hurt. 1. ſenſatio hominis nõ poteſt recipi in anima rationali: ergo materia eſt ſubiectũ adæquatũ ſenſationis hominis: ſi autem eſt ſubiectũ adæquatũ ſenſationis hominis, erit etiã ſenſationis

ni, bruti, quia non magis requiritur ad iſtam, quàm ad illam. Antecedens probatur: quia nulla forma poteſt recipi in ſubiecto, cui non tribuat omnes ſuos effectus forma les: ſed vnus ex effectibus formalibus ſenſationis eſt reddere ſubiectum extenſum, quē quidē effectū non poteſt tribuere animæ rationali, cùm hæc ſit indiuiſibilis: ergo nō poteſt recipi in illa. Minor ē putat eſſe certam: quia, cum ſenſatio ſit extenſa, vel conſtans partibus extenſionis, debet reddere extenſum ſuum ſubiectum.

37 Nego primum antecedens. Ad probationem in primis nego maiorem: quia ſpecies intentionalis coloris meam potentiam viſiuā reddit proximè potentem elicere viſionem, & tamen non præſtat hunc effectum aeri, in quo etiam recipitur: ergo non eſt neceſſariū, quòd forma cuilibet ſubiecto tribuat omnes ſuos effectus formales. Secundò reſpondeo, effectum formalem cognitionis materialis nō eſſe reddere ſubiectū extenſū, quia non reddit illud extenſum in actu primo; hic enim eſt proprius effectus formalis quātitatis: neque in actu ſecundo; quia iſte eſt proprius effectus extenſionis formalis, ſeu præſentiæ circumſcriptiuæ. Effectus ergo formalis cognitionis eſt, reddere cognoſcens, ita tamē, vt, ſi ſubiectum fuerit diuiſibile ſingulę eius partes reddātur cognoſcentes per ſingulas partes cognitionis diuiſibilis; at verò, ſi fuerit indiuiſibile, reddatur cognoſcens per omnes, & ſingulas partes cognitionis.

38 Obijcit 2. Accidens ſpirituale non poteſt recipi ex natura rei in ſubiecto corporeo: ergo neque accidens corporeum poteſt recipi ex natura rei in ſubiecto ſpirituali: atqui ſenſatio eſt accidens corporeum: ergo non poteſt recipi in anima rationali, quæ eſt ſpiritualis. Conceſſo primo antecedenti, diſtinguo conſequens: accidens corporeum non poteſt recipi adæquatè in ſubiecto ſpirituali, admitto: inadæquatè, nego conſequentiā. Diſparitas eſt: quia ratio corporeitatis rectè conſtat cum quacūque dependentia à ſubiecto corporeo, quandoquidē hæc ſufficit ad impenetrabilitatē, ſaltem remotam: ad rationem verò ſpiritus non ſufficit quæcūque dependentia à ſubiecto ſpirituali, niſi ſit talis, quæ tollat omnem connexionem intrinſecam cum corpore; hoc enim neceſſarium eſt ad penetrationem ex natura rei, in qua conſiſtit ratio ſpiritus, prout condiſtinguitur contra corpus, vt diximus diſp. 4. Hinc eſt, quòd accidenti ſpirituali repugnet, ſubiectari adhuc inadæquatè in corpore; accidenti verò corporeo non repugnet ſubiectari inadæquatè in ſpiritu.

39 Obijcit 3. Materia prima eſt ſubiectum adæquatum animæ ſenſitiuæ: ergo & ſenſationis. Nego conſequentiam. Ratio eſt, quia anima poteſt dare ſuum effectum formalem materiæ non viuenti, vt conſtat; ſecus ſenſatio, vt iam probauimus: & ideo non poteſt materia ita eſſe ſubiectum proprium illius,

Digitized by Google

illius, vt ſe ſola ſine conſortio animæ illam recipiat; alioquì nunquā ſenſatio ſuum effectū formalē tribueret, vt ex dictis conſtat.

An intellectus, & voluntas diſtinguantur formaliter ab anima?

40 RESpondeo, diſtingui formaliter ab anima tanquam incluſum ab includente: quia anima eatenus eſt intellectus, & voluntas, quatenus eſt principiū intellectionis, & volitionis: ſed eſt principium intellectionis, & volitionis per differentiam eſſentialē, per quam conſtituitur in eſſe rationalis: ergo intellectus, & voluntas diſtinguuntur ab anima eo modo, quo differentiæ eſſentiales diſtinguuntur à tota eſſentia, quæ quidē eſt diſtinctio partis à ſuo toto, ſeu incluſi ab includente. Idem dicito de potentijs ſenſitiuis quoad principium effectiuū ſenſationis, quia ſecundùm hanc rationē pertinent ad differētiam eſſentialem animæ vt ſenſitiuæ.

41 Obijcies: prius noſtro modo concipiendi eſt, quòd anima ſit intellectiua, quàm quòd ſit volitiua: ergo ſaltem per rationem noſtram voluntas ſupponit animā conſtitutā in eſſe intellectiuę: ergo non eſt formalitas pertinens ad eſſentiam metaphyſicā animæ tanquam differentia eſſentialis illius; ſed ſolùm attributum ex illa ortū noſtro modo concipiendi. Antecedens probatur: quia actus voluntatis ſupponit actum intellectus: ergo & potentia volitiua ſupponit, ſaltem per rationem noſtram, potentiam intellectiuam.

42 Nego primum antecedens. Probatio eius eſt inefficax: quia actus ſenſuum externorum ſupponuntur ad actus ſenſus interni, & nihilominus nullus eſt, qui dicat, animam priùs, noſtro modo cōcipiendi, eſſe elicitiuā ſenſationum exteriorum, & deinde ſenſationum ſenſus interni; quin potiùs omnes aſſerunt, vel hos eſſe conceptus inadæquatos integrantes metaphyſicè differentiā ſenſitiuā, vel eſſe differētias ſubordinatas inter ſe, cōtrahentes animā ad ſpecies ſubordinatas etiā inter ſe: ergo idem dicendum erit de intellectu, & volūtate; nēpe vel eſſe diffentias ſubordinatas (ſi forſam poteſt dari intellectiuum, quod non ſit volitiuum, vt nonnulli aſſerunt) contrahentes animā ad ſubordinatas ſpecies; vel eſſe cōceptus inadęquatos differētiæ rationalis, de cuius ratione ſit, non ſolùm eſſe elicitiuam diſcurſus proponentis voluntati obiectum eligendum; ſed etiam eſſe elicitiuam pro ſuo libito volitionis eligentis vnum ex obiectis propoſitis per diſcurſum, ſeu intellectionem.

Qua ratione recipiatur in compoſito ſenſatio?

43 ROgas: An ſenſatio diuiſibilis ſubiectetur in cōpoſito ita, vt vna pars reſpōdeat materiæ, & altera animæ; vel potiùs ita, vt tota indiuiſibiliter reſpondeat animæ, & materiæ ſimul? In primis

mis non ita ſubiectatur, vt vna pars reſpondeat ſoli animæ, & altera materiæ ſoli: tum quia pars in homine reſpōdens animæ rationali, eſſet ſpiritualis (ſicut pars ſubſiſtētiæ eidem animæ reſpōdens) quod quidem eſt contra rationem ſenſationis, vt conſtabit ex infra dicendis: tum etiam quia pars, quæ reſpōderet materiæ, nulli ſubiecto repræſentaret ſuum obiectū: quia non materiæ, cùm hæc non ſit viuens; neque alteri, cùm non haberet aliud ſubiectum.

44 Dicendum ergo eſt, in cōpoſitis habētibus animas diuiſibiles, ſingulis partibus integralibus compoſiti reſpondere ſingulas partes ſenſationis integrales, ita tamen, vt quælibet pars integralis ſenſationis recipiatur per receptionem indiuiſibiliter dependētem à parte materiæ, parte vnionis, & parte animæ, ex quibus eſſentialiter componitur pars integralis compoſiti, cui reſpondet. In homine verò, cuius anima eſt indiuiſibilis, ſingulis partibus integralibus materiæ, & vnionis reſpondent ſingulæ partes integrales ſenſationis, & ſingulæ etiam, ac omnes reſpondent animæ rationali, ita vt quæuis pars ſenſationis recipiatur per receptionem indiuiſibiliter dependentem à parte materiæ, & parte vnionis, quibus reſpondent, & ſimul à tota anima rationali. Vnde hæc vna ſimul cū ſingulis partibus materiæ, quas informat, concurrit ad recipiendum indiuiſibiliter partes ſenſationis ſingulis reſpondentes.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta aſſerentium, potentias diſtingui realiter ab anima.

45 Nonnulla argumenta ſumuntur ex eo, quòd repugnet, ſubſtantiam creatam immediatè concurrere ad operandū efficienter, quæ quidem iam ſoluta ſunt in Phyſ. diſp. 13. ſect. 3. & proptereà hic ea ſolū obijciem, quæ directè oppugnāt identitatē animæ cum ſuis potentijs. Primo ergo obijcitur: Anima ex ſe eſt indifferens ad eliciendam cognitionem, & volitionem: ergo debent dari potentiæ ſuperadditæ, quibus determinetur ad vnā, aut alteram eliciendam. Nego conſequētiam, ſi loquatur obijciens de potentia intellectiua, & volitiua ſuperadditis, quia ad cognitionem ſufficienter determinatur anima per ſpecies intentionales; ad volitionem verò per cognitionem repræſentātem formaliter obiectū.

46 Obijcitur 2. Potentiæ inanimatorum diſtinguuntur realiter à ſubſtantia: ergo & potentiæ animatorum diſtingui debent. Antecedens eſt certum: quia ignis habet calorem ſuperadditum; aqua frigiditatem; & lapis grauitatem, &c. ad producendas proprias operationes. Conſequentia videtur bona à paritate. Concesſo antecedente, nego conſequentiam. Diſparitas ſumitur ex duplici capite. Primum eſt: quia potentiæ inanimatorum non ſolùm ſunt vir-

tutes ad operandum; ſed etiam vel diſpoſitiones requiſitæ ex parte materiæ ad recipiendam formam ſubſtantialem; vt, calor ad formam ignis; frigus ad formam aquæ, &c. vel qualitates ſecundæ ortæ ex temperamento primarũ; vt, grauitas, & leuitas, quæ oriuntur ex primis qualitatibus, adhuc renuente formâ ſubſtantiali, vt conſtat in aqua calida, quæ ratione caloris aduentitij leuitatem induit contra natiuam inclinationem formæ ſubſtantialis ipſius aquæ.

47 Hinc eſt, quód hæ potentiæ realiter diſtingui debeãt à forma ſubſtãtiali, quę neq, poteſt eſſe diſpoſitio ad ſe ipſam; neq; ex te[illegible] peramento primarum qualita[illegible] reſultare. At verò potẽtiæ [illegible]imæ neque ſunt diſpoſitiones [illegible]quiſitæ ex parte materiæ ad i[illegible] animã recipiendam, vt cõ[illegible], neque qualitates ſecundæ [illegible]mediatè ortæ ex temperam[illegible] primarum, quia in nulla tem[illegible]e qualitatum dantur, ani[illegible]ciente; atque adeó non e[illegible]e colligatur diſtinctio harum [illegible]otentiarum ab anima, niſi ex i[illegible]gentia operationum: iam v[illegible]ò probauimus, nullam indigẽ[illegible]n eſſe ex parte operationum: ergo non eſt, cur eas diſtinguamus.

48 Secundum diſcrimen eſt: quia potentiæ inanimatorũ ordinantur ad effectus, quos poſſunt efficere ſine adminiculo formarũ ſubſtantialium, quas comitãtur ex natura rei, vt conſtat in calore, & leuitate, &c. imo & quos non poſſunt efficere ipſæ formæ ſubſtantiales vt diſp. precęd. probabamus de aqua; nempe non poſſe ſe ipſa cauſare frigiditatem in ſubiecto extraneo; at vero effectus potentiarum animæ non poſſunt fieri ex vna parte ſine concurſu animæ, vt probauimus ſect. 1. & ex alia ſufficit concurſus animæ, vt probatum eſt ſect. præced. ergo non eſt, cur addantur potentiæ realiter diſtinctæ.

49 Obijcitur 3. Si intellectus, & vol[illegible]as ſint idem realiter cum an[illegible], erunt idem realiter inter ſe [illegible]go verum erit dicere: *Volun[illegible]s intelligit*; &, *intellectus amat*. Deinde habitus Fidei non magis competeret intellectui, quàm voluntati, & habitus Charitatis non magis competeret voluntati, quã intellectui, contra communem Theologorum ſententiam aſſerentium, Fidem pertinere ad intellectum; Charitatem verò ad voluntatem. Conceſſo primo antecedẽte, diſtinguo conſequens: verum erit dicere in ſenſu identifico, & materiali, *Voluntas intelligit*, &, *Intellectus amat*, concedo: in ſenſu formali, nego conſequentiam: quia anima eatenus eſt formaliter intellectus, quatenus eſt principium intellectionis; &, voluntas, quatenus eſt principium volitionis: non autem amat, vt eſt principium intellectionis formaliter; neque, vt eſt principiũ volitionis, intelligit: ſicut homo formaliter *vt animal* non ratiocinatur; neque formaliter *vt rationalis* ſentit. Ad id, quod dicitur de Fide, & Chari-

tate

tate, reſpondeo, Fidem ideo dici competere intellectui, quia deſeruit animæ ad eliciendum actum intellectus; &, Charitatem voluntati, quia deſeruit ad eliciendum actum voluntatis. Neque poteſt dici, habitum Fidei, & Charitatis eſſe idem realiter, ſicut intellectũ, & voluntatem; quia certũ eſt, deficiente Charitate in homine peccatore, nõ deficere ſemper Fidẽ.

50 Obijcitur 4. Non repugnat anima, quæ ſit vitaliter operatiua per potentias ſuperadditas: ergo non eſt, cur negetur, talẽ eſſe eam, quæ defacto exiſtit. Admiſſo antecedente, nego conſequentiã: quia effectus animæ hucuſque nobis cognitæ non indigent ad ſui productionem, ex parte animæ alio principio, niſi ipſã animæ eſſentiã, & ideo non eſt concedendum; quia Philoſophus nullam entitatem concedere debet ſine neceſsitate; effectus verò illius animæ poſsibilis indigerent potentiã ſuperadditã. Inſtabis: Anima non poteſt eſſe ſua operatio: ergo neque ſua potentia operatiua. Nego conſequentiam: quia cùm experiẽtiã conſtet, animam defacto exiſtere ſine ſua operatione, cogimur, aſſerere diſtingui realiter ab illa, quia non poteſt exiſtere ſine ſe ipſa; at verò non conſtat, dari animam ſine ſua potentia; neque eſt aliquid aliud ſuadens huius diſtinctionem ab illa: cur ergo illas diſtinguemus?

51 Denique obijciuntur plures Patres. Primus eſt Dionyſius Areopag. de Cel. Hier. c. 11. vbi ait, in Angelo diſtingui tria hæc; videlicet, *eſſentiam, potentiam*, & *actionem*: atqui actio realiter diſtinguitur ab eſſentia Angeli: ergo & potentia. Secundus eſt Auguſt. lib. 15. de Trinit. c. 7. vbi ait, mentem non eſſe animam, ſed aliquid eius, aut aliquid in ea. Tertius eſt Epiphan. hæreſ. 67. vbi ait, mentem non eſſe ſubſtantiam. Quartus eſt Damaſc. qui in ſua Dialect. cap. 51. conſtituit cum Ariſt. potentias vitales in prædicamento qualitatis. Denique Concil. Trident. diſtinguit voluntatem ab appetitu: ergo ſentit non eſſe idem realiter cum anima.

52 Reſpondeo ad primum, D. Dionyſium in eo loco ſolùm diſtinguere ea tria in Angelo per rationem, vt conſtat ex contextu; ita tamen vt nomine potentiæ intelligat intellectũ; & nomine actionis voluntatem, quã hoc nomine appellat, quia ipſa reliquis potentijs ſibi ſubditis imperat. Ad ſecundum reſpondeo, D. Auguſt. in eo loco nomine *mentis* vſurpare actũ ipſum intelligendi. Ad tertium dico, D. Epiph. negare mentem eſſe ſubſtantiam aliquam Diuinam, vt colligitur ex contextu. Ad quartum dico, D. Damaſc. loqui ex ſuppoſitione, quòd iuxta probabilem opinionem tales potẽtiæ ſint ab animo diſtinctæ. Vel loquitur de potentijs materialibus, prout inuoluunt temperamentum primarum qualitatum requiſitum in materia ad proprias operationes eliciẽdas, ratione cuius pertinent ad ſecundam ſpeciem qualitatis, & in

hoc

hoc ſenſu explicandus eſt Ariſt. ſi alicubi potentias vitales ad prædicamentum qualitatis reuocauit. Denique reſpondeo ad Concil. Trid. rectè diſtinxiſſe voluntatem ab appetitu: quia voluntas eſt ſola animæ; appetitus verò cōpoſitū reſultans ex anima, & certa parte organica corporis: & propterea Ariſt. 3. de An. c. 4. dixit, ſenſum differre valde ab intellectu.

SECTIO IIII.

De ſpecificatione potentiarum.

53 LOquemur in pręſenti, ſuppoſitâ diſtinctione reali potētiarum inter ſe & idem intelligendum erit ſuo modo de potentiis formaliter ſolū diſtinctis. Pro deciſione obſeruo 1. quamlibet rem ſpecificari intrinſecè per propriam differentiam conſtituentem illam intrinſece in eſſe tali. De hoc nullus dubitat. Cæterùm, quia differentiæ intrinſecæ rerum ſæpe ordinantur ex natura ſua ad terminos aliquos extrinſecos, ex quorum ſpecifica diuerſitate colligere ſolemus diuerſitatem ſpecificam ipſarum differentiarum; ideo hæ dicuntur extrinſecè ſpecificari ab illis tamquā à terminis extrinſecis.

54 Obſeruo 2. potentias vitales ex ſe ordinari proximè ad proprios actus, & remotè ad eorum obiecta: v. g. potentia intellectiua reſpicit proximè cognitionē, qua poteſt verum cognoſcere; & remotè ipſum verum, quod cognoſcere poteſt cognitione. Ratio eſt: quia potentiæ ordinātur ad actus tamquam ad effectus, quos immediatè eliciunt; ad obiecta verò tamquā ad id, circa quod verſantur per ipſos actus: ergo hos reſpiciunt immediatè; illa verò mediatè.

55 Obſeruo 3. nō, eo ipſo quòd dentur obiecta ſpecie, imo & genere diſtincta, debere dari potentias diſtinctas circa illa; ſed vnam & eandē potentiam poſſe tendere circa obiecta diuerſiſſima. Exēplo ſit potentia viſiua, quæ poteſt verſari circa colorē, & lucē; imo circa horū præſentiam, vt dicemus in fra: deinde potentia auditiua circa omnes differētias ſonorū: & ſēſus cōmunis circa omnia obiecta ſen ſuū externorū, & horū ſēſationes. Ratio à priori eſt: quia vna, & eadē cauſa poteſt ob ſui excellentiā diuerſiſsimos effectus in ſe continere: cur ergo non dicemus, potētias tantâ vigere poſſe excelētiā, vt in ſe cōtineant actus, quibus diuerſa attingant obiecta? Obſeruo 4. potentias diuerſas verſari poſſe circa idē obiectū reale; vt, intellectus, & voluntas, quarū quælibet verſatur circa ens in tota ſua latitudine; & ſenſus cōmunis, ac appetitus, quorū quilibet verſatur circa omnia obiecta ſenſuū externorū. Id conſtat experiētiā. His poſitis.

56 Certū eſt 1. potētias extrinſece ſpecificari immediatè ab actibus, & mediatè ab obiectis. Ratio eſt: quia ab eo ſpecificantur proximè, & immediatè, cum quo proximā, & immediatā; ab eo verò remotè, & mediatè, cū quo remotā, & mediatam habent connexionē. ſed potentiæ proximè connectantur cum ſuis actibus; &, remotè cū obiectis: ergo ab illis ſpecificantur pro-

proximè; &, remotè ab iſtis. Maior eſt certa. Minor probatur: quia non aliter connectuntur cum obiectis, niſi quatenus ordinantur ad eliciendos actus, quibus verſantur circa ipſa obiecta, vt conſtat: atqui hoc eſt connecti proximè cum actibus, & remotè cum obiectis: ergo, &c. An verò potentiæ ſpecificentur ab obiecto ſolùm formali, vel etiam à materiali? conſtabit ex infra dicendis, circa ſpecificationē actũ intellectus.

57 Certum eſt 2. potentias non ſpecificari ab actibus, & obiectis inadæquatis; ſed ab adæquatis. Eſt dicere: potentiæ non conſtituuntur in tali ſpecie per ordinem ad vnum, vel alterum actum, ſeu obiectum; ſed per ordinem ad collectionem omnium actuum, quos poſſunt elicere, & ad collectionem omnium obiectorum, circa quæ poſſunt verſari. V.g. potētia viſiua non conſtituitur in hac ſpecie per ordinem ad colorem ſolum, & viſionem illius, ſeu per ordinem ad lucem ſolam, & illius viſionem; ſed per ordinem ad lucē; & colorem ſimul, & ad collectionem omnium viſionum, quibus verſari poteſt circa illa. Ratio eſt clara: quia hæc potentia viſiua, quæ de facto datur, non ſolùm poteſt elicere viſionē coloris, aut viſionem lucis; ſed vtriuſque: ergo non conſtituitur in eſſe huius ſpeciei per ordinem ad viſionem vnius, vel alterius; ſed per ordinem ad viſionem vtriuſque. Patet conſequentia: quia, ſi alia daretur, quæ poſſet elicere viſionem ſolius lucis, non eſſet eiuſdem ſpeciei cum iſta: ergo hæc non conſtituitur in eſſe huius ſpeciei, niſi per ordinē ad viſionem coloris, & ad viſionem lucis ſimul.

58 Certum eſt 3. potentias nō ſpecificari à collectione omnium actuum, prout conueniunt in aliqua ratione communi; ſed ab illis in ſingulari. Id colligitur ex his, quæ diximus in Phyſ. diſp. 10. nu. 54. circa ordinem cauſarum ad ſuos effectus. Et ratio eſt: quia potentiæ ſpecificātur ab actibus ſub ea ratione, quâ hi in illarum virtute continentur, vt fatētur omnes: ſed actus in virtute potentiarũ continentur non ſub aliqua ratione communi; ſed in ſingulari: ergo potentiæ ſpecificantur ab actibus in ſingulari ſumptis. Minor probatur: quia actus ſub ea ratione cō tinentur in virtute potentiarũ, quâ de facto ab illis producuntur: ſed producuntur de facto in ſingulari, & non ſub aliqua ratione communi, vt conſtat: ergo. &c.

59 Ex his infero 1. potentias eſſe ſpecie diſtinctas, quotieſcũq; obiecta earum adæquata ſunt diſtincta ſpecie. Ratio eſt: quia potentiæ diſtinguuntur ſpecie, quando actus adæquati earum ſpecie diſtinguuntur, vt fatentur omnes: ſed actus diſtinguuntur ſpecie, quādo obiecta adæquata ſunt ſpecie diſtincta: ergo & potentiæ. Minor probatur: quia actus dicunt eſſentialem ordinem ad obiecta: ergo quando obiecta adæquata ſunt ſpecie diſtincta, ſpecie diſtinguuntur actus. Vbi aduerte, ad

hoc,

Digitized by Google

hoc, vt obiectum adæquatum vnius potentiæ dicatur ſpecie diſtingui ab obiecto adæquato alterius, ſufficere, quòd vnum includat aliquid ſpecie diſtinctũ ab aliquo alio alterius, etiamſi in reliquis conueniant; quia in tali caſu iam dicentur aggregata illa eſſe ſpecie diſtincta.

60 Infero 2. circa idem obiectum adæquatum verſari poſſe potentias ſpecie diſtinctas. Ratio eſt; quia circa idem obiectũ adæquatum poſſunt dari actus ſpecie diſtincti; ergo & potentiæ ſpecie diſtinctæ. Patet conſequentia: quia potentię ſpecificantur immediatè ab actibus, atque adeò, ſi dantur actus ſpecie diſtincti circa idem obiectum adæquatum, potentiæ etiam, quarũ ſunt tales actus, ſpecie diſtinguentur. Antecedens verò probatur: quia actus intellectus, & actus voluntatis verſantur circa ens in tota ſua latitudine, vt dicemus infra diſp. 12. ſect. 2. & tamen diſtinguuntur in ſpecie, vt nullus non concedit. Et ratio eſt clara: quia habent diuerſiſsimum modum tendendi in obiectũ; actus enim intellectus verſantur circa obiectum vt repræſentationes formales, per quas ipſum obiectum quaſi trahitur ad intellectum, & fit illi intentionaliter præſens; actus verò voluntatis verſantur circa obiectum vt quædam pondera intentionalia, per quæ voluntas fertur in ipſum obiectum: ergo circa idem obiectum dantur in potentijs diuerſis actus ſpecie diſtincti.

SECTIO V.

Nonnulla difficultates expediũtur.

61 NOnnulla dubitari ſolent circa potentias ex ſuppoſitione, quòd diſtinguantur realiter ab anima, quæ breuiter attingemus in hac ſectione. Et quidem, ſi potentiæ realiter ab anima diſtinguerentur, forent accidentia ad ſecundam ſpeciem qualitatis, Potentiam videlicet, & Impotentiam pertinentia, vt colligitur ex dictis in Log. diſp. 18. à num. 21.

De cauſa efficiente, & paſsiua potentiarum.

62 EST tamen difficultas 1. quænam ſit cauſa efficiens, & paſsiua potentiarum? Circa quam certùm eſt 1. potentias non pendere ſe ipſis à ſuâ cauſâ; ſed per actionem ſuperadditam. Id probatur à paritate: quia proprietates inanimatorum non dependent ſe ipſis à ſuis cauſis; ſed per actiones ſuperadditas, vt conſtat in quantitate Euchariſtica, quæ ſine ſua cauſa naturali conſeruatur, quod fieri non poſſet, ſi ſe ipſâ dependeret à ſua cauſa naturali: ſed nullum eſt prædicatum in potẽtijs vitalibus, quæ proprietates ſunt animatorũ, ratione cuius debeant ſe ipſis dependere à ſua cauſa: ergo dependent per actionem ſuperadditam. Minor probatur: quia ſi aliquod eſſet, maximè ratio vitalitatis in ipſis exiſtens: atqui hæc non, quia vitalitas potentiæ conſiſtit in eo,

Digitized by Google

quòd 1 ſit comprincipium ex ſe conueniens vitæ ſubſtantiali in ordine ad operationes vitales vt tales: hoc autem inuenietur in potentia, etiãſi ſe ipſã nõ depẽdeat à ſua cauſa, vt cõſtat: ergo, &c. Idẽ argumẽtum poteſt fieri ad probãdum, potentias non vniri animæ ſe ipſis; ſed per vnionem ſuperadditam.

63 Certum eſt 2. potentias nõ produci per eandem actionem, per quã anima producitur. Tum quia nonnunquam producitur anima per creationem; potẽtiæ verò per eductionem: vt contingit in anima rationali, & ſuis potẽtijs, quia illa producitur per creationẽ; iſtæ verò per eductionem, quandoquidẽ in ipſa anima aliquæ earum recipiuntur. Tum etiã quia potentię, etiamſi materiales ſint, recipiũtur saltem inadæquatè in anima, vt dicemus infra: ergo non poſſunt produci per eandem actionẽ, per quã anima producitur. Patet conſequẽtia: quia productio potentiarũ debet recipi in eadem anima, in qua potentiæ recipiuntur; in eodem enim paſſo, in quo terminus actionis recipitur, recipitur ipſa actio, vt fatentur omnes: at productio animæ non poteſt recipi in ipſa anima, vt conſtat ex dictis in Phyſ. diſp. 15. ſect. 3. ergo nõ poteſt eadem eſſe productio animæ, & potentiarum.

64 Adde, quòd, licèt potentiæ non recipiantur in anima; tamẽ ad ſui productionẽ debent ſupponere ipſam iam productam. Priùs enim eſt, in ſententia omnium, ex parte materię receptio animę, quàm potentiarum: ergo nõ poſſunt produci per eandem actionem, alioqui eadem actio, prout eſt productio animæ, eſſet prior naturâ ſe ipſâ vt productione potentiarum, quod repugnat, vt conſtat ex dictis in Phyſ. diſ. 18. ſect. 3. His poſitis,

65 Dico 1. potentiæ efficienter oriuntur ab anima, non à generante. Id cõſtat ex dictis in Phyſ. diſp. 13. ſect. 2. & hîc diſp. 5. ſect. 1. Et quidem de potentijs materialibus eſt certum; quia aqua producit in ſe ſuas potentias, frigus videlicet, & humorem, vt dictum eſt ſuprà loco proxime citato (quod intelligendum eſt quoad gradus, qui non prærequiruntur ex parte materiæ vt diſpoſitiones ad recipiendam formam ſubſtantialem aquæ) ergo idem dicendum erit de potentijs materialibus animæ. Et ratio à priori eſt: quia æquam virtutẽ habet anima, ac generans, & eſt magis applicata: cur ergo nõ producet in ſe ſuas potentias? Secundò: quia generans, ſi ſit eiuſdẽ ſpeciei, non poteſt eas producere extra ſe, vt diximus ibidem: ergo eas producit anima, cuius ſunt propriæ. Idem dicito de potentijs ſpiritualibus, quia non eſt maior ratio harum, quàm illarum.

66 Obijcies: ſi anima eſſet effectiua ſuarum potentiarum, eas ſemel corruptas recuperaret ſemoto agente cõtrario: atqui nunquam eas recuperat, vt experientiã conſtat: ergo non habet virtutẽ effectiuã earũ. Reſpondetur, quòd, ſi potentiæ ſpirituales auferrentur animæ, & poſteà ipſa relinqueretur

Digitized by Google

ſuæ naturæ, illas ſine dubio recuperaret. Poteĩtiæ verò materiales duobus modis corrumpi poſſunt: primò ex corruptione organi requiſiti ad earũ conſeruationem, & tunc nõ poſſet eas animus recuperare, quia non poteſt organũ omnino corruptũ iterum producere, ſicut non poteſt brachiũ ſemel abſciſſum denuo acquirere. Secundo ex introductione alicuius contrariæ qualitatis deſtruentis diſpoſitionem requiſitã in organo ad potentiæ conſeruationẽ. In hoc ergo caſu, ſi, introductã eã qualitate, remaneret diſpoſitio ſufficiẽs, vt anima conſeruaretur in ea parte materiæ, poſſet ſuam potentiã recuperare; ſemoto agente cõtrario; ſecùs, ſi anima illi vnita non perſeuêraret, quia non poteſt potentias ſuas producere, niſi in ſubiecto, quod informat, vt de aqua dicebamus eã diſp. 5. ſect. 1.

67 Dico 2. potẽtiæ ſpirituales, vt ſunt intellectus, & voluntas, in ſola anima rationali recipiuntur; corporeæ verò in toto cõpoſito. Primũ conſtat: tum quia comitantur animã ſeparatã: tum etiã quia formæ ſpirituales nõ poſſunt ex natura rei dependere à ſubiecto corporeo; alioqui eſſent ex natura rei impenetrabiles remotè, ac percõſequens corporeæ: ergo ſubiectari debent in ſola anima ſpirituali. Quòd verò potentiæ materiales, ſeu corporeæ, ſubiectentur in toto cõpoſito, probatur fundamentis, quibus idem probauimus de ſenſationibus ſup. ſect. 2. vbi adduximus S. Tho. id aſſerentẽ de potentijs ſui.

Anima ſola eſt cauſa efficiens potentiarum.

68 SEcunda difficultas eſt: an omnes potentię vitales producantur immediatè ab anima ſola, vel an aliquæ medijs alijs producantur? Reſpondeo, omnes à ſola anima efficienter produci, quia ſola anima eſt ſufficiens cauſa ad illas producẽdas. Dices: actus intellectus requiritur ex parte animæ ad producendũ actum voluntatis: ergo & intellectus ad producendam voluntatẽ. Négo conſequentiam. Diſparitas eſt: quia intellectio eſt cõditio applicans obiectum voluntati, vt amorẽ circa illud eliciat, & ideo prærequiritur ad amorẽ; at verò intellectus nullo modo applicat obiectũ, vel quidquam aliud animæ, vt voluntatem eliciat. Vnde non eſt, cur dicatur eſſe conditio ad illam producendam. Neque poteſt eſſe cauſa; quia ſola anima ſufficit.

69 Dices: cur non poterit intellectus ſolus voluntatem producere? Reſpondeo, quia ex vna parte nobis conſtat, eſſentiam eſſe radicem ſuarum proprietatum, & ad eam pertinere illarum productionem; ex alia verò nullum adeſt fundamentum ad aſſerendum, intellectum habere virtutem proximam producendi adęquatè voluntatem: cur ergo illi tribuemus hanc virtutem, & auferemus animæ, cuius proprium eſt ſuas proprietates producere?

An potentiæ poſsint exiſtere ſine animâ?

70 TErtia difficultas eſt: an potentiæ poſsint exiſtere ſine animâ? Circa quam Dico 1. Potétiæ nõ poſſunt exiſtere naturaliter ſine animâ. Nullus eſt, qui de hoc dubitet. Probatur: quia vel deberent exiſtere eductę è ſubiecto non vitali, vel productæ per creationẽ. Non hoc vltimũ, quia creatio rei ex ſe educibilis neq; cadit ſub potentiam agentium naturalium, neque Dei vt authoris naturæ, vt cõcedunt omnes. Non primum; quia neq; vllũ eſt agens naturale, quod potentiam vitalem poſsit educere è ſubiecto non vitali, vt conſtat; neque Deus vt author naturæ id efficere poteſt: quia Deus vt author naturæ nihil producit, niſi vel ſecundùm exigentiam rerum productarum, vel ad exigẽtiam aliarũ rerum naturalium: ſed non eſt ſecundùm exigentiam potentiarum vitalium produci in ſubiecto non viuenti, vt conſtat; neque eſt quidquam aliud in ſerie rerum naturalium exigens talem productionẽ: ergo, &c.

71 Dico 2. Omnes potentiæ animæ tam ſpirituales, quàm materiales poſſunt ſupernaturaliter exiſtere ſine animâ. Ratio eſt: quia neque ſe ipſis pendent ab animâ; neque ſe ipſis illi vniuntur, vt diximus initio huius ſectionis: cur ergo non poterunt produci à Deo per creationem, ſicut producitur quantitas Euchariſtica? Sed rogas: an, potentijs omnibus miraculosè ab animâ ſeparatis, conſeruaretur ipſa anima ex natura rei, vel neceſſarium eſſet nouum miraculum ad eius conſeruationem?

72 Reſpõdeo ſub diſtinctione. Vel enim ſepararentur potentiæ, ita vt anima ex natura rei poſſet alias in ſe ipſa producere, aut ſeparatas ſibi adiungere; vel non. Si hoc vltimum? non poſſet ex natura rei conſeruari anima, quia ex natura rei eſſet inepta ad operandum, ac per conſequens ceſſaret finis conſeruationis illius. Si dicatur primum? poſſet conſeruari ex natura rei, etiamſi miraculosè impediretur, ne illas produceret: quia, cùm in eo caſu non eſſet ex natura rei inepta ad operandum, non ceſſaret finis conſeruationis eius; atque adeo, ſi quidquam aliud non adeſſet exigens eius deſtructionem, conſeruaretur ex natura rei. Vide, quæ diximus in Phyſ. diſp. 2. à num. 125.

An potentiæ vitales poſsint recipi in ſubiecto non viuente?

73 QVarta difficultas eſt: an potentiæ vitales poſsint ſupernaturaliter educi ex ſubiecto non viuente; vt, ex ligno, & lapide, ac illi vniri? Reſpondeo, id non implicare ex prædicato vitalitatis potentiarum: quia vitalitas potentiarum non conſiſtit in eo, quòd actu ſint in viuente; ſed quòd ex natura ſua petant in illo eſſe, vt comprincipia ad ope-

operationes vitales: atqui hoc haberent, etiamſi de facto eſſent in ſubiecto extraneo, vt conſtat: ergo non repugnat ratione vitalitatis potentiarum. An veró ex alio capite repugnet, něpe ex eo, quód non detur virtus natiua intrinſeca in ligno, & lapide ad illas recipiĕdas? pro neutra parte eſt aliquod, vel leue fundamentum.

74 Dices: ſi ſenſus, & appetitus vnirentur lapidi, conſtituerent illum ſenſitiuum, & appetitiuum: hoc autem repugnat: ergo & illud. Maior videtur certa: quia non poſſent non tribuere illi ſuum effectũ formalem, qui eſt conſtituere ſenſitiuum, & appetitiuum. Nego maiorem: neq; enim neceſſarium eſt, quôd forma tribuat ſubiecto, in quo eſt, omnes effectus formales, quos poteſt; ſed ſufficit, quod illi aliquem tribuat, vt diximus ſupra ſect. 2. ſenſus autem exiſtens in lapide illum conſtitueret habentem potentiam ſenſitiuam; non verò conſtitueret ſenſitiuum, quia lapis eſt incapax huius effectus.

An potentiæ materiales poſſint eſſe in ſubiecto ſpirituali?

75 QVinta difficultas eſt: an potentiæ materiales poſſint ſupernaturaliter recipi & vniri ſubiecto ſpirituali; &, è contrà potentiæ ſpirituales ſubiecto materiali? Reſpondeo, id non repugnare ex prædicato ſpiritalitatis, aut materialitatis: quia de ratione accidentis materialis non eſt, quód actu ſe ipſo recipiatur; ſed quód ex ſe petat recipi in ſubiecto materiali; &, de ratione accidentis ſpiritualis nő eſt, quód de facto ſe ipſo recipiatur; ſed quód ex ſe petat recipi in ſubiecto ſpiritali; hoc enim ſufficit, vt hoc ſit penetrabile; &, illud impenetrabile ex natura rei: atqui hoc non auferretur ex eo, quód de facto reciperĕtur in ſubiecto diuerſi ordinis, vt conſtat: ergo nulla ſequitur implicatio ratione ſpiritalitatis, aut materialitatis.

76 Vnio tamen, & receptio tam potentiæ materialis in ſubiecto ſpirituali, quàm potentiæ ſpiritualis in ſubiecto materiali, eſſet corporeæ: quia ad hoc, vt ſint impenetrabiles ex natura rei, ſufficit, quòd vnum ex extremis, quæ intrinſecè afficiunt, ſit corporeum, vt diximus ſupra ſect. 2. n. 3. An verò in ſubiecto materiali detur de facto virtus natiua intrinſeca ad recipiendam potentiam ſpiritualem; aut, è contra in ſubiecto ſpirituali ad recipiĕdam potentiã materialem? non eſt fundamentũ, vnde vna, vel altera pars contradictionis colligatur.

An potentiæ ſeparatæ ab anima, haberent perſeitatem poſitiuam?

77 SExta difficultas eſt: an potĕtiæ ab anima ſeparatæ, & nõ coniunctæ alteri ſubiecto haberent modum poſitiuum perſeitatis? Pro reſponſione noto, duplicem modum poſitiuum perſeitatis excogitari poſſe in potentijs

ſuperadditis: vnum oppoſitū eductioni, per quā ex natura rei conſtituuntur in ſubiecto receptionis: alterum oppoſitum vnioni, per quā conſtituuntur in ſubiecto informationis. Ad primum pertinet, rem producere independenter à ſubiecto recipiente, & ideo talis modus perſeitatis nihil aliud eſt, quā creatio. Ad ſecundum pertinet, facere rem incommunicabilē ſubiecto informationis, & ideo eſt quaſi complementum intrinſecum formæ ſeparatæ, per quod intrinſecè completur in ſuo eſſe pro eo ſtatu. Hoc poſito.

78 Certum eſt, potentias ſeparatas habituras fore primū modum perſeitatis, creationem videlicet: quia non poſſunt conſeruari ſeparatæ à ſubiecto, niſi per actionem independentem à ſubiecto: hæc autem eſt creatio: ergo, &c. Quod ad ſecundum modum perſeitatis attinet.

79 Dico 1. talis modus non repugnat potentijs ex prædicato accidentis. Ratio eſt: quia non eſt de eſſentia accidentis realis actu informare ſubiectum; ſed exigentia talis informationis: hæc autem non auferretur per modum illum perſeitatis: ergo nulla ſequeretur implicatio contra rationem accidentis ex eo, quòd talis modus de potētia Dei abſoluta (de hac enim loquimur in præſenti) daretur potentiæ ſeparatæ. Cōfirmatur: quia non minus opponitur eductioni creatio, quàm ſecundus ille modus perſeitatis opponitur informationi potentiæ, quam afficeret: ergo, ſicut per creationem non auffertur exigentia intrinſeca potentiæ ſeparatæ erga eductionem, vt concedunt omnes; ita neque per ſecūdum illum modum perſeitatis auferretur exigētia intrinſeca ipſius potentię erga vnionem, ſeu informationem.

80 Dices 1. modus ille perſeitatis eſſet accidens, cùm eſſet extra conceptum ſubſtantię: deinde non eſſet accidens, cùm non afficeret ſubſtantiam; ſed potentiam accidentalem: ergo implicat talis modus. Reſpondeo, fore accidens abſolutè; quia ad rationē accidentis nō requiritur, quòd ſit affectio ſubſtātiæ; ſed quòd ſit affectio alicuius taliter, vt non ſit de integritate ſubſtantiæ; hoc enim ſufficit, vt diſtinguatur à primo ente, in quo ratio ſubſtantiæ, prout opponitur accidenti, conſiſtit, vt diximus in Log. diſp. 16. ſect. 1. Et quidem ſi hoc argumentum vim haberet contra modum illud perſeitatis, vim etiam haberet contra creationem potentiæ ſeparatæ, quia talis creatio non afficit ſubſtantiā; ſed potentiam accidentalem.

81 Dices 2. omnis forma habet vt *quo* id, quod tribuit ſubiecto *vt quod*: ergo, cùm ille modus perſeitatis tribueret potentiæ eſſe incommunicabilē vt *quod* ſubiecto informationis, ipſe deberet eſſe incommunicabilis vt *quo* eidem ſubiecto informationis: at hoc eſt impoſſibile, cùm talis modus non poſſit ſuum eff. ctum formalē tribuere potentiæ, niſi illi cōmunicetur vt ſubiecto informationis: ergo

go eſt impoſsibilis talis modus. Reſpondeo,formam habere vt *quo* effectum illum, quem ſubiecto tribuit vt *quod*; nō aliumımodus autē perſeitatis non tribueret potentię ſeparatæ hoc,quod eſt eſſe incommunicabilem illi (id enim potentiæ conuenit ratione propriæ entitatis) ſed ſubiecto extraneo. Vnde ipſe modus perſeitatis non deberet eſſe incommunicabilis vt *quo* ipſi potentiæ;ſed ſubiecto extraneo. Quod quidem haberet, quia,eo ipſo quód ſepararet potētiam à ſubiecto extraneo, ipſe etiā ſeparatus eſſet ab eodem.

82 Dico 2.magis violentū eſſet potentiæ ſeparatæ habere modum illum poſitiuū perſeitatis, quàm illo carere. Ratio eſt clara : quia modus iſte poſitiuus eſt cōtra naturalē inclinationē potentiæ ſeparatæ; opponitur enim vnioni, in quā ipſa adhuc producta per creationē inclinatur ex natura rei:ergo magis violentū eſt illi talē modum habere,quàm illo carere. Dices: magis connaturale eſt animo rationali ſeparato,habere modū poſitiuū perſeitatis oppoſitū vnioni, in quā inclinatur ex natura rei,quā illo carere:ergo magis cōnaturale erit potētię ſeparatę habere modū illū poſitiuū perſeitatis(etiāſi opponatur vnioni , in quā inclinatur ex natura rei)quàm illo carere.

83 Nego conſequentiā. Diſparitas eſt : quia modus perſeitatis animæ datur ipſi, vt loco vnionis cōpleat illā in ordine ad eliciēdas operationes,quas ex natura rei elicit in ſtatu ſeparationis, vt diximus diſp. vit. & ideo talis modus debet eſſe connaturalis animæ in eo ſtatu: at modus perſeitatis potentiæ ſeparatæ non poſſet illi deſeruire ad eliciendas operationes vitales,ad quas ipſa potentia ordinatur ex natura rei; quin potiùs impedimento illi eſſet ad eas eliciendas: quia nō poteſt eas elicere,niſi in cōſortio animæ, vt diximus ſupra ſect. 1. atqui non poteſt eas elicere in conſortio animę,niſi illi vnita ſit;quia,cùm vtraq; operetur vt principium vitale, debet operari per actionē immanentem per ſe; non eſſet autem actio immanens per ſe,niſi ambæ eſſent vnitę, vt hac ratione, vel maneret actio in vtraque,vel ſi in vna ſolùm,ſaltē maneret in eodē cōpoſito cū alia. Hinc fit,illū modū perſeitatis eſſe omnino repugnantē potētiæ ex natura rei, vtpotè qui impedit poſitiuē cōnaturalē ſtatū illius,& operationes,ad quas ex ſe ordinatur.

DISPVTATIO VII.

De Speciebus intentionalibus.

1 ANtequam ad potentias animæ in particulari deſcendamus,oportet agere de ſpeciebus intentionalibus impreſsis: tū quia potētijs cognoſcitiuis generaliter deſeruiūt ad proprias operationes eliciēdas:tū etiā quia notitia harū ſpecierū nō parū conducit ad ea, quæ de ſingulis potentijs dicenda ſunt. Species intentionalis dicitur ab animaſticis quędā qualitas,quę

potentijs cognoſcitiuis obiectum repugnat. Dicitur autem intétionalis ſumpta denominatione ab ipſis potentijs cognoſcitiuis, quæ per proprios actus intendere, ſeu attendere dicuntur ad obiecta.

2 Porrò repræſentatio hæc intentionalis eſt duplex. Alia eſt actualis, quæ repræſentat obiectum per modum actus illud exprimentis, ſeu declarātis potentiæ: de hac agemus infra. Alia eſt virtualis, ſeu habitualis, quæ potentiā complet in ordine ad producendā actualē. Hæc dicitur species, ſeu repræſentatio impreſſa, quia potētiæ imprimitur ab obiecto: & eſt propria materia huius diſputationis, in qua ea ſolùm diſcutiemus, quæ cōmunia ſunt ſpeciebus omniū potentiarū, acturi poſtea, dum ſingulas potentias ſeorſim explicemus, de ijs, quæ propria ſunt ſingularum.

SECTIO I.

De exiſtentia, & natura ſpecierū impreſſarum.

3 MVlti ſunt, qui ſpecies impreſſas omnino negant. Alij, qui in omnibus potentijs cognoſcitiuis eas abſolutè cōcedunt. Alij eas tribuunt potentijs ſpiritualibus; non verò materialibus. Alij denique è contrà, materialibus; non verò ſpiritualibus. Non immorabor in his ſententijs refutā dis; quia ex ijs, quę dicemus, manifeſtum fiet, quid contineant veritatis. Videantur PP. Cōnim. hîc cap. 6. quæſt. 2. & P. Tolet. quæſt. 33.

4 Conſtat ergo experientiā, dari huiuſmodi ſpecies. Primò: quia, ſi inter obiectum, & potentiā viſiuam interponatur corpus aliquod opacū, non videtur obiectū: quod aliūde prouenire nequit, niſi ex eo, quod illud obiectū producebat aliquid per mediū in potentia, quo iuuabatur ipſa potētia ad eliciendam viſionē, poſtea verò illud non producit propter obſtaculum interiectū. Secundò: quia obiectū meliùs videtur ad minorē diſtantiam, quàm ad maiorē; imò & aliquando propter nimiā diſtantiam nō videtur: ergo ex eo eſt, quia obiectum aliquid producit, quo iuuatur potentia ad eliciendā viſionē, quod quidē non poteſt producere, niſi ipſa potentia intra propriam ſphærā contineatur; nam aliàs non eſſet, cur diſtātia, aut propinquitas obiecti cōduceret ad eliciendam, vel non eliciendam viſionem.

4 Tertiò probatur experiētiā ſpeculi, in quo videmus obiecta à tergo exiſtentia, quod fieri nō poſſet, ni obiecta aliquam ſpeciem ſui producerent in ſpeculo, qua reflectente vſque ad potentiam viſiuā iuuetur ipſa potentia viſiua ad eliciendā viſionē obiecti. Quarta probatio ſumitur ex perſpicilijs, quibus augentur vires potētiæ debilis, vt ea, quæ nullatenus, aut imperfectè, & cōfuſe ſine illis videt, perfectè, & diſtinctè medijs illis concipiat: niſi enim per cōſpicilia traijceretur ſpecies ab obiecto producta, quæ in illis ratione denſitatis, aut alterius diſpoſitionis vires acciperet ad producēdā in potētia viſiua

aliam

aliã ſibi ſimilem intenſiorẽ, quam alioqui produceret, ſi in aere raro recepta eſſet, certè non eſſet, cur perfectiùs perciperetur obiectum per conſpicilia, quàm ſine illis. Dicamus ergo, dari ſpecies ab obiecto productas.

6 Dices 1. lucem exiſtentem in medio, & in potentia viſiua cõcurrere cum ipſa potentia ad eliciendam viſionem obiecti diſtantis, atque adeo non eſſe neceſſarias ſpecies. Sed contrà 1. nocturno tempore per medium tenebroſum videmus lumen maximè diſtans: ergo ſaltem in hoc caſu non poteſt lux medij, cùm nulla ſit, cõcurrere cum potentia ad videndũ illud obiectum. Secundò: exiſtentes in angulo cubiculi videmus lucem à Sole productam in cubiculo per feneſtram, & tamen non videmus ipſum Solem: ergo lux medij non poteſt eſſe ratio videndi obiectũ diſtans; alioqui, viſâ luce diffuſâ per totum cubiculum vſque ad potentiam, non poſſet non videri Sol, à quo procedit.

7 Dices 2. potentia viſiua eſt talis naturæ, quæ, ſi nullũ corpus opacum interiectũ ſit neque obiectum maximè diſtãs, illud videat, & ideo remotio corporis interiecti, & approximatio obiecti non requiruntur ex eo, quòd producẽdæ ſint ſpecies in potẽtia; ſed quia ſunt conditiones neceſſariæ, vt potentia viſiua eliciat viſionem. In primis boni philoſophi non eſt, ea, quæ experimur, in occultas rerum naturas referre, quando aliàs ratio facilis, & expedita poteſt aſſignari. Quod quidem in præſenti fiet, ſi ponamus ſpecies ab obiecto productas. Secundò: ſi approximatio obiecti, aut remotio corporis interiecti non cõducerent ad ſpecies producẽdas in potẽtia, certè neceſſariæ non eſſent ad eliciendã cognitionem: quia poſtquam ſemel habuimus notitiam alicuius obiecti, poſtea recordamur illius abſentis; imo & iam corrupti: ergo approximatio obiecti non requiritur ſolùm vt conditio ad eliciendam cognitionem; ſed requiritur ad producendam ſpeciem, quæ & tunc determinet ad producendam primam cognitionem, & poſtea perſeuerans in memoria adiuuet ad recordationem. Hæc de exiſtentia ſpecierum.

Species non ſunt eiuſdem naturæ cum obiectis.

8 MAior difficultas eſt circa earum naturam. Pro cuius explicatione obſeruo 1. ſpecies non eſſe eiuſdem ſpeciei, & naturæ cum ſuis obiectis. Id eſt contra Durand. in 2. diſt. 3. q 6. n. 11. & Valles. lib. 2. Cõtrou. c. 28. qui aſſerunt, ſpecies ſenſuum externorum eſſe eiuſdem ſpeciei cũ ſuis obiectis. Probatur ergo noſtrum aſſertum 1. quia ſpecies albedinis repræſentat nobis albedinẽ; ſecus alia albedo; neque enim per albedinẽ huius parietis quantumuis approximatã potẽtiæ cognoſcimus albedinem illius, vt experientiâ conſtat: ergo ſpecies albedinis non eſt eiuſdem ſpeciei cum albedine. Secũdò: quia albedo,

do, & ingredo ſunt contrariæ, vt omnes concedunt; ſecus ſpecies illarum, quia in eodẽ medio ſunt ſimul defacto ſpecies albedinis, & nigredinis in gradibus intenſis; contraria verô non poſſunt eſſe ſimul ſecundùm gradus intenſos in eodem ſubiecto: ergo, &c.

9 Tertio; quia ſpecies producuntur in aere, in quo produci nõ poſſunt albedo, & nigredo: ergo non ſunt eiuſdem rationis cũ ſuis obiectis. Antecedẽs quoad primã partem conceditur ab omnibus. Quoad ſecundã verò côſtat experientiâ. Et ratio eſt: quia albedo, & nigredo ſunt qualitates ſecũdæ reſultantes ex certo temperamento primarũ, quod quidem non inuenitur in aere, & propterea nõ producũtur in illo. Quarto: quia ſpecies hominis eſſet eſſentialiter homo, & ſpecies lapidis eſſentialiter lapis: atq; adeo in intellectu noſtro, & in intellectu Angeli eſſent ſimul de facto omnia ea corpora, quorũ ſpecies in eis ſimul adſeruãtur: hoc autem quis nõ rideat, & irrideat?

10 Obijcies: ſpecies coloris videtur ſicut ipſe color (& idẽ eſt de reliquis ſpeciebus) ergo eſt eiuſdẽ ſpeciei cum colore. Conſequẽtia videtur bona. Antecedens autem probatur ex triplici experientia. Prima eſt: quia in ſpeculo è regione poſito video me ipſum; & tamẽ ego non ſum in ſpeculo; ſed ſolùm mea ſpecies: ergo ſpecies mea videtur. Secunda, quando lux per vitrũ, ſeu vitrũ rubrũ tranſmittitur in oppoſitũ parietẽ, ipſe paries apparet ruber: atqui in pariete nil aliud datur, ratione cuius videri poſsit ruber, niſi ſpecies ruboris: ergo eę vidẽtur in pariete. Tertia, quãdo in obſcurũ cubiculũ ingrediuntur radij Solares per vitrũ certo quodãmodo diſpoſitũ, per quod ingrediuntur etiã ſpecies auiũ, hominũ, & aliorũ, quæ è loco, vbi vitrũ eſt, videri poſſunt; ſi radius per vitrũ ingrediens in papyro aliqua excipiatur, ea omnia quorum ſpecies in cubiculũ ingrediuntur, vidẽtur in papyro, ac ſi reuera in illa exiſterent: atqui nil eſt in papyro, ratione cuius videri poſsint, niſi ſpecies: ergo videntur eorũ ſpecies. Ex quo rectè videtur colligi ſpecies eſſe eiuſdem rationis cum colore, quem repræſentant.

11 Ad obiectionẽ nego primũ antecedens. Ad probationẽ ſumptã ab experientia ſpeculi reſpõdeo, me ibi nõ videre ſpeciẽ mei; ſed me ipſum ſolùm; quia licet ibi non exiſtã, mitto tamẽ ſpeciẽ mei ad ſpeculũ, quæ inde reflectens ad viſum me repræſentat, ac ſi in ſpeculo exiſterẽ; quia eius eſt naturæ ſpecies, quæ in ea parte repræſentet obiectũ, à qua produci incipit, vel reflecti. Hæc ſolutio maxime cõfirmatur 1. ex eo, quód ſi ſpeculũ ſit perfectè diaphanũ non repræſentatur obiectũ in eius ſuperficie; ſed intra ipſum in ea diſtãtia, qua obiectũ diſtat ab illo; ſi autem videretur ſpecies, videretur quidẽ in ſuperficie ſpeculi, in qua recipitur, & non vltra ipſum. Secundó: ſi ſpecies in ſpeculo videretur, quãdo ſpeculũ eſſet paruũ, parua quidẽ ſpecies videretur (quantũuis

Digitized by Google

uis magnū eſſet obiectū à quo procedit) quandoquidē ſpecies maior eſſe non poteſt, quā ſpeculum, in quo recipitur: atqui contrariū cōſtat experientiâ, qua nouimus, quòd, ſi magnū ſit obiectū, magnū quidē repræſentatur intra ſpeculū; vel ſaltē non adeo paruū, ac ipſum ſpeculū: ergo obiectū ipſū videtur in ſpeculo, & nō ei' ſpecies.

12 Idē dicito ad alias duas experientias: ex eo enim videtur rubor in pariete illuminato per vitrū rubrū; & aues, ac colores in papyro, in qua excipitur radius per vitrū ingrediens, quia ab eis incipit reflexio specierū repræſentantiū ea obiecta. Apparent veró prædicta obiecta in ſuperficie corporis, à quo reflectuntur ſpecies, & non intra illud; quia reflexio in diuerſis corporibus fit diuerſo modo, iuxta, diuerſam diſpoſitionē illorū. Vnde ſicut in nōnullis ſpeculis ob certā eorū diſpoſitionē ita reflectūtur ſpecies, vt appareat obiectū latius, longius, aut breuius, quàm in ſe eſt, ſic etiā in pariete, & papyro propter peculiarē eorū diſpoſitionem fit taliter reflexio ſpecierum, vt diſtantia obiecti nō adeo perfectè repræſentetur, ac in ſpeculo.

13 Dices: quando obiectū videtur per reflexionem, ſolū videtur per lineā oppoſitā illi, per quā obiectū directè producit ſpeciē ſui in obſiſtens, vt experimur in ſpeculo: ſed in prædictis caſibus rubor videtur in pariete, & aues, aut colores in papyro per quācūque lineā, & ex quauis parte cubiculi: ergo tunc nō vidētur obiecta per reflexionē ſpecierū; ſed ipſæ ſpecies in obſiſtente receptæ. Sed contrà: ſimile argumentū poteſt fieri contra tuā ſententiā: nā ideo dicis videri ſpeciē in charta, & in pariete, quia ex quacūq; parte cubiculi videtur obiectum, ac ſi ibi exiſteret: ſed per te in ſpeculo etiā vidētur ſpecies: ergo ex quacumque parte apparere debet obiectum, quaſi exiſtens in ſpeculo.

14 Reſpondebis forſam, id referendū eſſe in diuerſam diſpoſitionem obſiſtentis, ex qua oritur, & quòd ſpecies exiſtēs in ſpeculo nō poſsit ſpeciem ſui producere, niſi per vnā lineā, & quòd ſpecies in pariete, aut papyro exiſtens poſsit ſpeciē ſui per totā circūferentiam producere. Lubens admito hāc ſolutionē; ſed eādē adhibeo tuæ obiectioni. Dico ergo, reflexionē ſpecierū fieri in pariete, & papyro diuerſo modo, ac in ſpeculo propter diuerſam horū corporū diſpoſitionē: diſpoſitio enim parietis eſt talis, quæ, ſi recipiat ſpecies á colore vndiq; penetrato luce, vt cōtingit in caſu poſito, eas reflectat verſus omnē partē: diſpoſitio verò ſpeculi eſt talis, quæ determinata ſit ad reflexionē ſpecierū cauſandā per lineā tantùm oppoſitā illi, per quam directè fuerunt productæ ab obiecto. Iam, quod diſpoſitio corporis recipientis ſpecies, conducat, vt hoc, aut illo modo; vel per hanc, aut illam lineam reflectantur, eſt certū experientiâ, qua nouimus, in diuerſis ſpeculis diuerſo modo videri idem obiectū, quod

aliud

a iunde prouenire nequit, niſi ex eo, quod ex diuerſa diſpoſitione determinātur ad cauſādas ſpecies in potentia per diuerſas lineas.

Species ſunt ſimiles ſuis obiectis.

25 Obſeruo 2. ſpecies eſſe ſimiles ſuis obiectis. Id eſt apud omnes philoſophos receptum, & deſumptum eſt ex Ariſt. lib. de Memor. c. 1. vbi agens de ſpecie ſenſibili, & intelligibili eā appellat imaginem, ſimilitudinē, & picturam veluti delineatam in tabula: & lib. 3 de Anim. tex. 8. & 38. vbi docet, ſenſum, & intellectum debere fieri obiecta in potentiā, vt horum cognitionem eliciant; ita tamen vt nō debeant fieri obiecta ratione identitatis naturæ ſpecificæ; ſed ratione formarum, hoc eſt, ſpecierum, quæ propter ſimilitudinem, quam cum obiectis habent, dicuntur eſſe ipſa obiecta. Et propterea lib. 2. text. 121. dixit, *ſenſum eſſe ſuſceptiuum formarum ſine materia*, hoc eſt (vt explicat D. Tho. in eum tex. lect. 24. & communiter interpretes) eſſe ſuſceptiuum obiectorum, non ſuſcipiendo entitates phyſicas eorum; ſed ſolùm ſpecies impreſſas, quę ſunt ipſorum ſimilitudines. Id, quod explicat exemplo ſatis idoneo deſumpto ex cera, quæ ab annulo aureo ſuſcipit figuram in ipſo expreſſam, non ſuſceptā materiā aureā. Sic etiam ſenſus dicitur recipere obiecta ſenſibilia, quia ab illis recipit ſpecies, quæ ſunt ſimilitudines intentionales eorum, licet ipſorum naturam phyſicè nō participent. Auguſtinus etiā libr. de Geneſi ad litt. cap. 23. ſpecies vocat ſimilitudines in memoria reconditas, & idem docet lib. 15. de Trinit. cap. 12. ad finē, & cap. 27. in fine.

16 Hinc fit, ſpecies eſſe ſimilitudines formales obiectorum, quia ſimilitudo formalis obiecti eſt illa, per quam proprium ipſius ſubiectum fit ſimile obiecto: ſed per ſpeciem fit potentia cognoſcitiua ſimilis obiecto, vt probatum eſt ex Ariſt. & S. Auguſt. ergo eſt ſimilitudo formalis obiecti. Id docet S. Thom. 1. p. q. 12. art. 2. Et hinc ortum habuit proloquium apud Peripateticos commune, quod antea ſatis celebre fuerat apud philoſophos antiquos; *Nihil cognoſcitur niſi à ſimili*: hoc eſt, à potentia præexiſtente cum ſpecie illam reddēte ſimilem obiecto. Quam doctrinam ſatis illuſtrauit Ægidius de Præſent. in ſuo opere de Beatitud. lib. 8. p. 1. quæſt. 2. art. vnico § 2. & 3. vbi plures adducit pro hac ſententia.

Species impreſſæ ſunt repræſentationes formales obiectorum.

17 Obſeruo 3. ſpecies eſſe repræſentationes formales ſuorum obiectorū. Ita PP. Conn. 3. de Anim. c. 8. q. 4. art. 1. ad 1. & 2. & Ægid. de Præſent. ſupra q. 4. art. 3. § 5. num. 20. vbi plures adducit. Quod ſint repræſentationes, facilè probatur: quia ſpecies, vt

vt dictũ eſt, ſunt ſimilitudines obiectorum: non per identitatem ſpecificam; quia hæc non datur inter ſpeciem, & obiectum, vt probatũ eſt: ergo per repræſentationem; quia, videlicet, obiectum repræſentãt. Patet conſequentia: quia non poteſt alia ſimilitudo excogitari in ſpecie reſpectu obiecti. Quòd vero ſint repræſentationes formales obiectorum, probatur: quia eo modo repræſentant obiectum potentiæ, quo iſtam reddunt ſimilem obiecto: ſed reddunt illam ſimilẽ per informationem, vt dicebamus num. præced. ergo & illi repræſentant obiectum per informationẽ: ergo ſunt repræſentationes formamales obiecti. Patet hæc vltima conſequentia: quia ea dicitur repræſentatio formalis, quæ formaliter repræſentat obiectum: ea autem repræſentat formaliter obiectum, quæ repræſentat vt forma per ſui informationem.

18 Dices: Si ſpecies eſſet formalis repræſentatio obiecti, redderet potentiam formaliter conformem ſuo obiecto: ergo redderet illam formaliter cognoſcentem. Patet conſequentia: quia eſſe potentiam formaliter cognoſcentẽ nihil aliud eſt, quàm eſſe formaliter conformem ſuo obiecto. Secundò per ſpeciem ſufficienter proponeretur obiectum voluntati: ergo, poſitã ſpecie impreſſã, non eſſet neceſſaria cognitio obiecti, vt voluntas ferretur in ipſum obiectum: hoc autem dici nequit: ergo &c. Ad primum diſtinguo antecedens: redderet potentiam formaliter conformem obiecto habitualiter, ſeu per modum habitus, cõcedo: actualiter, ſeu per modum actus, nego antecedens. Et deinde nego conſequẽtiam: quia eſſe potentiam formaliter cognoſcentem, non eſt habere obiectum vtcumque formaliter repræſentatũ; ſed ita, vt ſit formaliter repræſentatum per actum, qui dicitur expreſsio obiecti.

19 Id explicari poteſt exemplo ab omnibus recepto: in intellectu enim datur habitus ſciẽtiæ, ſeu, quod idem eſt, ſcientia habitualis; &, actus ſcientiæ, ſeu, quod idem eſt, ſcientia actualis, & per vtrumque redditur intellectus formaliter ſciens, vt admittunt omnes; cum hoc tamen diſcrimine, quòd per ſcientiam habitualem redditur formaliter ſciens tanquã per habitum; per ſcientiam verò actualem tanquam per actum exprimentem, ſeu declarãtem obiectum ipſi intellectui. Vnde oritur aliud diſcrimen, quòd, qui ſolùm habet habitum ſcientiæ, non dicitur habere actu notitiam expreſſam, aut explicationem obiecti, neque formaliter actu dirigi ad amandũ, ſeu opus aliquod exercendum; ſecus, qui habet actum ſcientiæ. Idem ergo dicendum eſt de ſpecie impreſſa, & de cognitione actuali: vtraq; enim repræſentat formaliter obiectum: illa tamen ſolùm per modum habitus determinantis potẽtiam ad actualem expreſsionem obiecti, & ideo dicitur imago habitualis, & impreſſa; hæc vero per modum actus

ex-

exprimentis, & declarantis obie-ctum potētiæ, & ideo dicitur imago actualis, & expreſſa obiecti. Vnde illa non ſufficit, vt vel potētia reddatur cognoſcens, vel obiectum ſufficienter propoſitum voluntati ad eliciendum amorem; ſecus hæc; quia, cùm volūtas ſit potentia ſibi non exprimens obiectū per proprium actum; eſt neceſſarium, quod illi explicetur, & declaretur obiectum per aliquid aliud: cum autem obiectum non exprimatur per ſpeciem, ſed per actum intellectus, non ſufficit ad amorē quod obiectum repreſentetur per ſpē impreſſam; ſed eſt neceſſarius actus intellectus. Secus res ſe habent in intellectu, quia, cum is per ſuum actum ſibi exprimat obiectum, non indiget aliâ repræſentatione antecedente præter illam, quæ fit per ſpeciem impreſſam. Ex his conſtat ad ſecundum adductū in obiectione.

20 Sed rogas: qua ratione poteſt dici obiectum repræſentari formaliter potentiæ per ſpeciem tamquam per habitum? Facilè me expediam exemplo ſcientiæ: nam qui habet habitū ſcientiæ, dicitur eſſe formaliter ſciens; non alia de cauſa, niſi quia habet qualitatem, quæ potētiam intellectiuam reddit facilem ad eliciendam actualē notitiā obiecti. Idem dico in noſtro caſu, nempe ſpeciem impreſſam per modum habitus repræſentare formaliter obiectum potentiæ: quia ita illam informat, vt eā determinet ad actualem cognitionem obiecti.

Nonnulla conſectaria.

21 EX dictis fit 1. ſpecies impreſſas non eſſe ſubſtācias; ſed accidētia: quia id, quod ex natura rei aduenit ſubſtantiæ iam completæ in ſuo eſſe ſubſtantiali tanquam forma illius, non poteſt eſſe ſubſtantia: ſed ſpecies adueniunt viuenti iam completo in ſuo eſſe ſubſtātiali tanquam formæ illius: ergo non ſunt ſubſtantiæ. Maior probatur: quia antequàm mihi adueniat ſpecies albedinis, ſum completus in eſſe ſubſtantiæ: quis hoc dubitet? Fit 2. ſpecies pertinere ad prædicamētum qualitatis, non ad quantitatem; alioquin ſubiectari nō poſſent in potētia cognoſcitiua habēte quantitatem; quia forma debet penetrari cū ſuo ſubiecto, & vna quantitas non poteſt penetrari cū alia: deinde nō poſſunt pertinere ad aliud ex prædicamentis accidentium: ergo pertinent ad qualitatem.

22 Fit 3. ſpecies ſenſibiles eſſe corporeas; intelligibiles verò ſpirituales. Ratio eſt: quia ſpecies ſenſibiles ex natura ſua afficiunt animam prout exiſtentem in corpore; intelligibiles verò animam ſecundùm ſe, & propterea hæ perſeuerant in anima ſeparata à corpore; ſecus illæ: ergo illæ ſunt ex natura ſua impenetrabiles, & hæ penetrabiles: ac per conſequens illæ corporeæ, & hæ ſpirituales. Ex hucuſque dictis ſatis conſtat, quid ſint ſpecies intētionales impreſſæ; ſunt enim qualitates impreſſæ debitæ potētiæ cognoſcitiuæ,

æ, vt illi repræſentent formaliter obiectũ tanquã habitus determinã s ad ipſius obiecti cognitionẽ.

SECTIO II.

Qua ratione concurrant ſpecies impreſſæ ad cognitionem?

EX dictis ſect. præced. conſtat, ſpecies intentionales neceſſarias eſſe in potẽtia cognoſcitiua ad eliciendam cognitionem. Explicandum reſtat, quẽ habeant concurſum in ipſam cognitionẽ. Et prima ſentẽtia, quæ valde cõmunis eſt inter Philoſophos & Theologos, affirmat, ſpeciem actiuè concurrere ad cognitionem. Ita P. Fonſec. 1. Metap. cap. 2. quæſt. 3. ſect. 6. §. *Præterea formis.* P. Molina. 1. p. q. 12. art. 1. d. 3. P. Vazq. ibidem diſp. 48. c 4. P. Suar. lib. 2. de Attrib. Negat. c. 13. PP. Connimb. 2. de Anim. c. 6. q. 2. art. 3. vbi adducunt S. Thom. 1. p. q. 56. art. 1. & alibi pluries, Ægidius de Præſent. ſup. q. 3. art. 4. §. 2. vbi plures adducit pro hac ſententia. P. Hurt. hìc diſput. 12. ſect. 4. & P. Arriag. diſp. 4. ſect. 3. ſubſ. 6. Hi tamen authores non defendunt eodem modo hanc ſententiam. Nonnulli enim, vt aſſeris Ægid. art. 5. §. 1. dicunt, eam eſſe cauſam efficientem adæquatam, quia putant, intellectum non concurrere immediatè ad intellectionẽ. Sed horum placitum ſatis impugnatum eſt diſput. præced. vbi probauimus, animam immediatè concurrere ad operationes vitales. Reliqui verò docent, ſpeciem eſſe cauſam phyſicam inadæquatam concurrentem immediatè ſimul cum potentia cognoſcitiua ad eliciendam cognitionem.

24 Plerique ex his authoribus ex eo probant hanc ſententiã, quia in cognitione huius obiecti dantur duæ formalitates, nẽpe, & quòd ſit cognitio, & quòd ſit talis obiecti. Prima reſpõdet potẽtiæ, quia hæc ex ſe eſt determinata ad producendam cognitionem: ſecunda non poteſt reſpondere potentiæ; cum ex ſe ſit indifferens ad cognitionem huius, vel illius obiecti: ergo debet aſsignari alia concauſa ſe habens ex parte talis obiecti, cui talis formalitas reſpondeat: hæc concauſa non poteſt eſſe alia, niſi ſpecies: ergo immediatè concurrit ad producendam cognitionem.

25 Hæc ratio eſt inefficax: quia non magis indifferens eſt intellectus ex natura ſua ad cognitionẽ huius, vel illius obiecti, quã volũtas ad amorẽ huius, vel illius obiecti: ſed voluntas non determinatur ad amorẽ huius per aliud cõprincipiũ immediatè cũ illa concurrens; ſed ſolũ per cognitionẽ vt conditionem applicantẽ illi obiectum, vt concedunt aduerſarij: ergo neq; intellectus, vt determinetur ad huius obiecti cognitionẽ, indiget cõprincipio cũ illo immediatè concurrẽte; ſed ſolùm conditione aliqua illi applicante hoc obiectum. Conſi matur: quia agentia phyſica ex ſe indifferentia ad agendum in hoc, vel illo paſſo determinantur ad hoc po-

potiùs, quàm ad illud per ſolam applicationem phyſicam: ergo agentia intentionalia ex ſe indifferentia ad hoc, vel illud obiectū determinabuntur etiam ad hoc per ſolam applicationem intentionalem.

26 Alij probant prædictam ſententiam: quia cognitio eſt imago formalis, & expreſſa obiecti: ergo debet oriri efficienter ab ipſo obiecto: non immediatè, quia ſæpe eſt diſtans: ergo mediâ ſpecie impreſſâ productâ in potentia ab ipſo obiecto, vt vices illius ſubeat. Maior admittitur communiter à Philoſophis, & Theologis; ſubſcribentibus iſtis Auguſtino, Thomæ, Anſelmo, & alijs Patribus paſsim aſſerentibus, cognitionem eſſe imaginem obiecti; illis verò Ariſtotele idem aſſerenti pluribus in locis. Conſequentia conſtat ex definitione imaginis ab omnibus receptâ, quæ eſt: *Similitudo ad repræſentandum expreſſa ab eo, quod per illam repræſentatur*: & eſt deſumpta ex Auguſtino lib. de Geneſ. ad litt. cap. 16. & lib. 83. quæſt. quæſt. 24. & ex D. Thom. 1. p. q. 35. art. 1. vbi ait: *ſed neque ipſa ſimilitudo ſpeciei ſufficit, vel figura; ſed requiritur ad rationē imaginis origo, quia, vt Auguſt. docet in lib. 83. quæſt. vnum ouum non eſt imago alterius, quia non eſt de illo expreſſum.*

27 Pater Arriaga ſupra ſubſect. 5. putat, authores huius rationis manifeſtè petere principiū: quia non eſt, vnde probare poſsint, cognitionem eſſe imaginem obiecti, niſi; quia eſt repræſentatio expreſſa ab ipſo obiecto: deinde probāt exprimi ab obiecto, quia eſt imago illius: ergo committunt circulum vitioſum, & petunt manifeſtè principium in ea probatione. Cæterum iſti authores non probant, cognitionem eſſe imaginem obiecti ex eo, quod oriatur ab ipſo obiecto; ſed id ſupponunt tanquam certum apud omnes Philoſophos, & Theologos, qui vbicūque agunt de intellectione, eam vocant imaginem obiecti. Hoc vero ſuppoſito probant, exprimendam eſſe ab obiecto, quia imago exprimi debet ab eo, cuius eſt imago. Male ergo imponitur illis petitio principij, aut vitioſus circulus in ea probatione.

28 Ex alio tamen capite videtur mihi ea ratio non conuincere id, quod intendunt iſti authores, nempe ſpeciem phyſice concurrere ad immediate eliciendam cognitionem. Moueor: quia ad rationem imaginis nō requiritur, quod phyſicè, & immediate procedat ab eo, cuius eſt imago; ſed ſufficit, quod ab eo procedat tanquam à dirigente, ſeu determinante cauſam immediatam illius. Id conſtat apertè in imagine artificiali, ad cuius expreſsionem non aliter cōcurrit obiectum, niſi mediâ cognitione ſui exiſtente in intellectu artificis: hæc autem cognitio non concurrit phyſice ad imaginem pingendam; ſed moraliter tantū, proponendo ſcilicet artifici modum, quo imago depingenda ſit: ergo, licet cognitio non oriatur im-

immediatè ab ſpecie tanquam à cauſâ phyſice influēte; ſed ſolum tanquā à forma applicante obiectum, & determinante potentiam ad ipſam eliciēdam, habebit omnia requiſita ad rationē imaginis.

29 Confirmatur: quia habitus acquiſitus non aliter concurrit ad actionē, niſi quatenus reddit facilem potentiam ad illius productionem, vt dicemus infra; & nihilominus tribuitur illi actus tāquam efficienti: ergo, licet ſpecies vice obiecti nō aliter adproductionem concurrat, niſi applicando obiectum, & determinando potētiam ad eam eliciendam, tribui poterit cognitio ipſi ſpeciei, & obiecto tanquam efficienti: ergo id ſufficit, vt cognitio dicatur exprimi ab obiecto.

30 Pater Arriaga aliter probat ſuam ſententiam: quia, videlicet, cū cognitio ſit repręſentatio, & ſpeculatio formalitatum obiecti, debet oriri à cauſâ in ſe continente omnes eius formalitates: ſed potētia cognoſcitiua nō continet in ſe omnes formalitates obiecti, quia intellectus non continet primas qualitates, colores, elementa, &c.: ergo adiuuari debet ab alia cauſa, in quâ tanquam in ſemine contineantur hę formalitates: hæc eſt ſpecies: ergo ea concurrit phyſice ad cognitionē. Nō multum fidit huic rationi P. Arriaga; nec immeritò: quia cauſa cognitionis vel debet continere phyſice formalitates obiecti, vel intentionaliter ſolum. Si phyſicè? non ſufficit ſpecies cum intellectu ad cauſandam cognitionem, quia nulla ex illis continet phyſice formalitates obiecti: ſi intētionaliter? eſt dicere, cauſam cognitionis eſſe ſimilitudinē, ſeu repræſentationem obiecti (neque enim aliud eſſe poteſt continere intentionaliter obiectum, niſi eſſe repræſentationem illius) hoc autem probandum, & non ſupponēdum erat ab iſto authore, quia id eſt, quod negant aduerſarij.

31 Deinde falſum eſt dicere, cauſam cognitionis debere in ſe continere formalitates obiecti. Primo: quia cauſa æquiuoca non debet eſſe eiuſdem rationis cum ſuo effectu: ergo, cum intellectus ſit cauſa æquiuoca cognitionis, non debet eſſe eiuſdem rationis cum illa: ergo ex eo, quod cognitio ſit repræſentatio obiecti, non rectè infertur, quod cauſa eius debeat eſſe ſimilis eidem obiecto. Secundò: quia potentia cognoſcitiua vt talis continet in ſe cognitionem vt talem: in hoc omnes conueniunt: ſed cognitio vt talis eſt repræſentatio, & explicatio obiecti: ergo potētia cognoſcitiua vt talis continet in ſe repræſentationē obiecti: atqui potentia cognoſcitiua per te non continet formalitates obiecti: ergo iam datur cauſa continens repræſentationem obiecti, quæ non contineat formalitates eiuſdem obiecti.

32 Secunda ſententia abſolute negat, ſpeciem impreſſam actiue concurrere ad cognitionem. Id docent de ſpecie intelligibili.

Digitized by Google

gibili. Iabellus, 3. de Anima, quæſtion. 3. de Actu intellectus: §. *Mihi autem videtur*. Toletan. 3. de Anim. quæſtion. 2. artic. 3. concl. 2. P. Tolet. 3. de Anim. capit. 7. quæſt. 22. §. *Nos tamen dicimus*; & idem docuerat de ſpecie ſenſibili lib. 2. capit. 5. quæſt. 12. conclu. 2. & nonnulli recentiores. Diſſentiunt tamen iſti authores circa modum concurrendi ſpeciei. Nam P. Tolet. dicit, eſſe diſpoſitionem quandam excitantem intellectum ad actum cognitionis: Iabel. docet ſpeciem requiri, vt determinet, & ſpecificet operationem cognoſcentis aliàs indifferentis ad hãc vel illam cognitionem; Toletan. vero docet, ſpeciem intelligibilem eſſe diſpoſitionem exiſtentem in intellectu poſsibili ad recipiendam cognitionem ab intellectu agente, à quo ſolo putat produci efficienter cognitionem.

33 Dico primò: ſpecies requiritur in potentia cognoſcitiua vt conditio illi applicans intentionaliter obiectum tanquam præſentia intentionalis ipſius obiecti. Pro hac ſententia adduci poſſunt authores numero præcedente relati pro ſecunda ſententia. Eandem tenent PP. Conimbric. loquentes de ſpecie intelligibili 3. de Anim. capit. 8. quæſtion. 4. articul. 1. ad primum & ſecundum: Ægid. de Præſentation. adductus ſupra num. 15.; & quot quot cum eo ibi afferunt, ſpecies eſſe repreſentationes formales obiectorum.

34 Probatur hæc concluſio: quia potentia cognoſcitiua non poteſt verſari circa obiectum, quin hoc præcedat intentionaliter ipſi applicatum per præſentiam intentionalem: ſed obiectum applicatur intentionaliter potentiæ per ſpeciem tanquam per præſentiam intentionalem ipſius obiecti: ergo hæc requiritur ad cognitionem, vt conditio applicans obiectum. Maior eſt mihi certa: quia ſicut agens phyſicum non poteſt phyſice operari in ſubiecto, quin hoc præcedat phyſice applicatum per præſentiam phyſicam; ita neque agens intentionale poterit operari intentionaliter circa obiectum, quin hoc præcedat intentionaliter applicatum per præſentiam intentionalem: & propterea voluntas, quæ eſt agens intentionale, non poteſt verſari intentionaliter per proprium actum circa ſuum obiectum, quin hoc præcedat intentionaliter applicatum illi per cognitionem, quæ eſt præſentia intentionalis obiecti ipſius. Minor vero probatur: quia eſſe obiectum applicatum intentionaliter potentiæ per præſentiam intentionalem, nil aliud eſt, quam eſſe illi repræſentatum formaliter per repræſentationem formalem: ſed ante cognitionem repræſentatur obiectum formaliter potentiæ per ſpeciem tãquam per repreſentationem formalem, vt diximus ſection. præced. numer. 15. ergo ante cognitionem

appli-

applicatur illi intẽtionaliter obiectum per ſpeciem.

35 Dico ſecundò: ſpecies non eſt cauſa phyſica inadæquata cognitionis immediate concurrens cum intellectu ad eius productionem. Ita authores ſecundæ ſententiæ, & vehementer in hoc inclinatur P. Hurt. ſuprà adductus pro prima ſententia: ait enim ibi numer. 63. quod, ſi poſſet explicare modum concurrendi ſpeciei tanquam conditionis, nullatenus admitteret concurſum effectiuum illius. Modum autem, quo poteſt concurrere ſpecies vt conditio, iam explicuimus ſuprà exemplo habitus acquiſiti. Probatur concluſio: quia nulla eſt formalitas in cognitione exigens immediatum cõcurſum ſpeciei: ergo non eſt adſtruendus talis concurſus. Conſequentia eſt bona, quia non ſunt multiplicandæ cauſæ ſine neceſsitate. Antecedens vero probatur: quia, ſi aliqua eſſet, maximè ratio imaginis, aut ratio cognitionis talis obiecti: ſed hæ nõ exigunt immediatum cõcurſum ſpeciei, vt probatum eſt contra primam ſententiam: ergo, &c.

36 Dico tertiò: ſpecies impreſſa, ſeu obiectum mediã illâ concurrit ad cognitionem tanquam cauſa moralis, quaſi moraliter influens in illam (cauſa moralis dicitur illa, cui ſecundum prudentum exiſtimationẽ tribuitur effectus, ac ſi re verâ illum produxiſſet: ſic combuſtio domus tribuitur applicanti ignem, occiſio Petri Ioanni illam ſuadenti, &c.) In hunc ſenſum intelligo plures ex authoribus, qui dicunt ſpeciem concurrere effectiue ad intellectionem, & expreſſe Ægidius de Præſenta. pro prima ſententia adductus ... ſe explic... libr. 8. prima pa... artic. 8. §. 2. numer... ait, ſpeciem intelli... plere virtutem ... intellectus, non adde... tem aliquã actiuam ... illum habere virt... completam reſpect... nis) ſed determina... hoc, vel illud obiectum ... ſcẽdum: quod quidem nihil ali... eſt, quam ſpeciem concurrere tanquam conditionem applicantem obiectum potentię cognoſcitiuę, & eam determinantem ad cognitionem huius, vel illius obiecti. Addit deinde hanc eſſe communem fere omnium explicationem ſatis ſignificatam à Capreolo, Bañez, Scoto, & P. Fonſ.

37 Sic etiam explica Diu. Thomam prima parte, quęſt. 56. artic. 1. vbi ait: *Sicut enim calor eſt principium formale calefactionis in igne, ita ſpecies rei viſa eſt principium formale viſionis in oculo*: neque enim ita intelligendus eſt, vt ſpecies immediatè concurrat ad viſionem eo modo, quo immediatè concurrit calor ignis ad calefactionem (alioquì ſicut calor ignis eſt cauſa adęquata calefactionis ſine concurſu immediato ipſius ignis, ita ſpecies ſſet cauſa adæquata effi-

efficiens viſionis ſine concurſu immediato potentiæ viſiuæ, quod l ngè eſt â mente S. Thomæ, & á bona philoſophia,) ſed ita intelligendus eſt, vt velit, quod ſicut calor eſt forma determinans ignem ad calefactionem, ita ſpe- ... ma determinans po- ... iſionem; cum hoc ta- ... ne, quod calor de- ... calefactionem, vt ... atè illam eliciens; ... terminet ad viſio- ... io applicans intē- ... ctum ad hoc, vt po ... em illius eliciat. Et ... odo explicandus eſt S. ... octor vbicunque dixerit, ſpeciem eſſe comprincipium; & rationem agendi cognitionem.

38 Probatur ergo concluſio: quia iuxta communiorem opinionem, quam ſequemur infra agentes de habitibus potentiarum, habitus acquiſitus nullo alio modo concurrit ad actum, niſi quatenus potentiam inclinat, & reddit facilem ad illum eliciendum, & tamen in communi omnium ſententia actus ſcientię tribuitur habitui tanquam efficienti proprio illius: ergo, licet ſpecies nullo alio modo concurrat ad cognitionem, niſi applicando formaliter obiectum, & determinando potentiam ad illam eliciendam, id ſufficiet, vt in ſententia omnium tribuenda ſit illi cognitio tanquam efficienti proprio ipſius: ergo ſpecies ſe habet vt cauſa moralis cognitionis.

SECTIO III.

Ad quæ nam obiecta, & in quibus potentijs requirantur ſpecies ſuperadditæ?

39 EX dictis ſectione præcedenti infertur primò, ſpeciem impreſſam, vt informantem ſolum, concurrere cum potentia cognoſcitiua ad cognitionem. Ratio eſt facilis ex dictis: quia ſpecies non aliter concurrit ad cognitionem, niſi vt conditio intentionaliter applicans obiectum potentiæ: ſed non applicat intentionaliter obiectū potentiæ, niſi vt illam informans: ergo ſolum, vt informans cōcurrit ad cognitionem. Minor conſtat: quia ſpecies nō aliter applicat obiectum intentionaliter potentiæ, niſi repræſentādo illi formaliter ipſum obiectum tāquam imago intentionalis eiuſdem obiecti: ſed non aliter repræſentat obiectum formaliter potentiæ, niſi eam informando, vt conſtat ex ſect. 1.: ergo neque applicat obiectum intentionaliter potentiæ, niſi vt eam informans. Id magis confirmabitur num. 41.

40 Dices: eo ipſo quod ſpecies ſit contigua potentiæ, applicabit illi intentionaliter obiectū: ergo non eſt neceſſaria informatio ipſius ſpeciei. Antecedens prob.: quia, eo ipſo quod ſpecies ſit contigua potētię, erit applicata illi ſimilitudo intētionalis obiecti: ergo & ipſum obiectū erit intētionaliter applicatū ipſi potētię. Nego primum antecedens. Ad probationē diſtinguo antecedēs:

ſimilitudo intentionalis obiecti erit applicata potentiæ phyſicè, concedo: intentionaliter, nego antecedens. Et deinde nego conſequentiam: quia obiectum eſſe applicatũ intentionaliter potentiæ, nihil aliud eſt, quam eſſe formaliter illi repræſentatum; non autem repræſentatur formaliter ante cognitionem, niſi per ſpeciẽ informantem potentiam. Id explicari poteſt exemplo cognitionis, quæ quidem eſt ſimilitudo intentionalis obiecti; & tamen non cenſetur hoc eſſe intentionaliter applicatum voluntati per cognitionem ex eo præciſe, quod cognitio ſit contigua voluntati, niſi illam informet iuxta meam ſententiam; vel, iuxta aliorum ſentẽtiam, niſi informet ſaltem intellectum exiſtentem in eadem anima, in qua exiſtit voluntas: ergo idem dicendum erit de ſpecie impreſſa.

41 Infertur 2. nullum obiectũ non vnitum phyſice cognoſcenti poſſe cognoſci ex natura rei ſine ſpecie impreſſa ab illo diſtincta, quãtumuis phyſicè applicatum, imò & penetratum ſit cum potẽtia cognoſcitiua. Id conſtat ex Ariſt. in cuius ſententia, vt vidimus ſect. 1. potentia cognoſcitiua non poteſt cognoſcere ſuum obiectum, quin prius fiat ipſum obiectum: ſed non fit ipſum obiectum per approximationem, ſeu penetrationem cum illo, vt conſtat: ergo per aliud debet fieri: hoc autem nihil eſſe poteſt, niſi ſpecies, quæ, dum potentiam reddit formaliter ſimilem obiecto, illam cenſetur facere quaſi vnum cum obiecto: ergo ad cognitionẽ eliciendam non ſufficit applicatio phyſica obiecti niſi ſpecies eius ſit in potentiâ cognoſcitiuâ.

42 Et ratio à priori ſumitur ex dictis: quia potentia cognoſcitiua, vt potè quæ eſt agens intẽtionale, non poteſt verſari circa ſuũ obiectum per actum cognitionis, niſi obiectum præcedat intentionaliter applicatum ipſi potentiæ: ſed obiectum non vnitum cognoſcenti non poteſt ante cognitionem intentionaliter applicari potentiæ, niſi per ſpeciẽ impreſſam: ergo nõ poteſt ex natura rei cognoſci ſine ſpecie impreſſa. Minor prob.: quia obiectũ applicari intentionaliter potentiæ cognoſcitiuæ nil aliud eſt, quã illi repræſentari formaliter per imaginem intentionalem ſui, vt dicebamus ſuprâ: ſed ante cognitionem nulla datur imago intentionalis obiecti nõ vniti cognoſcenti illud repræſentans formaliter potentiæ, niſi ſpecies impreſſa: ergo, &c. Minor probatur: quia ipſum obiectũ non poteſt ſe ipſum repreſentare formaliter potentiæ, cum illam non informet, vt ſupponimus: neque eſt aliud, quod id poſsit præſtare: ergo ſpecies hoc munus exercebit. Id, quod diximus de obiecto nõ vnito cognoſcenti dicendũ eſt de quouis alio ipſi vnito, ſi non informat potentiam elicitiuam cognitionis; quia ſi illam non informat, non repræſentabit illi formaliter obiectũ, vt in ſimili dicebam⁹ de ſenſatione d. 6. ſe. 2.

Digitized by Google

43 Infertur tertiò, neque ipſas formas inhærentes in potentia cognoſcitiua poſſe cognoſci ex natura rei ſine ſpecie impreſſa ipſarum: verbi gratia, calor inhærens in potentia tactiua (demus, quod in illa inhæreat) non poteſt ſentiri, niſi per ſpeciem impreſſam ipſius caloris. Ratio eſt: quia, vt paulo ante dicebamus ex Ariſtotel. non poteſt potentia cognoſcere aliquod obiectum, niſi prius fiat ipſum obiectum: ſed tactus non poteſt fieri calor per ſolam inhæſionem ipſius caloris ſine ſpecie intentionali: ergo, &c. Minor probatur: quia tactus per informationem caloris non fit calor entitatiue, vt conſtat; neque fit calor ratione ſimilitudinis, quam cum illo habeat, quia calor informans tactum non reddit illum ſibi ſimilem: ergo tactus per informationem caloris nullatenus fit ipſe calor. Si vero tactus habeat ſpeciem caloris, quæ eſt ſimilitudo intentionalis ipſius caloris, erit calori ſimilis, & ratione huius ſimilitudinis dicetur eſſe, aut fieri ipſe calor; ſicut imago Petri ratione ſimilitudinis, quam cum Petro habet, dicitur eſſe Petrus.

44 Infertur quarto, non eſſe de ratione potentiæ cognoſcitiuæ, ſe ipſam cognoſcere ſine ſpecie impreſſa ſui realiter à ſe diſtincti. Ratio eſt: quia non eſt de ratione potentiæ cognoſcitiuæ ſe ipſam ſibi intentionaliter repræſentare: ergo neque ſe ipſam cognoſcere ſine ſpecie ſui. Cõſequentia eſt bona: quia quæuis cognitio ſupponit obiectum applicatum intentionaliter potentiæ cognoſcenti, vt dictum eſt in ſuperioribus. Antecedens vero probatur: quia anima rationalis non repræſentat ſe ipſam ſibi intentionaliter per modum habitus: ergo datur potentia cognoſcitiua, quę ſe ipſam ſibi neque habitualiter repræſentet; ac per cõſequens non erit de ratione potentiæ cognoſcitiuæ, id munus exercere per ſe ipſam. Antecedens eſt mihi certum: quia, ſi anima rationalis ſe ipſam ſibi habitualiter repræſentaret, non eſſet, cur in ſtatu coniunctionis cum corpore non poſſet intuitiue ſe cognoſcere, quia ex vna parte habet virtutem completam effectiuam ſuæ intuitionis; ex alia vero parte eſſet ſibi ipſi intentionaliter applicata: quid ergo illi deeſſet ad ſui intuitionem eliciẽdã?

45 Dices: proprium eſt animæ pro hoc ſtatu cognoſcere abſtractiue, & per ſpecies alienas obiecta non percepta per ſenſus: ergo nõ debetur illi concurſus ad ſui intuitionem eliciendam pro hoc ſtatu, etiam ſi ipſa ſit ſua ſpecies intuitiua. Sed contrà: non minus propriũ erat animæ Chriſti Domini ſecundum ſe ſumptæ, obiecta cognoſcere abſtractiue pro hoc ſtatu, quam eſt proprium aliarum animarũ: ſed anima Chriſti Domini ſuſceptis ſpecieb. intuitiuis obiectorum exiſtentium (quæ de facto illi datæ fuerunt, vt Theologus ediſces) petebat concurſum

curſum ad eorum intuitionẽ eliciendam; ſaltem quando ipſe volebat ea intueri, vt cõcedũt Theologi: ergo, ſi anima noſtra eſſet ſpecies intuitiua ſui ipſius, deberetur illi concurſus ad ſui intuitionem eliciendam, ſaltem quando ipſa vellet eam elicere.

46 Itaq; duo hic conſideranda ſunt: & quod animæ debeatur ſpecies intuitiua ſui pro hoc ſtatu; & quod, eâ poſitâ, debeatur animæ concurſus ad ſui intuitionem eliciẽdam. Hoc ſecundũ debetur animæ, vt conſtat ex dictis de anima Chriſti Domini. Vndè ſi anima eſſet ſua ſpecies, poſſet naturaliter ſe ipſam intueri in hoc ſtatu. Primum vero non debetur animæ pro hoc ſtatu, ſicut neque debetur illi ſpecies intuitiua aliorum obiectorum, quæ non percipiuntur per ſenſus: alioqui aliquãdo tales ſpecies haberet, & intuitiue ſe, vel aliud obiectũ cognoſceret aliquando. Vndè eatenus dicitur proprium animæ non cognoſcere ſe, vel alia obiecta intuitiue pro hoc ſtatu, quatenus non debentur illi ſpecies ad tales cognitiones. An verò poſsibilis ſit aliqua potẽtia cognoſcitiua, quæ ſit realiter ſua ſpecies intuitiua? In materia de Angelis examinatur.

47 Infertur 2. poſſe de potentia Dei elici cognitionem à potẽtiâ cognoſcitiuâ ſine ſpecie impreſſa. Quod non ita intelligendum eſt, vt Deus poſsit vniri potentiæ loco ſpeciei, & repræſentare illi formaliter obiectum; ab ſit hoc à Deo; ſed ita, vt Deus cõcurſum, qui indebitus eſt ex natura rei potentiæ cognoſcitiuæ, non poſita ſpecie, poſsit pro ſuo libito illi præbere abſente ſpecie, etiamſi non ſit debitus illi. Id conſtat ex dictis in Phyſic. diſputation. 27. ſection. 2. vbi probauimus agens naturale poſſe de potentia Dei agere in paſſum nõ approximatum. Ratio autem eſt: quia ſpecies non requiritur ad cognitionem, niſi vt conditio applicans obiectum potentiæ, ſine quâ non eſt ex natura rei debitus concurſus tali potentiæ; ſed Deus poteſt dare concurſum potentiæ, etiamſi illi non debeatur ex natura rei: ergo poteſt facere, quod potentia operetur deficiente ſpecie. Minor ex ſe conſtat, & probari poteſt à paritate; quia extenſio materiæ eſt conditio, ſine qua non poteſt ipſa materia vniri formæ ſubſtantiali, & nihilominus in Euchariſtiâ materia Chriſti Domini vnitur animæ rationali, non habens extenſionem: ergo idem poterit fieri circa cognitionem deficiente ſpecie.

48 Rogas 1. an ſpecies ſe habeat ex parte obiecti, vel ex parte potentiæ cognoſcitiuæ? Reſpondeo, ſe habere ex parte vtriuſq;. Ex parte obiecti ſe habet, tũ quia vt repræſentatũ habitualiter per ſpeciem, mediâ iſtâ mouet potẽtiam ad exprimendam cognitionẽ, quę eſt imago ipſius obiecti: ac

eum modum, quo obiectũ repræſentatum actualiter per cognitionem, mouet potẽtiam, cui repræſentatur, ad elicẽdum actum circa ipſum: tùm etiam: quia obiectum producit ſpeciem in potentia tanquam inſtrumentum, ſeu quaſi inſtrumentum ſui ad extrahendam cognitionem ab ipſa potentia. Deinde ſpecies ſe habet ex parte potentiæ; quia hæc per ipſam ſpeciem applicatur, & determinatur ad operandum circa tale obiectum.

49 Rogas 2. an ſpecies impreſſa dicenda ſit vicaria obiecti? Pro reſponſione noto, vnam rem poſſe dici vicariam alterius propriè, & impropriè. Propriè dicitur vicaria alterius, quando ſubſtituta loco illius pręſtat id, quod altera præſtaret; ſi eſſet præſens. Improprie dicitur vicaria, quando vt inſtrumentum, vel quaſi inſtrumentum alterius præſtat immediate nomine illius id, quod altera nõ poteſt immediatè præſtare per ſe ipſam. Hoc poſito, reſpondeo, ſpeciem eſſe vicariam obiecti ſecundo modo; non vero primo. Id quod ex dictis in hac ſectione facile conſtat.

SECTIO IIII.

De Cauſis ſpecierum impreſſarum.

50 IMprimis nõ habent cauſam formalem intrinſecam; quia ipſæ ſunt formæ accidentales, & vna forma non componitur ex alia; habent tamẽ cauſam formalem extrinſecam, à quâ ſpecificantur extrinſece; ſpecificantur enim ab actibus (ad quos eliciendos determinant potentiam) & ab obiectis. Finis proximus illarum eſt actus cognitionis, ad cuius productionẽ determinant potentiam. Circa cauſam efficientem & materialem recepriuam eſt maior difficultas. Dicemus prius de materiali; & poſtea de efficiente.

51 Dico 1. ſpecies ſenſuum externorum debẽt recipi in corpore intermedio inter obiectum, & potentiã. Ratio eſt: quia obiectum non poteſt agere in diſtans, quin agat in propinquũ: ergo pri⁎ debet producere effectũ in corpore ſibi proximo, quã in potentia diſtanti. Recipiuntur autẽ hæ ſpecies in materia, ſicut reliqua accidentia materialia nõ vitalia, quia nihil habent peculiare ſpecies ratione cuius debeant recipi in forma corporis intermedij.

52 Dico 2. ſpecies debent recipi in potẽtijs; quas determinant ad cognitionem. Probatur: quia, vt dictum eſt in præcedentibus, hæ applicant obiectum intẽtionaliter potentiæ, tanquam repræſentationes formales ipſius obiecti, quod præſtare nõ poſſunt, niſi potentiæ vniantur, ac per cõſequens in ea recipiẽtur, quia forma recipitur in eo ſubiecto, quod informat, vt inductione conſtat.

53 Hinc colliges, ſpecies ſenſuum externorũ recipiendas eſſe in anima ſimul, & materia iuxta doctri-

doctrinam à nobis traditam: quia ex vna parte, cum anima ſit principium immediate eliciens ſenſationem, debent ſpecies repræſentare immediate illi formaliter obiectũ ſuum, vt eam determinẽt ad eliciendam ſenſationem circa illud, quod quidem præſtare nequeunt niſi per informationẽ, vt ſæpè dictum eſt, ac per cõſequens nequeunt nõ recipi in ipſa anima iuxta proximè dicta: ex alia vero parte, cũ materia ſit ex ſe capax recipiẽdi has ſpecies (quia, vt diximus, recipiuntur in materia aeris) eas ſimul cum anima recipiet per concurſum indiuiſibilem eo modo, quo diſput. 6. ſect. 2. diximus, ſenſationem recipi in toto compoſito.

54 Quod ad ſpecies ſenſuum internorum attinet dicendum eſt recipi tùm in neruis quibuſdam ductis à ſenſibus externis vſq; ad cerebrũ, in quo reſidet internus; tùm etiam in ipſis ſenſibus internis, & in ſpiritibus vitalibus illos coadiuvantibus ad ſenſationem, vt dicemus, quando agamus de ſenſibus internis. Species vero intelligibiles in ſola anima rationali recipiuntur: tùm quia illi proponunt obiectum; tùm etiam quia cum ſint ſpirituales, non poſſunt recipi ex natura rei in ſubiecto corporeo adhuc inadæquate.

55 Circa cauſam efficientem Dico primo: ſpecies ſenſuum externorum producuntur efficienter ab obiecto. Ratio eſt: quia, obiecto poſito, & applicato in proportionatâ diſtãtiâ produciũtur hæ ſpecies; obiecto vero non poſito, ſeu non debite applicato, non producuntur: ergo obiectum eſt cauſa efficiens illarum. Patet conſequentia: quia non habemus aliud fundamentum ad aſſerendum ignem producere calorem; aquam frigus, &c. niſi quod, his poſitis, producitur calor, frigus, &c. in ſubiecto approximato.

56 Dico ſecundò: vna ſpecies producit aliam ſibi ſimilem, ita vt obiectum ſpeciebus, quas produxit in parte medij ſibi proximâ, adiuuetur ad producendas alias ſimiles in partibus remotis. Probatur: quia non eſt alia ratio, propter quam perſpicilia iuuent ad eliciendam meliorem viſionem obiecti, niſi quia ſpecies in illis receptæ ratione denſitatis, & diſpoſitionis partium ſubiecti iuuant ad producendam intenſiorem ſpeciem in potentia: ergo habent virtutem producendi alias ſpecies ſibi ſimiles. Dico, *producere alias ſimiles*, quia ſpecies huius obiecti non poteſt producere niſi ſpeciem repræſentatiuam eiuſdem obiecti: neque enim ſpecies receptæ in perſpicilijs ab albedine producunt in potentia viſiua niſi ſpecies repræſentatiuas eiuſdem albedinis, vt conſtat experientiâ.

57 Dices: ſi vna ſpecies produceret aliam ſibi ſimilem, Petrus exiſtens in quocunque angulo

lo huius gymnaſij videretur ab eo, qui eſt extra gymnaſium: at hoc eſt contra experientiam: ergo & illud. Maior probatur: quia Petrus ex quocumque angulo mittit ſpecies ſui vſque ad medium gymnaſium; deinde hæ poſſunt producere alias extra gymnaſium per ianuam: ergo videretur Petrus ab eo, qui eſt extra gymnaſium. Nego maiorem. Ad probationẽ nego minorem: quia ſpecies viſuales ſolum producunt alias ſibi ſimiles per eam lineam, & verſus eam partem, verſus quã directè productæ fuerunt ab obiecto: niſi forſan impeditæ, ab aliquo obſiſtente rectè diſpoſito applicentur ad producẽdum per lineam reflexam, vt experientia docet. Vndè ſpecies ex angulo productæ à Petro in expeditum medium gymnaſij non producent extra gymnaſium per ianuam alias ſpecies ipſius Petri; ſed ſolum per eam lineam, & verſum eam partem, verſus quam productæ fuerunt à Petro.

58 Rogas: an ſpecies ſenſuum externorum pendeant ab obiecto in conſeruari? Reſpondeo affirmatiue: quia, obiecto deficiente, vel ſeparato vltra debitam diſtantiam, deficiunt tales ſpecies. Dices: ſi is, qui intenſum lumen, aut cancellos intenſo lumine perfuſos intenſe aſpiciebat, occludat oculos, conſeruat viſionem luminis, aut cancellorum per aliquod tempus poſt recluſos oculos: ergo, remoto obiecto, conſeruantur ſpecies in potentia viſiua per aliquod tempus. Antecedens conſtat experientiâ, & idem teſtantur Ariſtotel. 2. de Anim. text. 138. & D. Auguſt. libr. 21. de Trinitat. capit. 2. Pro reſponſione. Noto primo, ſenſationem, per quam ſenſus externus percipit ſuum obiectum excitare in imaginatiua imaginationem, & hanc in intellectu intellectionem non ſolum eiuſdem obiecti; ſed etiam ſenſationis externæ. Id probatur infra diſp. 11. Noto ſecundò, imaginationem, & intellectionem non pendere in conſeruari à ſenſatione externa; ſed poſſe conſeruari ſine illa. Id conſtat experientiâ.

59 Reſpondeo ergo, in caſu obiectionis non perſeuerare viſionem luminis clauſis oculis; ſed perſeuerare intenſam imaginationem, & intellectionem viſionis luminis, & ipſius luminis, cuius imaginationis præſentiâ facile deluditur homo credens perſeuerare viſionem. Et ita explicandi ſunt D. Auguſtin. & Ariſt. ſed inſtabis: ſi id ex imaginatione ſolum proueniret, poſſet voluntas noſtrã vel impedire, ne perſeueraret exiſtimatio viſionis; vel facere, quod diù perſeuераret: at neutrum præſtare poteſt voluntas: ergo ideo eſt, quia perſeuerat ipſa viſio per breue tempus, &, eo tranſacto, corrumpitur.

Nego

60. Nego maiorem: quia imaginatiua non ita ſubdita eſt voluntati, vt ad nutum eius ceſſet illico à proprio actu, vel diu in illo perſeueret: neque enim imaginatiua aliter ſubdita eſt voluntati, niſi quatenus hæc illi poteſt applicare obiecta, quæ & illam moueant ad ſui cognitionem, & remoueant à cognitione aliorum. Dum autem imaginatiua intenſe adhærebat alicui obiecto per proprium actum, non poteſt facile voluntas applicare obiecta, quæ illicò eam diuertant ab illo actu: deinde neque poteſt ita obiectum aliquod imaginatiuæ affigere, vt ſi alia accedant, illam non aliò diuertant. Hinc eſt, quod, quando oculi intenſe videntes intenſum lumen, ſubito clauduntur, non poſsit non perſeuerare per breue temdus vehemens imaginatio viſionis præcedentis, & obiecti illius, qua imaginatione deluſus homo credit perſeuerare viſionem. Deinde, cũ ex vna parte poſt occluſos oculos remoueatur obiectum viſionis; & ex alia applicentur imaginatiuæ alia obiecta per reliquos ſenſus externos, paulatim dimouetur ipſa imaginatiua ab intenſa imaginatione luminis, & viſionis illius; quo fit, vt poſt aliquod tempus animaduertat homo, non eſſe iam præſentem viſionem luminis. Hæc de ſpeciebus ſenſuum externorum.

61 Species vero ſenſus interni producuntur à ſenſationibus ſenſuum externorum. Itaque poſtquam ſenſus externus percipit obiectum ſibi applicatum per propriam ſpeciem, ſenſatio eius per neruos quoſdam, qui à quouis externo ſenſu ducuntur vſque ad cerebrum, in quo eſt ſenſus internus, producit in ipſo ſenſu interno ſpecies & ſui ipſius, & ſui obiecti, quibus determinatur ſenſus internus ad cognitionem & ſenſationis, & obiecti illius. Ita communiter authores. Probatur: quia, poſitâ ſenſatione externâ, percipit ſenſus internus & illam, & obiectum eius, eâ vero non poſitâ, neque illam percipit, neque obiectum eius; etiamſi obiectum producat ſui ſpecies in ſenſu externo: ergo ſpecies ſenſus interni producuntur à ſenſationibus ſenſuum externorum.

62 Confirmatur: quia obiectum non poteſt immediatè producere eas ſpecies in ſenſu interno, cum ſæpè ſit diſtans ab iſto; neque poſſunt eas producere ſpecies impreſſæ ab obiecto in ſenſu externo, quia illæ ſunt diuerſæ rationis ab iſtis, & perfectiores. Sunt diuerſæ rationis, quia ſpecies qualitatis doloriferæ, miſſæ à pede per totum corpus vſque ad cerebrum non cauſant ſenſationem illius doloris in partibus corporis, per quas tranſeunt: ergo non ſunt eiuſdem rationis cũ ſpeciebus,

bus; quæ in pede cauſant ſenſationem doloriferæ qualitatis: alioqui ſicut talis ſenſatio cauſatur in pede, cur non cauſaretur etiam in reliquis partibus corporis? Deinde ſpecies ſenſus interni ſunt perfectiores ſpeciebus ſenſuum externorum, quia ſunt adminiſtræ perfectioris potentiæ: ergo non poſſunt produci efficiẽter ab illis. Reſtat ergo, vt à ſenſationibus ſenſuum externorum immediate præducantur. Species intelligibiles producuntur efficienter ab actu quodam ſenſus interni, qui dicitur *phantaſma*. Qua vero ratione id fiat? dicetur diſputat. 12.

SECTIO V.

De Diuiſibilitate ſpecierum impreſſarum.

63 Certum eſt apud omnes, ſpecies exiſtentes in ſubiecto extenſo habere partes extẽſionis ſubiectiuæ, hoc eſt, partes reſpondentes partibus extenſionis ſui ſubiecti: quia accidentia materialia exiſtentia in ſubiecto diuiſibili cenſentur commenſurari cum ſubiecto proprio; ni aliunde oppoſitum conuincatur. Species vero intelligibiles non poſſunt habere partes extenſionis ſubiectiuæ: quia recipiuntur in anima rationali, quæ indiuiſibilis omnino eſt quoad extenſionem. Certum eſt ſecundo, quaſcumque ſpecies habere partes intenſionis ſubiectiuæ, hoc eſt, partes exiſtentes ſimul in eadem parte ſubiecti circa idem omnino obiectum: quia experientiâ conſtat, melius nos videre albedinem proxime exiſtentem, quàm ſi longè diſtet: quod quidem aliunde prouenire nequit, niſi quia albedo in medio ſibi proximo producit ſpeciem intenſiorem, quàm in remoto: ergo ſpecies albedinis admittit plures gradus intenſionis in vna parte ſubiecti, quam in alia. Idem dicendum eſt de ſpecie intelligibili.

64 Difficultas tamen eſt, & non leuis; an ſpecies habeant intenſionem, & extenſionem obiectiuam? (hoc eſt, an albedo habens octo gradus intenſionis extenſos per quatuor partes ſubiecti, videatur per ſpeciem habentem tùm octo partes, quarum ſingulæ repræſentẽt ſingulos gradus intenſionis albedinis; tùm etiam quatuor, quarum ſingulæ repræſentent ſingulas partes extenſionis ipſius albedinis?) vel potius omnes partes tam intenſionis, quam extenſionis videantur per eandem omnino ſpeciem indiuiſibilem ex parte obiecti, hoc eſt, non habentem partes reſpondentes ſingulis partibus obiecti? Nonnulli aſſerunt, albedinem (& idem eſt de alijs obiectis materialibus) videri per eandem omnino ſpeciem obiectiue indiuiſibilem tam quoad extenſionem, quam quoad intenſionem,

ſionem, quam ſpeciem indiuiſibiliter cauſari docent ab omnibus] partibus tam intenſionis, quam extenſionis albedinis. Ita Pater Tolet. 2. de Anim. capit. 12. quæſtion. 34. concluſi. 4. PP. Connimbric. cap. 7. quæſtion. 5. articul. 2. §. *Aduertendum præterea*, quibus ſubcribunt nonnulli recentiores.

65 Præcipua huius ſententiæ ratio eſt; quia exigua pars obiecti non videtur à longè; ſi verò cum alijs ſimilibus coniungatur, videntur omnes ſimul: vt conſtat in cumulo triticeo, quod quidem à longè videtur; ſi tamen ſingula grana ſeorſim ponantur in eâdem diſtantia, nullum videtur: id autem aliunde prouenire nequit, niſi quia plura grana coniuncta concurrunt indiuiſibiliter ad producendam ſpeciem, quæ omnia ſimul repræſentet; &, cum multitudo agentium iuuet ad agendum, producunt omnia ſimul ſpeciem adeò intenſam per totum medium, quæ potentiam longè diſtãtem determinare poſſit ad viſionem. Si vero ſingula grana ſuam ſpeciem ſeorſim producerent, in eadem intenſione eam producerent, ac quando ſeorſim poſita ſunt: ſed quando ſingula ſeorſim poſita ſunt, producunt ſpeciem adeò remiſſam, quæ non poſsit determinare potentiam longè diſtantem: ergo eodem modo eam cauſarent, quando omnia ſimul ſunt in cumulo.

66 Confirmatur: quia quando plures partes caloris coniunguntur omnes ſimul indiuiſibiliter concurrunt ad producendum eundem calorem in manu applicata: ergo & quando plures partes obiecti coniunguntur, omnes ſimul indiuiſibiliter concurrent ad eandem ſpeciem impreſſam producendam in medio proximo. Si autem omnes ſimul concurrunt ad eandem ſpeciem; hæc repræſentabit omnes ſimul, quia ſpecies ſemper repræſentat obiectum, à quo procedit.

67 Nonnulli recentiores conuicti ex vna parte rationibus prædictæ ſententiæ; & ex aliâ obruti difficultatibus, quas contra illam opponemus, mediam viam aggreſsi ſunt. Dicunt ergo, ſpeciem eſſe diuiſibilem obiectiue, ita vt per ſingulas ſui partes, ſingulas obiecti partes repræſentet. Addunt tamen, ſingulas partes produci indiuiſibiliter ab omnibus partibus obiecti, ita vt ad efficiendam partem ſpeciei repræſentantem primam partem obiecti; verbi gratia, concurrant ſimul omnes partes eiuſdem obiecti, & ſimiliter ad efficiendam partem ſpeciei repræſentantem ſecundam partem, & ſic de reliquis. Hi tamen authores, dum mediam viam inter oppoſitas ſententias ineunt, vtriuſque difficultatibus implicantur, vt conſtabit ex dicendis.

68 Dico primò: albedo verbi gratia, non videtur per ſpeciem

ciem obiectiue indiuiſibilem; ſed ſingulæ partes tam intenſionis, quam extenſionis ipſius albedinis repræſentantur per ſingulas partes ſpeciei. Ita Pater Suar. libr. 3. de Anim. capit. 2. numer. 17. & 18. P. Hurtad. diſput. 12. ſection. 1. P. Arriaga diſputat. 4. ſection. 7. ſubſection. 1. Probatur primo: quia, ſi omnes partes albedinis per vnam indiuiſibilem ſpeciem indiuiſibiliter ab omnibus productam viderentur, æque bene, & clare viderentur omnes, ſiuè æque diſtarent à potentia, ſiuè non: At id contradicit experientiæ, qua nouimus, inter partes eiuſdem albedinis eas melius, & clarius videri, quæ ſunt proximiores viſui; &, eas obſcurius, quæ ſunt remotiores: ergo non videntur omnes per eandem omnino ſpeciem. Minor probatur: quia non eſt, vndè proueniat clarior, aut intenſior viſio eiuſdem potentiæ (ſi aliàs attentio ſit æqualis) niſi ex intenſiori ſpecie; ſed per te eadem omnino intenſio ſpeciei repreſentat partes proximas, & remotas albedinis: ergo eadem claritas viſionis debet dari circa omnes.

69 Dices, clarius videri partes proximiores, quia ſunt magis applicatæ potentię. Sed contrà: maior, aut minor applicatio obiecti eatenus conducit ad clariorem, ſeu obſcuriorem viſionem, quatenus conducit ad intẽſiorem, ſeu remiſsiorem ſpeciem producendam in potentia; neque enim alia aſsignatur ratio, cur obiectum proximius videatur clariùs, niſi quia producit intenſiorem ſpeciem in potentia: ſed per te partes remotiores obiecti producunt eandem omnino ſpeciem cum proximioribus: ergo æque clare videbuntur omnes. Hâc reiectâ reſponſione.

76 Nonnulli ex aduerſarijs aliam ſolutionem adhibent argumento noſtro. Dicunt obiectum, duplicem ſpeciem ſui producere in potentia viſiua: vnam, quæ indiuiſibiliter ab omnibus partibus procedens indiuiſibiliter omnes repræſentat; alteram, quæ diuiſibiliter procedens ab obiecto omnes eius partes diuiſibiliter repræſentat. Ex priori ergo ſpecie dicunt prouenire, quod, quo maius fuerit obiectum, videatur ad maiorem diſtantiam; quia, cum in eo caſu plures partes coniungantur ad producendam eandem ſpeciem, producunt eam intenſiorem, & ad maiorem diſtantiam, & ideo poteſt potentiam longè diſtantem determinare ad viſionem ſui obiecti. Poſteriorem vero ſpeciem, dicunt, eſſe in cauſa, vt clarius videantur partes proximiores obiecti, & obſcurius remotiores: quia, cum ſingulæ partes obiecti ſingulas ſpeciei partes producant; hæ, quæ proximiores ſunt, intenſiorem ſpeciei partem producunt, quæ deter-

determinat potentiam ad clariorem viſionem eliciendam circa partes proximiores obiecti.

71 Hæc ſolutio nullius eſt momenti. Et claritatis gratiâ ponamus, albedinem diſtare à nobis per ſpatium vnius vlnæ, & ſumamus partem proximiorem eius adeo exiguam, quæ, ſi ſeorſim eſſet ab alijs, non poſſet viſu percipi in ea diſtantia. In hoc caſu pars illa proximior non poſſet intenſius videri, quam remotiores, adhuc admiſſâ eâ duplici ſpecie, quam addunt aduerſarij: ergo nulla ſolutio. Antecedens probatur: quia ea pars exigua non poſſet clarius, & intenſius videri per ſpeciem indiuiſibiliter procedentem ab omnibus partibus albedinis; quia cum hæc ſpecies per te ſecũdum totam ſuam intenſionem indiuiſibiliter omnes albedinis partes, repræſentet, nõ poteſt vnam partem melius repræſentare quàm aliam: nec poteſt clarius videri per partem ſpeciei diuiſibilis ſibi reſpondentem; quia hæc pars ſpeciei non producitur intenſior ab illa parte exigua obiecti ex eo, quod illi accedant partes remotiores ipſius obiecti, vt ſupponimus: ergo ſicut præ exiguitate non poterat videri per ſpeciem ab ipſa productam ante acceſſum partium remotiorum], ita neque poſteà.

72 Secundo probatur concluſio: quia, ſi inter parietem è regione poſitum, & meos occulos manum interponam iuxta faciem, impeditur viſio alicuius partis parietis perſeuerante viſione reliquarum. Ponamus parietem eſſe quatuor palmorum, & interpoſitione manus impediri viſionem vnius palmi. In hoc caſu, ſi paries in medio ſibi proximo produceret ſpeciem indiuiſibiliter repræſentantem quatuor palmos, non poſſet producere in mea potentia viſiua ſpeciem repræſentantem tres tantum palmos: neque enim poſſet immediate per ſe ipſum talem ſpeciem producere, cum ſit diſtans à mea potentia; neque mediâ ſpecie in aere ſibi proximo productâ, quia, cum hæc ſit diuerſæ rationis ab ea, quæ tres tantum palmos repræſentat, non poteſt illam producere: à quo ergo produceretur talis ſpecies in potentia?

73 Dices primò, produci à pariete media ſpecie in aere ſibi proximo productâ: quia, cum hæc ſit repræſentatiua quatuor palmorum, eſt perfectior eâ], quæ tres tantum repreſentat: & ideo poteſt concurrere ad illius productionem tanquam cauſa æquiuoca. Sed contrà: ſpecies repræſentatiua albedinis perfectior eſt ſpecie nigredinis, & nihilominus non poteſt hæc ab illa produci, vt conſtat experientiâ: ergo; licet ſpecies

ſpecies repræſentans quatuor palmos vnius obiecti ſit perfectior ſpecie repræſentante tres tantum palmos eiuſdem obiecti, non bene inde infertur, quod hæc poſsit ab illa produci: præcipuè ſi palmus, cuius viſio impeditur, ſit niger, & reliqui ſint albi; quia iam ſpecies indiuiſibiliter repræſentans duos colores oppoſitos concurreret ad ſpeciem vnius tantum, producendam.

74 Dices ſecundo: obiectum producit per medium duas ſpecies, vnam indiuiſibiliter repræſentantem omnes partes ipſius obiecti; aliam vero, quæ diuiſibiliter eaſdem partes repræſentat. In caſu ergo poſito ſpecies producta in potentia producitur à pariete, mediâ ſpecie, quæ diuiſibiliter repræſentat ipſum parietem; & ideò non producitur, niſi ſpecies trium palmorum, quia productio ſpeciei alterius palmi impeditur interpoſitione manus. Hæc ſolutio refutata eſt ſuprà numer. 61. Et quidem ſuperflue tot multiplicantur ſpecies, cum omnia rectè componi poſsint ſine tali multiplicatione, vt infrà videbimus.

SECTIO VI.

Concluditur doctrina præcedentis.

75 Dico ſecundo: partes ſpeciei diuiſibiliter repræſentantes obiectum non producuntur indiuiſibiliter ab omnibus partibus ipſius obiecti. Hæc eſt contra ſecundam ſententiam adductam ſection. præcedent. & eam tenent authores relati pro prima concluſion. quibus conſentit Pater Rub. 2. de Anima, capit. 6. quæſtion. 8. Probatur primò: quia, ſi omnes partes obiecti concurrerent ſimul indiuiſibiliter ad producendas ſingulas partes ſpeciei repræſentantes ſingulas partes ipſius obiecti, ſpecies repræſentantes proximiores partes obiecti non eſſent intenſiores ſpeciebus repræſentantibus remotiores partes ipſius obiecti: ergo partes proximiores obiecti non viderentur clarius, quam remotiores. Conſequentia patet ex dictis pro 1. conc.

76 Antecedens vero probatur: quia vbi datur æqua virtus productiua eodem modo applicata eidem paſſo, datur effectus æque intenſus: ſed in tua ſententia æqua virtus concurrit ad producendam ſpeciem proximioris partis obiecti, ac ad producendam ſpeciem remotioris; nam ad quamuis partem ſpeciei con-

concurrunt ſimul per te omnes partes obiecti: deinde hæ non aliter applicatæ ſunt potentiæ viſiuæ ad producendam ſpeciem remotioris partis obiecti, ac ad producendam ſpeciem proximioris, vt conſtat: ergo æqualis intenſio ſpeciei producetur reſpectu omniũ partium obiecti: ergo æque clare videbuntur omnes: at contrarium conſtat experiẽtiâ: ergo non concurrunt omnes indiuiſibiliter ad producendas ſingulas partes ſpeciei; ſed ſingulæ partes obiecti producunt ſingulas partes ſpeciei ſibi reſpondentes. Et hinc oritur, quod partes proximiores obiecti, vtpotè quæ ſunt magis applicatæ viſui, producunt intenſiorem ſpeciem ſui, quam partes remotiores, & propterea illæ clarius videntur, quam iſtæ.

77 Secundo probatur concluſio: quia obiectum eximiæ magnitudinis longe diſtans non minus clare videtur (vel ſaltem paulo minus clarè) ſi partes eius ſint diuerſi coloris, & figuræ, quam ſi ſint eiuſdem, vt conſtat experientiâ: ſed, quando partes ſunt diuerſi coloris, & figuræ, non poſſunt mutuo ſe iuuare ad producendas ſpecies ſingularum: ergo neque quando ſunt eiuſdem. Minor verò probatur: quia obiectum producit ſui ſpeciem (quę quidem eſt imago propria illius) vt prototypus repræſentandus per illam: ergo, ſicut inter prototypos imaginum artificialium nullus concurrit ad producendam imaginem alterius omnino diuerſi; ita neque obiectum vnius coloris concurret ad producendã ſpeciem alterius omnino diuerſi.

78 Ad argumentũ primæ ſententiæ propoſitæ num. 64. communiter reſponderi ſolet ab authoribus noſtræ, multitudinem granorum eſſe conditionem, vt quoduis granum producat ſpeciẽ ſui intenſiorem, & ad maiorem diſtantiam, quam produceret, ſi non eſſet coniunctum cum alijs; vnde oritur, quod cumulus tritici ad maiorem diſtantiam percipiatur, quam ſingula grana ſeorſim poſita. Hæc tamen ſolutio mihi diſplicet: quia ex ea infertur, granum exiſtens in ea diſtantia, in qua videri poſſet abſque alijs, clarius, & diſtinctius videndum fore, quo plura grana illi adiungerẽtur: atqui contrarium conſtat experientiâ, quâ nouimus, granum, quod antea ſeorſim videbatur, non videri clarius, & diſtinctius, etiamſi plura alia illi poſtea coniungantur: ergo coniunctio plurium granorum non eſt conditio, vt quodlibet ſeorſim producat ſpeciem ſui intenſiorẽ, quam produceret, ſi à reliquis ſeparatum eſſet. Maior eſt certa: quia poſitâ ſpecie intenſiori eiuſdem obiecti, clarius videtur tale obiectum ab eadem potentia: ſed prædictum granum ex conuentu aliorum determinatur per te ad producendam ſpeciem intenſiorem ſui: ergo alijs aduenientibus videretur clariùs.

78 Reſpondeo ergo cum P. Rub. ſupra num. 91. & 92. rationẽ experientiæ ibi adductæ eſſe: quia

plures ſpecies remiſſæ, quarum ſingulæ ſeorſim non ſufficerent, vt potentia eliceret viſionem cuiuslibet grani ſeorſi n exiſtētis, vel ſaltem, vt illud diſcerneret ab alijs obiectis, quæ in eodem medio conſpiciuntur, omnes ſimul coniunctæ determinant potentiam, vt & viſionem eliciat totius cumuli granorum ſimul, & illum diſcernat à reliquis obiectis, quæ in eodem medio conſpiciuntur. Itaque ſpecies exigui obiecti distantis, aliquando eſt ita remiſſa, vt vel non poſsit meam potentiam excitare ad viſionem ſui obiecti, vel ſaltem ita debilem viſionem excitet, vt nō poſsit diſcernere illud obiectum à reliquis alijs in eo medio exiſtentibus; ſi tamen illi obiecto adiungantur alia, quæ cum illo vnam, vel quaſi vnam magnitudinem cōſtituant, ſingula producent in mea potentia ſpecies ſui remiſſas, ex quarū coniunctione determinabitur mea potentia ad producendam viſionem illius magnitudinis, quæ quidem ſufficiet, vt diſcernere poſsim talem magnitudinem à reliquis obiectis exiſtentibus in eo medio.

79 Id explicari poteſt exemplo animæ diuiſibilis, cuius partes ita connexæ ſunt inter ſe, vt ſingulæ non poſsint partes materiæ ſibi reſpondentes informare, niſi in conſortio aliarum. Itaque pars animæ capitis nō poteſt ſuam materiam informare, niſi vnita ſit reliquis partibus animæ, quæ partes materiæ ſibi reſpondentes informent, vt concedunt omnes, non quia informatio animæ capitis intrinſece augeatur ex informatione aliarum partium animæ: ſed quia vnio vnius partis animæ cum reliquis eſt conditio, ſine qua non poteſt informare ſuam partem materiæ, eo modo, quo diximus in libris de Gen. diſp. 7. ſect. 2. n. 14.

80 Idem ergo dicimus de ſpeciebus impreſsis determinantibus potentiam ad viſionem; quia, licet viſio cuiuslibet grani, ſi ſit intenſa, poſsit dari in potentia viſiua ſine viſionibus aliorum; attamen, ſi remiſſa ſit, non poteſt dari niſi coniuncta (vel ſaltem non poteſt per illam granum illud diſcerni ab alijs obiectis) cum viſionibus aliorum granorum, & propterea ſpecies remiſſa vnius grani non poteſt ſe ſolā determinare potentiam vllo modo (vel ſaltem ad viſionem, per quam granum illud diſcernatur ab alijs obiectis in eo medio exiſtentibus) ſine ſpeciebus impreſsis aliorum, non quia reliquæ ſpecies determinent potentiam ad hoc, vt eliciat intenſiorem viſionem primi grani, quam aliàs eliceret; ſed quia viſio primi grani eſt talis naturæ, quæ, ſi remiſſa ſit, non poſsit dari in potentia viſiua (vel ſi detur, ita tamen, vt diſcerni nequeat per illam granum illud ab alijs obiectis ibi exiſtentibus) niſi coniuncta cum viſionibus aliorum granorum, vt dicebamus de partibus animæ.

81 Aduertendum tamen eſt, quod, ſi plura grana dentur ſeparata adinuicem per magnam diſtantiam, ſpecies eorum exiſtentes ſimul

ſimul in potentia non determinabunt hanc ad eliciẽdam viſionem, per quam ipſa grana diſcernantur ab alijs obiectis interiectis: quia, vt ſpecies illę determinent potentiam ad viſionem diſcretiuam, eſt neceſſariũ, quod præter plura grana repræſentent præſentias aliorũ granorum inter ſe contiguas, vel non multum diſtantes, vt conſtat experientiã.

82 Hinc oritur, quod à magna diſtantia clare videam, & diſcernam ea omnia obiecta ſecundum eam rationem, ſecundũ quam ſunt ſimilia inter ſe; non verò ſecundũ rationes particulares, per quas ab ſe ſe mutuò diſsident; quia, videlicet, cum ſpecies, quas in mea potentia producunt, omnes repræſentent eam rationem, in qua ſunt ſimilia talia obiecta, omnes ſimul excitant potentiam, vt ea omnia videat, & diſcernat ſecundum eam rationem, in qua aſsimilantur; at verò rationes, per quas ſingula obiecta mutuo diſsident inter ſe, non repræſentantur, niſi per ſpecies proprias ſingulorum: & ideo ex coniunctione omnium nihil accreſcit ſingulis, per quod determinari, ſeu excitari ſufficienter poſsit potentia ad percipiendas, ſeu diſcernẽdas rationes proprias, & particulares talium obiectorum. Hinc eſt, quod, ſi omnia obiecta ſint diuerſi coloris, ſolum percipio, ſeu diſcerno vnam, vel quaſi vnam magnitudinem ex omnibus reſultantem, & ideo ſæpe ideo montem longe diſtantem, uin diſcernam, an ſit arboribus conſitus, vel alijs rebus exornatus. Si tamen omnino obiecta vno conſtent colore, albedine, v.g. non ſolum percipio quaſi vnam magnitudinem ex omnibus reſultantem; ſed clare diſcerno albedinem exiſtentem in omnibus, vt contingit, quandò à longè video niuem montibus inſidentem.

83 Ad confirmationem adductam pro prima ſententia, conceſſo antecedente, nego conſequentiã. Diſparitas eſt clara: quia ex vna parte ſingulæ partes caloris continent in ſe effectum producendum in manu applicatæ; ex alia verò pare te omnes applicantur ita, vt diuiſibiliter operari nequeant, vt probatum eſt in lib. de Gen. diſp. 3. ſect. 4. atque adeò omnibus debetur circa ſubiectum applicatum concurſus indiuiſibilis aliàs non repugnans, vt ibi probatum eſt: at verò partes eiuſdem obiecti neque repræſentari poſſunt eâdem ſpecie indiuiſibili, vt probatum eſt in 1. concl. neque, ſi diuerſis partibus repræſententur, poſſunt ſe mutuò iuuare ad ſingulas producendas, vt probatum eſt in 2. concluſ. & ideo non poteſt concedi partibus obiecti concurſus indiuiſibilis in ſpeciem.

84 Ex dictis infero 1. in quauis parte, imò & in quouis puncto huius medij (& idẽ eſt de partibus, & pũctis potẽtiæ viſiuę) dari ſimul ſpecies omniũ partiũ extenſionis, & omniũ indiuiſibiliũ illius albedinis. Ratio eſt clara; quia ex quauis parte, & ex quouis pũcto huius medij videri poteſt tota illa albedo:

ergo cum ſingulæ albedinis partes, & ſingula indiuiſibilia videri debeant per diuerſas ſpecies, neceſſarium eſt, quod in quauis parte medij dentur ſpecies ſingularũ partium, & indiuiſibilium obiecti. Hæ tamen ſpecies repræſentantes diuerſas partes, & indiuiſibilia albedinis non conſtituent vnam intenſionem in ſubiecto: quia, licet ſint in eadem parte ſubiecti; tamẽ non ſunt circa idem omnino obiectum, quod neceſſarium erat, vt vnam intenſionem ſubiectiuam conſtituerent, vt admittunt omnes.

85 Infero 2. ſingulas parteſ ſpeciei repræſentantes in hac parte medij ſingulas partes albedinis poſſe admittere intenſionem, & remiſsionem ſubiectiuam. V.g. ſi albedo conſtet quatuor partibus extenſionis, dabuntur in hac parte medij quatuor partes ſpeciei repræſentantes quatuor illas albedinis, & quælibet ex illis partibus ſpeciei poterit intendi vſque ad octauum gradum; & remitti vſque ad primum. Ratio eſt: quia, quo magis ſeparatur albedo ab hac parte medij, obſcuriùs videntur omnes eius partes à potentia in ea exiſtente; &, clariùs, quo magis illi apropinquatur (in debitâ diſtantiâ) ergo ſpecies repræſentantes ſingulas partes albedinis admittunt intenſionem, ratione cuius ſingulæ partes albedinis videantur clariùs in vno caſu, &, remiſsionẽ, ratione cuius obſcuriùs videantur in alio.

86 Id, quod dictum eſt de ſpeciebus repræſentantibus parteſ extenſionis albedinis, dicendum etiam eſt de ſpeciebus repræſentantibus partes intenſionis eiuſdẽ albedinis: quia, cum ex qualibet parte medij videantur omnes gradus albedinis (ſupponamus eſſe octo) in quauis parte medij debent dari octo partes ſpeciei, quarum ſingulæ repræſentent ſingulos gradus albedinis, quæ quidem dicuntur partes intenſionis obiectiuæ: & rurſus ſingulę iſtę partes ſpeciei poſſunt intendi, & remitti intenſione, & remiſsione ſubiectiuâ: quia quælibet poteſt clariùs, & obſcuriùs gradum ſibi reſpondentem repræſentare.

87 Vbi aduertẽdum eſt, quod, cum gradus albedinis ſint inæquales perfectionis ſpecificæ, iuxta dicta in lib. de Gen. diſp. 2. à num. 9. ſpecies repræſentans octauũ gradum erit eſſentialiter perfectior ſpecie repræſentante ſeptimum, & ſic de reliquis: deinde gradus ſpeciei reprę ſentantis octauũ gradum albedinis, erunt ſubordinati inter ſe, & inæqualis perfectionis eſſentialis, ſicut gradus reliquarũ qualitatum. Secundo aduertendũ eſt, omnes partes ſpecierum tam intenſionis, quam extenſionis continuari inter ſe indiuiſibilibus diuerſæ rationis pro diuerſitate partium, quas continuant: in quorum numero aſsignando non immoror, quia res eſt prolixa, & nullius vtilitatis ad alias difficultates enodandas. Noui quoſdã recentiores, qui ſexaginta duo genera indiuiſibilium enumerabant in ſpeciebus.

88 Quod

88 Quod diximus de diuiſibilitate ſpecierum, dicendum etiam eſt de diuiſibilitate ſenſationum, viſionis videlicet, & auditionis, &c. Nam, ſicut in quauis parte potentiæ viſiuæ dantur ſpecies repræſentantes totum obiectum applicatum, quæ inter ſe vnitæ vnam ſpeciem adæquatam conſtituunt, ita etiam in ſingulis partibus potentiæ viſiuæ dantur ſingulæ viſiones totius obiecti, quæ inter ſe vnitæ vnam viſionem adæquatam conſtituunt in quouis oculo. Neque inde poteſt colligi, obiectum fore videndum quaſi pluries repetitum, ſeu ad modum plurium per viſiones exiſtentes in vtroque oculo, ſeu in ſingulis partibus cuiuslibet: quia idem obiectum non repræſentatur, ac ſi eſſet plura, ex eo, quod per plures, & diſtinctas viſiones percipiatur, dummodo omnes illud repræſentẽt in eadem diſtãtia: ſecùs eueniret, ſi per ſingulas viſiones in diuerſis locis repræſentaretur; tunc enim appareret multiplex.

89 Hinc eſt, quod, ſi, vno ex oculis demiſſo, pupilla alterius attollitur, vnum, & idem obiectum apparet duplex: quia oculi ratione diuerſæ poſitionis recipiunt ſpecies ab obiecto per lineas inæquales; vnus enim recipit ſpecies per lineam inferiorem; & alter per ſuperiorem: vnde oritur, quod vni ex oculis repræſentetur obiectum in inferiori loco; & alteri, ac ſi eſſet in ſuperiori (vel ſaltem taliter illi repræſentetur, vt detur occaſio intellectui ad exiſtimandum eſſe in ſuperiori loco) quia ſicut ſpecies ita repræſentãt ſuum obiectum, vt exiſtimetur eſſe in eo loco, à quo incipiunt produci, vel reflecti; ſic etiam illud ita repræſentant, vt quando per lineam ſuperiorem producuntur in vno oculo, & in alio eiuſdem animalis per lineam inferiorem, exiſtimetur eſſe duplex, vel vnum in duplici loco.

90 Rogas: an ſpecies intelligibiles habeant diuiſibilitatẽ obiectiuam? hoc eſt, an in ſpecie intelligibili dentur partes diſtinctæ reſpondentes partibus tam intenſionis, quam extenſionis obiecti? Reſpondeo affirmatiuè, ſi ſermo ſit de ſpecie intelligibili immediatè à phantaſmate productâ: quia quando partes obiecti ſucceſsiuè deteguntur in præſentia hominis illud aſpicientis, ſucceſsiuè producuntur in intellectu ſpecies talium partium diuiſibiliter illas repræſentantes; alioqui ad præſentiam cuiuſuis partis obiecti denuo detectæ corrumperetur tota ſpecies intelligibilis præexiſtens, & alia denuo produceretur, quæ omnes partes tunc temporis præſentes repræſentaret, atque adeò dum ſucceſsiuè deteguntur infinitæ partes proportionales, infinitæ etiam, vel ſaltem plures ſpecies adæquatè diſtinctæ producerentur denuò corruptis præexiſtentibus, quod quidem (ne tot multiplicentur entitates) admittendum non eſt, dum res aliter cõponi poſſunt abſque vllo abſurdo: ſed in præſenti nullum eſt abſurdum in eo, quod ſpe-

ſpecies intelligibiles conſtent diuerſis partibus, quarum ſingulæ repræſentẽt ſingulas partes obiecti: ergo admittendæ ſunt tales partes ſpeciei intelligibilis, & idem eſt de intellectionibus ex iſtis ſpeciebus reſultantibus. An veró ſpecies intelligibiles, quæ ab actibus intellectus immediatè producũtur, habeant etiam diuiſibilitatem obiectiuam? Vtraque pars cõtradictionis probabiliter dici poteſt, ſi actus habeant talem diuiſibilitatẽ, quia ex neutra parte vllũ deducitur inconueniens. In quãnam veró partẽ ego magis incliner? coſtabit ex infra dicendis. Si veró actus nullam habeat diuiſibilitatem, producet ſpeciem omnino indiuiſibilem, quia non eſt ratio, cur eam producat diuiſibilem.

DISPVTATIO VIII.

De Potentijs animæ vegetatiuæ.

PEractis ijs, quæ ad rationem animæ in communi, & eius potentias pertinent, gradum facit Ariſt. in hoc lib. 2. cap. 4. ad potentias ſingularum ſpecierum animæ explicandas: &, vt doctrinæ ordinem, & naturæ ſeruet, initium ſumit à potentijs animæ vegetatiuæ, quia hæc, vtpotè vniuerſalior reliquis, eſt quidem & nobis, & naturâ notior. Nos autem ordinem Philoſophi ſeruabimus in præſenti.

SECTIO VNICA.

Quot ſint potentiæ animæ vegetatiuæ, & quæ eius munera?

1 TRia munera vegetatricis animę recẽſuit Ariſt. hîc c. 4. *Nutritionẽ*, videlicet, *Accretionẽ*, & *Generationẽ*; quarũ prima pertinet ad conſeruationẽ indiuidui, à quo procedit: ſecũda ad eius perfectionẽ ſecundũ mẽbrorũ magnitudinẽ: tertia ad ſpeciei propagationẽ, ac eius conſeruationẽ. Pro his functionibus obeũdis tres aſsignari ſolent potẽtiæ animæ vegetatiuæ, Nutritiua videlicet, Augmẽtatiua, & Generatiuâ. Ad nutritiuã pertinet nutritio (actio, per quã viuens nouam partẽ ſubſtantię viuentis ſibi acquirit) cum omnibus operationibus, quæ in viuente iam genito præuiæ ſunt ad ipſam nutritionẽ, ſeu illã comitantur: & ideo propriũ huius potentiæ eſt cibum in ſtomachũ traijcere, illũ ibi coquere; ad hepar inde tranſmittere, & in ſanguinẽ cõuertere; & ſic cõuerſum omnibus corporis partibus per venas cõmunicare, vt ſingulæ partẽ ſibi congruentẽ in ſe cõuertant, ita vt partes redũdãtes aliò mittant, ac excremẽta à ſe pellãt. Augmentatiuæ eſt propriũ partes viuentes augere vſque ad debitam proportionẽ, & magnitudinẽ à viuente requiſitã ad ſuas functiones perfecte obeundas. Ad generatiuã deniquè ſpectat ſemen cõſtruere, illudque decidere, vt materiã præparet ad prolis formationẽ, & generationẽ eo modo, quo diximus in lib. de Gener.

2 Eſt tamen difficultas 1. an hæ potentiæ diſtinguãtur à tẽperamẽto primarũ qualitatum in ſingulis membris viuentis reſidente, ſeu à calore naturali proprio ipſius viuẽtis. Circa quã nonnulli recẽtiores exiſtimant, has potentias nõ diſtinGui à tẽperamẽto primarũ qualitatum, ſeu à calore naturali. Hãc ſententiam tenuit olim Comment. 4. Met. c. 2. & illi ſubſcripſit Zimar. Theor. 73. Probant 1. ſuam ſententiam ex Ariſt. quia concoctio alimenti, & augmẽtatio viuentis ſunt actus proprij potentiæ nutritiuæ, & augmentatiuæ: atqui hos actus tribuit Ariſt. calori naturali tãquã propriæ cauſæ illorũ: ergo ſentit, potentiã nutritiuã, & augmentatiuam nihil aliud eſſe præter calorẽ naturalem. Minor conſtat ex c. 4. lib. 2. de Ani. tex. 50. vbi cõcoctionem alimẽti tribuit calori naturali: & lib. de Senſ. & ſenſib. cap. 4. poſt medium ait, calorem naturalẽ eſſe cauſam augmentationis, & nutritionis: & idem docet lib. 3. de Partib. anim. cap. 6. circa finem.

3 Deinde probatur ratione: quia potẽtia nutritiua eſt illa, quæ diſponit alimentũ, & illud conuertit in ſubſtantiã viuentis: atqui hoc præſtat calor naturalis, ſeu temperamentũ cuiuslibet viuẽtis: ergo potentia nutritiua nihil aliud eſt niſi calor naturalis, aut temperamentũ viuẽtis. Minor probatur: quia alimentum non aliter diſponitur ad formam viuentis, niſi per introductionem diſpoſitionis, ac tẽperamenti ſimilis tẽperamento viuentis: atqui tẽperamentũ viuẽtis introducit in alimento ſibi ſufficienter applicito aliud tẽperamentum ſimile, quia omnes primæ qualitates, ex quibus tẽperamentũ coaleſcit, ſunt productiuæ aliarũ ſibi ſimilium: deinde idem tẽperamentũ conuertit alimentũ in ſubſtantiam viuentis introducendo in materia formã ipſius viuentis, quia ad eandem cauſam, quę diſponit ſubiectũ pertinet introducere formam, ad quam dirigitur talis diſpoſitio: ergo temperamentũ viuentis præſtat omnia munera potẽtiæ nutritiuæ, ac per conſequens non diſtinguitur realiter ab illa.

Potẽtia nutritiua diſtinguitur realiter à temperamento.

4 Dico 1. Potẽtia nutritiua diſtinguitur realiter à tẽperamento primarũ qualitatũ, & à calore naturali. Ita cõmuniter authores, quos refert, & ſequitur P. Rub. lib. 2. de An. c. 4. q. 1. Probatur: quia præcipuus actus potẽtiæ nutritiuæ eſt cõuerſio alimẽti in ſubſtantiã viuẽtis: ſed iſte actus nõ poteſt tribui calori naturali, aut temperamẽto viuentis: ergo aſsignãda eſt alia potentia, ad quã pertineat. Maior eſt certa. Minor probatur: quia cõuerſio alimẽti nõ aliter fit, niſi per productionẽ formę viuẽtis in materia alimẽti, & vnionẽ eius cũ ipſo viuente: atqui iſte effectus vtpotè ſubſtãtialis nõ poteſt oriri à calore naturali, ſeu à tẽperamento, cũ hæc ſint accidentia: ergo debet dari alia potẽtia perfectior, à qua oriatur. Videantur, quæ diximus in Phyſ. diſp. 13. n. 17. Idẽ dixerim de cõuerſione alimẽti remotì in

in alimentum proximum, vt eſt cõuerſio chili in ſanguinem, quæ fit in hepate in alimentum proximũ ipſius hepatis; &, conuerſio ſanguinis in medullam, quę fit in oſsibus in alimentum proximum ipſorum oſsium, &c. hæ enim conuerſiones, ſi fiunt per introductionem nouæ formæ ſubſtantialis, vt ego exiſtimo fieri, non poſſunt oriri à potentiâ accidentali, vt conſtat ex dictis.

5 Hinc colligo 1. potentiam nutritiuam, & conuerſiuã alimenti remoti in proximum eſſe entitatẽ ſubſtantialẽ: quia effectus ſubſtantialis, qualis eſt is, quem diximus eſſe proprium potentiæ nutritiuæ, nõ poteſt oriri niſi à ſubſtãtia, iuxta dicta in Phyſ. diſp. 13. n. 17. Colligo 2. potentiã nutritiuã ſecundũ vim actiuam (& idem eſto de conuerſiua alimenti remoti in proximum) non diſtingui ab anima; quia non eſt in viuente alia ſubſtantia, à qua poſsit oriri nutritio ſubſtantialis. Colligo 3. calorem naturalem, & temperamentũ viuentis nõ aliter concurrere ad nutritionem, niſi diſponendo materiam alimenti ad hoc, vt viuens producat in illa ſuam formã, vel ſaltẽ illi vniat per vnionem ſubſtantialẽ. Ad eum modum, quo diximus in Phyſ. loco cit. calorem ignis non aliter concurrere ad productionem alterius ignis, niſi introducendo diſpoſitiones in materia, vt hâc diſpoſitâ ſubſtantia ignis producat formã ſibi ſimilem in eâ materiâ.

6 Hinc eſt, quod, dum Ariſtoteles tribuit calori naturali concoctionem alimenti, augmentationem viuentis, &c. non loquitur de cauſa immediatè producente; ſed de inſtrumentali diſponente materiam ad formã ſubſtantialẽ: cum autem potentia nutritiua debeat eſſe illa, cui nutritio reſpondet, nõ tanquam inſtrumento diſponenti; ſed tanquam immediatè producẽti, fit, vt calor naturalis non poſsit eſſe potẽtia nutritiua. Ex quo etiã cõſtat ad rationem adductam pro oppoſita ſentẽtia: verum enim eſt, quod ad potentiam nutritiuã pertinet diſponere alimentũ, & illud conuertere in ſubſtantiam viuentis; cum hoc tamen diſcrimine, quod diſpoſitionem non cauſat immediatè; ſed medio ſuo temperamento, ſicut ignis medio ſuo calore diſponit lignum ad formã ignis; at formam viuentis in materia iam diſpoſita cauſat immediatè per ſe ipſam, ſicut ignis per ſe ipſum immediatè producit formam ignis in materia ligni iam diſpoſita.

7 Quod verò attinet ad effectus attrahendi alimentũ, retinẽdi vtile, & expellendi inutile, arbitror eos non oriri à forma ſubſtantiali viuentis immediatè; ſed à temperamento cuiuslibet partis, vel à qualitate aliqua ſecunda ex illo promanante. Cuius ratio eſt: quia debilitato temperamento, etiamſi ibi anima perſeueret, debilitatur virtus attractiua, & expulſiua cuiuſuis partis: ergo ex eo eſt, quia talis virtus cõſiſtit in ipſo tẽperamẽto, vel in aliqua virtute ab eo pendente in ſuo eſſe, & operari.

Poten-

Potentia augmentatiua qua ratione diſtinguatur à nutritiua?

8 DIco 2. potentia augmentatiua includit nutritiuã, & aliquid aliud addit ſupra illam. Explicatur, & probatur hæc concluſio. Augmentatio, vt dictum eſt in lib. de Gen. diſp. 8. ſect. duas actiones includit eſſentialiter, nutritionem videlicet, & vnitionem quantitatis alimenti cum quantitate viuentis. Vt dicit nutritionẽ, oritur á potentia nutritiua: vt vnitionem vero, oritur ab indiuiſibili materiæ, à quo emanat vnio illarum quantitatum tanquam paſsio illius, iuxta dicta in Phyſ. diſp. 2. ſect. vltima, & ideo potentia augmentatiua coaleſcit ex nutritiua, & ex materia, ſeu indiuiſibili materiæ, à quo producitur vnio quantitatum.

9 Dices augmentatio non durat toto tempore vitę viuentis; nutritio, & vnitio quãtitatum durãt toto tempore vitæ: ergo ſeparantur iſti actus ab augmentatione: ergo hæc vel eſt adæquatè diſtincta ab illis, vel ſaltem aliquid aliud præter illa inuoluit; ac perconſequens orietur à potentiã aliã diſtinctã. Reſpondeo, augmẽtationem duo inuoluere, nempe & acquiſitionem nouæ partis quã titatis viuentis; & quod per huius acquiſitionem viuens maius euadat, quam antea. Primum durat toto tempore vitæ; ſecus ſecundum. Cæterum id non prouenit ex eo, quod in viuente deficiat aliqua potentia ſeù aliqua actio acquiſitiua, quæ anteà eſſet; ſed ex eo, quod viuens, dum nouam partem quantitatis acquirit, aliam æqualem, ſeu maiorem deperdit è propriâ ſubſtantia per reactionem alimenti, & contrariorum; quia virtus natiua viuentis non eſt tam robuſta ad reſiſtendũ, ac erat antea. Quod quidem non tam eſt amittere potentiã antea exiſtentem, quam eãdem fieri debiliorem. Et ideo nullatenus probatur, potentiam augmentatiuam diſtingui à nutritiuâ, & vnitiuâ quantitatum.

Potentia generatiua viuentis eſt idem realiter cum nutritiua.

10 DIco 3. potentia generatiua viuentis eſt idem realiter cum potentia nutritiua alicuius partis ipſius viuentis. Hanc concluſionẽ tenent Themiſt. libr. 2. de Anim. cap. 4. Titelm. in ſua Philoſ. cap. 8. Duran. in 1. diſt. 3. 2. p. q. 2. Valles. libr. 2 Controu. medic. cap. 19. & 20. P. Rub. hîc cap. 4. q. 2. PP. Connimb. ibidem q. vnic. P. Suar. de An. lib. 2. c. 10. Et eſt expreſſa Ariſtotelis ſententia pluribus in locis; ſed præcipue lib. 2. de Gener. anim. cap. 4. ante medium, vbi ait eandem facultatem animæ vegetatiuæ generare ſibi ſimilem, & augere: & in hoc lib. 2. de An. cap. 4. tex. 4. ait eandem potentiam animæ eſſe vegetatiuam, & generatiuam.

11 Pro explicatione, & probatione huius ſententiæ Noto 1. tres

tres functiones pertinere ad potentiam generatiuam. Prima eſt productio ſeminis; ſecunda formatio membrorum fœtus; tertia introductio animæ prolis in materiâ diſpoſitâ. Prima prouenit immediate à potentia generatiua viuentis. Secunda à parte ſpirituoſa ſeminis. Tertia vel à generante, ſi ſit præſens, vel (ſi abſens) à Deo operante vt primâ cauſâ ad exigentiam vltimæ diſpoſitionis materiæ fœtus. In hoc omnes conueniunt.

12 Noto 2. humores, & ſubſtantias liquidas in animalibus contentas; vt ſunt chilus, ſanguis, lac, ſpiritus vitales, & animales, ſemen, &c. non produci immediate ab omnibus partibus viuentis; ſed ſingulas à ſingulis; chilus enim à ventriculo producitur; ſanguis ab hepate; lac ab vberibus; ſpiritus vitales à corde; animales à cerebro, &c. Id conſtat experientiâ, qua nouimus, officinas horum humorum eſſe apud has partes, & non apud alias, quod aliunde prouenire nequit, niſi ex eo, quod ab his partibus, & non ab alijs tales humores conficiuntur. Noto 3. ſingulas ex his partibus immediatè nutriri tanquam alimento proximo ſubſtantiâ illâ liquidâ, quã immediate producũt. Ex. gr. ventriculus immediatè alitur, & nutritur chilo; hepar ſanguine; vbera lacte; cor ſpiritibus vitalibus, &c. Id, quod efficaciter colligitur ex accidentibus, quibus prædictæ partes vigent, valde ſimilibus accidentibus liquorum, quos apud ſe habent: vbera enim pollent albedine propria lactis; hepar rubore proprio ſanguinis; & ventriculus albore proprio chili &c. In hæc omnes medici, & philoſophi conueniunt.

13 Noto 4. proprium eſſe potentiæ nutritiuæ ſingularum partium non ſolum conuertere alimentum proximum in ſubſtantiâ viuentis; ſed etiam alimentum remotũ in proximũ conuertere. Ex gr. Non ſolum eſt proprium potentiæ nutritiuæ hepatis ſanguinem (qui eſt alimentum proximũ illius) conuertere in propriam ſubſtantiam; ſed etiam chilum in ventriculo productum (qui eſt alimentũ remotũ ipſius) ad ſe tractum conuertere in ſanguinem. Id admittitur ab omnibus; & quidem merito: tum quia non ſunt multiplicandæ entitates, aut potentiæ abſque vrgenti neceſsitate; quæ quidem nullatenus in præſenti vrget ad duas potentias diſtinguendas: tum etiam quia alimentum remotum diſponitur ad conuerſionem in proximum per accidentia valde aſſimilia accidentibus partis nutriendæ: ergo à temperamento talis partis diſponitur immediate ad eam conuerſionem: ergo & talis conuerſio fit immediatè ab ea parte; neque enim eſt maior ratio vnius, quam alterius. His poſitis.

14 Probatur concluſio, nempe potentiam generatiuam nõ diſtingui à potentiâ nutritiuâ illius partis, ad quam pertinet immediatè productio ſeminis; quia potentia

tia generatiua viuentis conſiſtit in potentia productiua ſeminis, vt conſtat ex notabili primo: ſed potentia productiua ſeminis non diſtinguitur à potentia nutritiua illius partis, apud quã ſemen ipſum producitur, vt conſtat ex notabili 4. ergo potentia generatiua non diſtinguitur à potentia nutritiua illius partis.

15 Ex his colliges 1. cur aliqua animalia non generent ſibi ſimile: id enim prouenit vel ex eo, quod careant parte productiuâ ſeminis, ac perconſequens careant potentia generatiua (talia ſunt frequenter ea, quæ non generantur ab alijs; ſed ſolum ex putrefactione terræ, aut aliquorum mixtione generari ſolent) vel ex eo, quod non habeant in ea parte temperamentum ſufficiens ad perfecte elaborandum ſemen: nam, cum ad productionem ſeminis non ſolum requiratur potentia ex ſe productiua formæ ipſius ſeminis; ſed etiam virtus immediatè diſponens materiam ad talem formam; & hæc virtus ſit temperamentum ipſius partis productiuæ ſeminis, vt conſtat ex num. 6. neceſſarium eſt, quod, ſi ea pars tali temperamento careat non poſsit defacto producere ſemen aptum ad fœtus formationem. Colliges 2. potentiam generatiuam arborum eſſe eam partem, quæ producit immediatè fructus, quia in iſtis continetur ſemen aptum ad generationem aliorum ſimilium.

An generato ſit naturaliſsimum opus viuentis?

16 Secundò eſt difficultas: qua ratione ſit verum id, quod dixit Ariſt. hic cap. 4. tex. 34. *Naturaliſsimum opus viuentis eſt generare ſibi ſimile?* Pro cuius enodatione aduerto, hic loqui Ariſt. de viuentibus, in quibus ineſt potententia generatiua. Deinde in iſtis duplex ſtatus conſiderari poteſt: Vnus imperfectus, qualis eſt infãtia, & pueritia. Alter perfectus, qualis eſt ætas prouecta, & ad generandum accommodata. Et quidem certum eſt, Ariſtotelem non loqui de ſtatu imperfecto viuentis: neque enim in eo ſtatu natura inclinare poteſt viuentia ad generationem, ad quam pro eo tempore potentiam vel ſaltem diſpoſitiones ad eam actionem requiſitas denegauit.

17 Solũ ergo loquitur Philoſophus de ſtatu perfecto viuentis. In quo aliqui ita explicãt Ariſtotelẽ vt τὸ *naturaliſsimũ* non ſumatur cõparatiuè; ſed abſolutè, ita vt ſolũ velit, quod ſit valde naturale viuẽti generare ſibi ſimile. Cęterũ licèt in hoc ſenſu ſit vera Ariſtotelis propóſitio, non tamen videtur eſſe ad mentẽ Philoſophi prædicta explicatio: quia, cum ibi ageret Ariſtoteles de operationibus animæ vegetatiuæ; & inter eas naturaliſſimam vocaret generationem, cõparatiue loqui credendus eſt.

18 Propterea alij docẽt, ideò generationem dici naturaliſsimũ opus viuentis relatè ad nutritionem, & augmentationem, quia hæ ten-

tendunt ad conſeruationē, & perfectionem cuiuſque indiuidui; generatio vero ad conſeruationem ſpeciei. Cum autem conſeruatio ſpeciei, vt potè commune bonum, ſit maius, quam conſeruatio indiuidui, quæ eſt bonum particulare, ideo natura dicitur magis inclinari in illud, quàm in hoc. Non placet hæc ſententia: quia non minus conducit ad conſeruationem ſpeciei conſeruatio generātis, quam productio geniti, vt ex ſe patet: ergo nutritio viuentis, quæ tendit ad conſeruationem generantis, non minus reſpicit commune bonum, quam generatio alterius: ergo non eſt, cur hæc operatio dicatur naturaliſsima præ illâ.

19 Dicendum ergo eſt ideo generationem dici naturaliſsimum opus viuentis, quia, cum vnumquodque ex natura ſua inclinetur in perpetuam ſui conſeruationē, & hanc non poſsit obtinere in ſe ipſo, conatur in prolem vt in ea tanquam in aliquo ſui perpetuitatem obtinere poſsit. Hæc eſt expreſſa mens Philoſophi: nam paulo poſt illa verba ſubiungit apud Conimbricenſem translationem: *Vnumquodque, inquam, aliud ſibi ſimile procreare, animal quidē animal; plāta autem plantam, vt ſint ſemper hoc pacto, conditionemque ſubeant, quoad poſsint, Diuinā*: Ac ſi diceret: ex eo appetunt viuentia generationem ſimiliū, quia illius interuentu, quoad poſsint, perennitatē obtinere intendunt, & æmulari immortalitatē Diuinæ naturæ, ad quam ingenitā propenſione aſpirant. Dicuntur autem viuentia perpetuitatem obtinere ratione prolis, quia cum hæc fiat ex aliquo, quod erat pars vtilis generāti, vt dictum eſt in libr. de Gener. quotieſcumque fœtus durat, cenſetur in eo durare generans tanquam in aliquo ſui. Quod quidem non inuenitur in non viuentibus, quia hæc non generantur ex aliqua parte vtili cauſæ producentis.

DISPVTATIO IX.

De Senſu, & ſenſibili.

POſt cognitionem potentiarum animæ vegetatiuæ ſuccedit diſputatio de ſenſitiua, & eius potētijs. Et 1. occurrunt inueſtiganda ea, quæ de ſenſu in communi, & obiecto ſenſibili dici poſſunt, quæ in hac diſputatione pertractabimus acturi poſtea de ſenſibus in particulari.

SECTIO I.

Quid ſit ſenſus, & quotuplex?

1 SEnſus definiri ſolet *Potentia vitalis cognoſcitiua materialis*. Loco generis ponitur *Potentia vitalis*, in quo conuenit ſenſus cum reliquis potentijs vitalibus. Additur *cognoſcitiua*, vt diſtinguatur à potentijs animæ vegetatiuæ, ab appetitu ſenſitiuo, & vo ūtate. Et denique dicitur *materialis*, vt ab intellectu diſcernatur. Hæ potēriæ iuxta dicta diſp. 6. ſect. 2. non diſtinguuntur ab ea parte

te viuẽtis, in qua ſua munera exercent, quia animam includunt vt potentiam effectiuam ſenſationis, & materiam vt potẽtiam receptiuam ſimul cum anima, vt ibi dicebamus: & propterea ſenſus eſt potentia actiua ſimul, & paſsiua ſenſationis, vt probatum eſt *diſp.6. ſect.1.*

2 Senſus diuiditur in internũ, & externum. Externus dicitur, qui reſidet in extimis partibus corporis: Internus, qui in interioribus. Rurſus externus diuiditur in quinque, ſcilicet in *viſum, auditum, olfactum guſtum, & tactum*. Hæ ſunt potentiæ realiter diſtinctæ inter ſe tam in homine, quam in brutis: cum hoc tamen diſcrimine, quod in homine diſtinguuntur realiter ratione ſolum materiæ; in brutis vero non ſolum ratione materiæ; ſed etiam ratione formæ; cum hæc etiã ſit diuiſibilis in brutis. Tactus vero ita diſtinguitur à reliquis, vt ſit idem realiter cũ ſingulis in ea parte, in qua ſinguli reſident, cum omnes partes corporis tranſcendat. Senſus internus ſolet diuidi in ſenſum cõmunem; phantaſiam, imaginatiuam, æſtimatiuam, & memoriam. De quibus eſt controuerſia, an realiter diſtinguantur? Dirimẽda tamen diſp. 11.

SECTIO II.
Quid, & quotuplex ſit ſenſibile?

3 EX dictis circa naturam ſenſus facile colligitur, quid ſit ſenſibile: eſt enim id, quod poteſt percipi per ſenſum. Neque poteſt aliter ſic in genere declarari. Poteſtque ſumi fundamentaliter, & formaliter. Fundamentaliter ſenſibile dicitur intrinſeca entitas rei ex ſe capacis, vt percipiatur per ſenſum; vt, color, ſonus, &c. qui ex ſe ſunt capaces, vt percipiantur per viſum, & auditum. Formaliter ſenſibilis dicitur ipſa entitas rei ſenſibilis prout ita denominata à ſenſatione poſsibili, per quam percipi poteſt. In præſenti ergo agimus de ſenſibili fundamentaliter ſumpto.

4 Hoc autem ſenſibile aliud dicitur per ſe; aliud per accidens. Senſibile *per ſe* dicitur illud, quod poteſt immediatè percipi per ſenſationem. Ita que, vt aliquid *per ſe* ſentiri dicatur, eſt neceſſariũ, quod entitas eius per ſenſationem repræſentetur. Senſibile *per accidens* dicitur illud, quod, licèt non percipiatur immediatè per ſenſationem; dicitur tamen percipi, quia ſub eo, quod per ſe percipitur, continetur: ſic paries contentus ſub albedine dicitur videri, viſã albedine in illo exiſtente, etiamſi immediatè non attingatur per viſionem.

5 Rurſus ſenſibile *per ſe* diuiditur in ſenſibile *proprium*, & *commune*. Hæc diuiſio ſolum comprehendit ſenſibilia ſenſuum exteriorum. Senſibile *proprium* dicitur, quod ab vno tantum exteriori ſenſu poteſt percipi, vt, albedo dicitur ſenſibile *proprium* viſus, quia à viſu ſolùm percipi poteſt. Vbi aduerte hìc tantùm excludi reliquos ſen-

ſenſus exteriores, nam certum eſt ſenſibile *proprium* cuiuſuis ſenſus externi poſſe percipi à ſenſu interno. Senſibile *commune* dicitur illud, quod à pluribus, vel aliquibus ſenſibus externis poteſt percipi: tales ſunt *magnitudo, numerus, motus, &c.* quæ à *viſu, tactu, auditu, &c.* percipiuntur.

6 Non me latet, Côment. 2. de An. tex. 65. & alios exiſtimaſſe ea, quæ vocantur ſenſibilia communia, ideo ita dici, quia à ſolo ſenſu interno, qui communis appellatur, percipiuntur. Sed hi communiter reijciuntur ab authoribus, & meritò: quia certùm eſt, ſenſibilia communia ab Ariſtotele recenſita percipi à ſenſibus externis; vt, *magnitudinem, motum, &c.* quia viſus percipit non ſolum albedinem; ſed etiam eius magnitudinem, motum, aut quietem; &, tactus etiam percipit magnitudinem corporis calidi, aut frigidi, &c. vt experentiâ conſtat: ergo non poſſunt ita dici, quia à ſolo ſenſu communi percipiatur.

SECTIO III.

Quot ſint ſenſibilia communia?

8 QVinque ſenſibilia communia recenſuit Ariſtor. hîc tex. 64. *magnitudinē* videlicet, *figuram, motum, quietem, & numerum.* Circa quæ eſt difficultas: an ſint adſtruenda plura, vel paucio ra? Nonnulli alia præter prædicta adſtruxere, nempe *diſtantiā, ſitū, aſperitatem, curuitatem, & rectitudinem*: quia experientia obſtendit, hæc omnia percipi per ſenſus aliquos externos; vt ſunt *viſus, tactus, &c.* Deinde *tempus* videtur addidiſſe Ariſt. 4. Phyſ. tex. 98. vbi ait, per ſenſus percipi. Alij putarum *numerum, motum, & quietem*, excludenda eſſe à numero ſenſibilium communium, & ideò duo tantùm aſſerenda eſſe, nempè *magnitudinem, & figuram.* Horum fundamentum eſt: quia, cùm ratio formalis *motus* conſiſtat in partium ſucceſsione; &, ratio formalis *quietis* in carentia motus; & denique, *numerus* in replicatione vnius vnitatis ſuprà aliam, is ſolùm dicetur hæc agnoſcere, qui partes præteritas, & futuras; carētiam motus; & replicationem vnius partis ſupra aliam attingat: ſed hæc omnia ſuperant vires ſenſuum materialium, cum ad ſolum intellectum videantur pertinere: ergo non ſunt enumeranda ea tria inter ſenſibilia perſe ſenſuum externorum.

8 Nihilominùs dicendum eſt, omnia enumerata ab Ariſt. côprehendi ſub ſenſibili communi, neq; alia addenda eſſe diſtincta ab illis. Hoc vltimū probatur: quia *diſtantia* reduci poteſt ad *magnitudinē*: *ſitus, aſperitas, rectitudo, & curuitas* ad *figuram*: *tempus* denique ad *motum.* Neque enim ſenſus in *diſtantia* quid aliud percipit, niſi quod ſit maior, aut minor, quod certū eſt pertinere ad *magnitudinem*: neque in *ſitu, aſperitate, &c.* niſi quod extenſio eius ſit taliter diſpoſita, quod nullus dubitat pertinere ad *figuram*: neque in *tempore*

re

Digitized by Google

requid aliud percipit ſenſus, niſi partes ſibi ſuccedentes; quod ſpectat ad *motum*: ergo omnia ea ſenſibilia benè reducuntur ad enumerata ab Ariſt.

9 Deinde, quòd admittenda ſint omnia enumerata ab ipſo Ariſtot. explicatur ſimul, & probatur: quiā *motus* duo dicit, nēpe & partes ſibi ſuccedentes, & quod vna ſit præterita, & altera futura: deinde *quies* dicit perſiſtentiam in loco; & carentiam motus: & deniq; *numerus* dicit pluralitatem vnitatum, & quod conſtituant talem numerum; vt, ternarium, quaternarium, &c. Licèt ergo ſenſus non percipiat, quod vna pars ſit præterita, & altera futura; percipit tamen partes ſibi ſuccedentes, ita vt modo percipiat partem modó exiſtentē, & poſteà partē exiſtentē poſtea: deinde, licèt non percipiat carēciam formalē motus; percipit tamen exiſtētiam poſitiuam rei in vno loco toto eo tempore, quo ibi exiſtit: & denique, licèt non percipiat, an hæ vnitates conſtituant numerum ternarium, aut quaternarium; percipit tamen eas omnes vnitates, quas intellectus reducit ad numerū ternarium, quaternarium, &c. Dum autem Ariſt. hæc tria inter ſenſibilia communia enumerauit, non aliter ea ſenſibus adſcripſit, niſi ſub ea ratione, quâ diximus à ſenſibus attingi: quod quidem ſufficit, vt ad obiecta ſenſuum pertinere exiſtimentur. Qui enim partes motus ſibi ſuccedentes percipit, licèt non diſcernat, an vna præterierit, & altera futura ſit, rectè dicitur motum percipere, & ſic de alijs, vt expendenti facile conſtabit. Ex quo conſtat ad rationem adductam pro oppoſita ſententia.

Omnia ſenſibilia communia reduci poſſunt ad præſentiam, ſeu extenſionem.

10 SEcundò eſt difficultas: an prædicta quinque ſenſibilia reuocari poſsint ad vnum ſenſibile? Pro cuius enodatione noto 1. *magnitudinem* in præſenti ſumi pro extenſione locali partium ſenſibilis proprij; neque enim dum albedinem magnam videmus, quid aliud percipimus, niſi extenſionem eius ad magnum ſpatium. Noto 2. extenſionem localem cuiuſuis entitatis nihil aliud eſſe niſi præſentiam circunſcriptiuam illius, quia eſſe extenſam entitatem in loco nihil aliud eſt, niſi quòd partes eius reſpondeant diuerſis partibus ſpatij: ſed hoc habēt per præſentiam circunſcriptiuam: ergo ſunt extenſæ per illam; ac perconſequens extenſio illarum non diſtinguitur à præſentia circunſcriptiuâ. His poſitis.

11 Dicendum eſt, quinque ſenſibilia communia enumerata ab Ariſt. reuocari omnia ad extenſionem, ſeu præſentiam, per quam vel partes vnius ſenſibilis proprij ſunt in diuerſis locis; vel vnum ſenſibile proprium eſt in loco diuerſo, ac aliud. Probatur: quia ſenſus non aliter per-

percipit *magnitudinem*, niſi quatenus percipit extenſionem partium ſenſibilis proprij: deinde *numerum* non aliter percipit, niſi attingendo plura ſenſibilia propria localiter extenſa: prætereà *motum* percipit, dum duo ſaltem ſenſibilia propria ſibi appropinquantia, vel à ſe recedentia per præſentias minus, vel magis diſtantes intuetur: deinde *quietem* non aliter attingit, niſi cognoſcendo ſenſibile proprium in eodem loco perſeuerans: & denique *figuram* attingit, dum partes ſenſibilis proprij ſic vel aliter diſpoſitas in ſpatio percipit: ergo omnia ſenſibilia communia ab Ariſt. adducta reducuntur ad *præſentiam* vnius, vel plurium ſenſibilium propriorum.

12 Confirmatur: quia in magnitudine inueniuntur & partes potentes occupare, ſeu occupantes diuerſum locum; & occupatio, ſeu extenſio in loco. Si partes occupantes diuerſum locum ſint partes ſenſibilis proprij, albedinis v.gr. caloris, &c. non poſſunt pertinere ad ſenſibile commune; ſed ad proprium, vt de ſe conſtat: ſi ſint quantitatis, quæ communiter appellatur *magnitudo*, nõ poſſunt pertinere ad ſenſibile cõmune ſecundum ſe ſumptæ præſcindendo ab extenſione, quia ſenſus non aliter diſcernit magnitudinem, niſi percipiendo extenſionem partium ſenſibilis proprij: ergo extenſio ſola eſt, quæ in magnitudine habet rationem ſenſibilis communis.

13 Deinde *motus localis* (de quo eſt ſermo in præſenti) inuoluit actionem, per quam acquiritur præſentia; ipſam præſentiam; & ſucceſsionem partium conſiſtentem in eo, quod vna præterierit, & altera futura ſit: atqui ſenſus non percipit actionem formaliter vt talem, quia, dum quis naui incluſus mouetur, non ſentit ſe moueri; & nõ eſſet, cur non ſentiret talem motum, ſi actio productiua præſentiæ ſenſibilis eſſet ſecundũ ſe: neque ſenſus percipit, quod vna pars motus præterierit, & altera ſit futura, vt fatentur omnes: ergo nihil aliud percipitur in motu, niſi præſentia acquiſita per illũ. Cæterum ſenſus non diſcernet diuerſitatem præſentiarum, quæ ſucceſsiue acquiruntur per motum, niſi ſimul percipiat extremũ aliud, ad quẽ mobile accedat, vel á quo recedat per motũ, vt experientia quotidiana docet: & propterea homo incluſus in naui nõ diſcernit ſucceſsionem præſentiarum, quas tunc acquirit, quia, videlicet, non percipit aliquod aliud extremum, ad quod accedat, vel à quo recedat.

14 Quod ad *quietem*, *numerũ*, & *figuram* attinet, iam probatum eſt, non aliter pertinere ad ſenſibile commune niſi ratione vnius, vel plurium præſentiarum, quibus vnum, vel plura ſenſibilia propria extenduntur in loco: ergo ad præſentiam ſolum ſeù extenſionem vnius, vel plurium ſenſibilium propriorũ reducuntur omnia ſenſibilia communia ab Ariſtotele recenſita.

15 Dices: ſi præſentia perciperetur

Digitized by Google

perciperetur vt ſenſibile cōmune, eſſet ſenſibilis per ſe: atqui non poteſt eſſe ſenſibilis per ſe; ſed ſolum per accidens: ergo, &c. Minor probatur: quia, ſi ſentiretur per ſe, euidéter cognoſceremus, dari pręſentiam: atquì id eſt incertum: ergo, &c. Mala ratiocinatio: etenim certum eſt, albedinem intenſam ſentiri per ſe; & nihilominùs eſt ſub controuerſia, an fiat intenſio per additionem graduum, vel per maiorem radicationē in ſubiecto? ergo, licèt præſentia ſentiatur per ſe, poterit eſſe dubium, an ſit diſtincta à re præſenti, vel nō? Itaque ſenſu diſcernimus partes albedinis eſſe in diuerſis partibus ſpatij: an veró id habeant per formam aliquam ſuperadditam? non diſcernimus viſu: & ideo, licet certò, & euidenter cognoſcamus extenſionem, ſub dubio relinquitur; an ſit aliquid intrinſecè ſuperadditum entitati extenſæ? Quod autem ſenſu diſcernatur pręſentia, ſeu extenſio videtur certò certius: quia manente eodem obiecto, ſolet augeri extenſio, ita vt videamus, eſſe maiorem illam extenſionem denuò auctam: ergo certum eſt extenſionem ſenſu diſcerni.

Satisfit obiectionibus.

16 Obijcies ſenſibile commune eſt illud, quod poteſt percipi per plures ſenſus externos: ſed nulla præſentia poteſt percipi per plures ſenſus externos: ergo nulla præſentia poteſt eſſe ſenſibile commune. Minor probatur: quia præſentia non percipitur à ſenſu, niſi quatenus afficit ſenſibile proprium talis ſenſus, vt concedunt omnes: ſed præſentia afficiens ſenſibile proprium vnius ſenſus non poteſt afficere ſenſibile proprium alterius, quia eſt modus illius: ergo nulla præſentia poteſt percipi per plures ſenſus.

17 Reſpondeo, duo eſſe in præſentia albedinis, nempe, & quod ſit pręſentia, ſeu extenſio localis; & quod ſit affectio, ſeu vnio ſui ipſius cum albedine. Hoc vltimum non exprimitur à viſu; neque enim viſus diſcernit, an præſentia, ſeu extenſio ſit vnita ſe ipſâ, vel non? ſed ſolum exprimit, & diſcernit extenſionem afficientē albedinem, aut lucem, quia, ſi eam non afficeret, nullatenus à viſu perciperetur, vt experientia conſtat: & ideo vnio huius extenſionis cum albedine eſt conditio, ſine qua nōn perciperetur à viſu talis extenſio. Cum autem præſentia albedinis in ratione præſentiæ circumſcriptiuæ, ſeu extenſionis ſit ſimilis extenſioni caloris, quæ percipitur à tactu, ideó dicitur extenſio, ſeu præſentia pertinere ad plures ſenſus, ac per conſequens eſſe ſenſibile commune.

18 Vrgebis: ſicut præſentia albedinis, & caloris ſunt ſimiles, ſeu conueniunt in ratione extenſionis, quæ percipitur à tactu, & à viſu, ita etiam albedo, & calor ſunt ſimiles in ratione qualitatis, quæ ab vtroque illo ſenſu percipitur: ergo, ſicut illæ extenſio-

nes pertinent ad ſenſibile commune; ita & qualitates debent pertinere ad ſenſibile commune. Cōceſſo antecedente, nego conſequentiam. Diſparitas eſt: quia calor, & color non percipiuntur à tactu, & viſu ex eo, quod ſint qualitates; ſed ex eo, quod ſint tales, nempe calor & color, ita vt rationes, quæ expreſſè attinguntur in his qualitatibus, ſint talitates, per quas in eſſe talium cōſtituuntur: cum autem non conueniant in talitatibus, non poſſunt dici ad ſenſus pertinere ſecundum rationem aliquam communem obiecti vtriuſque, & ideo non poſſunt dici ſenſibilia communia. At verò extenſio coloris, & caloris percipiuntur à viſu, & tactu ex eo, quod ſint extenſiones, ita vt ratio, quæ expreſſe attingitur in illis, ſit ratio extenſionis, quæ, cum communis ſit obiecto vtriuſque ſenſus, ideo vtrumque obiectum dicitur ſenſibile cōmune.

19 Inſtabis: extenſio non pertineret ad obiectū viſus, niſi afficeret colorem; neque ad obiectum tactus niſi afficeret calorem: ergo ratio, quæ expreſſe attingitur à viſu, non eſt, quod ſit extenſio; ſed quod ſit talis nempe extenſio coloris: & ratio, quæ expreſſe attingitur à tactu, eſt, quod ſit extenſio caloris, frigoris, &c. ergo, ſicut color, & calor, licet conueniant in ratione qualitatis, non ſunt ſenſibilia communia; ita etiam extenſio coloris, & caloris, licet conueniant in ratione extenſionis, non erunt ſenſibilia communia.

20 Hìc ſunt duo diſtinguenda, nempe conditio, ſine qua extenſio coloris non pertineret ad viſum, & ratio, quæ expreſſè attingitur à viſu. Ratio præſentiæ, & extenſionis eſt ratio, quæ in extenſione coloris expreſsè attingitur à viſu: at verò, quod ſit affectio, ſeu vnio ſui cum colore, eſt conditio, ſine qua non pertineret ad viſum. Moueor ad id: quia inter prædicata alicuius obiecti ſenſibilis illud debet dici ratio, quæ expreſsè attingitur à ſenſu, quod exprimitur, & diſcernitur ab ipſo ſenſu: ſed talis eſt in extenſione coloris ratio extenſionis, & præſentiæ; hæc enim clarè diſcernitur à viſu; non verò quod ſe ipſâ ſit affectio, ſeu vnio ſui cum colore, vt conſtat; ergo ratio præſentiæ, & extenſionis dicenda eſt ratio, quæ in extenſione albedinis expreſsè attingitur à viſu.

21 Deinde illud debet dici conditio, ſine qua obiectum non pertinet ad ſenſum, quod cum non diſcernatur ab ipſo ſenſu, nihilominus eſt tale, vt ſine illo non poſsit exprimi, ſeu diſcerni id, in quo inuenitur: ſed talis eſt affectio, ſeu vnio extenſionis cum colore, hæc enim non exprimitur à viſu, vt diximus; & ex alio capite extenſio non perciperetur, ſaltem naturaliter ab ipſo viſu ſine hac, vt fatentur omnes: ergo hæc ſe habet vt conditio, ſine qua extenſio non pertineret

ad

ad viſum. Ex quibus facile deduces diſparitatem inter extenſiones coloris, & caloris ex vna parte; & colorem, & calorem ex alia, vt illæ dicantur ſenſibilia communia; ſecus hi.

SECTIO IIII.

An ſenſibile proprium, & commune per diuerſas ſpecies percipiantur?

22 Plures ſunt, qui exiſtiment, ſenſibile commune non ſentiri per ſpeciem diſtinctam à ſenſibili proprio; imò neque per ipſam ſpeciem ſenſibilis proprij. Ita P. Hurt. hìc diſp. 12. ſect. 6. & alij. Probatur: quia, ſi daretur ſpecies propria ſenſibilis communis, ipſa etiam repræſentaret ſenſibile proprium; neque enim videri poteſt extenſio albedinis, quin ipſa albedo percipiatur: ergo non eſſet, cur daretur ſpecies propria ſenſibilis proprij. Secundò: quia id, in quod primario tendit viſus, eſt color, & lux: ergo id ſolum eſt, quod immutat viſum per ſpeciem propriam ſui: atqui *numerus, magnitudo, &c.* non ſunt color, aut lux: ergo non immutant ſenſum per ſpeciem propriam ſui. Hinc colligit P. Hurtad. ſenſibilia communia non cognoſci immediatè per ſenſum; ſed ſolum per diſcurſum intellectus.

23 Id tamen contradicit experientiæ manifeſtæ, qua conſtat, viſum non ſolum percipere colorem; ſed etiam magnitudinem, & diſtantiam illius: neque eſt maior ratio, cur dicatur percipere colorem potiùs, quàm magnitudinem eius, aut diſtantiam. Secundò, ſi viſus non perciperet diſtantiam coloris, non eſſet vnde intellectus poſſet colligere eſſe in hac, vel illa diſtantia: quia intellectus in diſcurſu debet habere aliquod principium, vnde deducat concluſionem: vel ergo, dum deducit per diſcurſum magnitudinem, aut diſtantiam albedinis, habet aliud principium præter albedinem viſam ſecundum ſe; vel non habet. Si hoc vltimum? non poterit inde deducere hanc diſtantiam; aut magnitudinem potiùs, quam aliam, quia albedo ſecundum ſe eſt indifferens ad vnam, & ad aliam. Si dicatur primum? vel illud aliud principium cognitum eſt per viſum; vel non. Si primum? dicito etiam, viſam eſſe magnitudinem, diſtantiam, &c. ſicut videtur illud principium, quod neque color eſt, neque lux; quia non eſt maior ratio vnius, quam alterius. Si dicatur ſecundum? illud cognoſcetur per diſcurſum ex alio principio cognito per diſcurſum, ſicut ipſum, & ſic dabitur proceſſus infinitus.

24 Dicunt aliqui, diſtantiam, & magnitudinē coloris deduci ex diuerſa applicatione potētię viſiuæ: intellectus enim noſcit, quā ratione ſit applicata potētia viſiua ad vidēdū obiectū, & inde colligit,

git, in qua diſtantia ſit, ad quod latus, &c. Sed contrà: poſitâ eâdem applicatione potentiæ, cognoſco per eandē lineā duo obiecta vnū in maiori diſtantia, quā aliud, & cum maiori extēſione: ergo diuerſitas magnitudinis, & diſtantiæ obiectorum non poteſt colligi ex applicatione potentiæ ſenſitiuæ.

25 Inſtant: ſi extenſio, magnitudo, aut diſtantia viderentur immediatè per viſum, quando naui incluſus moueor, diſcernerem viſu diuerſitatem præſentiarū, quas continuo motu ſucceſsiuè acquiro. Sed contra: in primis idem argumentum poteſt fieri contra tuā ſententiā: quia ibi nec per diſcurſum certò cognoſco diuerſitatem illarum præſentiarum: vnde ergo id prouenit? Solutionē, quam adhibueris pro tuâ ſententiâ, dabo ego pro meâ. Secundò, ſi, viſâ vnâ albedine, alia omnino ſimilis ob oculos loco illius ſubſtituitur, nō diſcerno, an ſit eadem, quā antea vidi, vel diuerſa? & nihilominus nō licet inde colligere, albedinē non attingi immediatè per viſum: ergo neque inde licebit colligere magnitudinem, &c. non percipi immediatè per viſum. Ad hoc ergo, vt ſenſus inter duo, quæ percipit, diſcernat, nó ſufficit, quod illa ſint diſtincta; ſed eſt neceſſarium, quod proponantur viſui cum aliqua diſſimilitudine, vel cum aliquo alio adiuncto, ratione cuius diuerſitatem eorum poſsit percipere. Hinc eſt, quod, vt inter duas albedines valde ſimiles diſcernat viſus, ſit neceſſarium, quod illas ſimul videat in diuerſis locis: ſic etiam vt inter duas præſentias eiuſdem mobilis diſcernat, eſt neceſſarium, quod aliud corpus videat, ad quem accēdat, vel à quo recedat per vnam magis, quam per aliam.

26 Secunda ſententia affirmat, ſpeciem ſenſibilis communis eſſe diſtinctam ab ſpecie ſenſibilis proprij tāquam modum illius. Ita P. Tol. hic quæſt. 14. Bañ. 1.p. quæſt. 78. art. 3. dub. 3. Quod ſit diſtincta, videtur colligi ex eo, quod ſenſibile commune realiter diſtinguitur à proprio; atque adeo & ſpecies diſtinguentur realiter. Quod verò ſpecies ſenſibilis communis ſit modus ſpeciei ſenſibilis proprij, probant: quia ſenſibile commune eſt modus ſenſibilis proprij: ergo & ſpecies illius erit modus ſpeciei huius, cum ſpecies conformari debeat cum ſuo obiecto.

27 Non placet hæc ſententia. Et quod attinet ad primam partem, eius falſitas conſtabit ex dicendis pro noſtra ſententia. Secunda verò debili nititur fundamento. Neque enim ex eo, quod præſentia ſit modus ſenſibilis proprij, rectè infertur, quod ſpecies illius debet eſſe modus ſpeciei huius: quia vnio eſt modus extremorum; & actio modus agentis; & nihilominus nullus inde deduxit, ſpecies intelligibiles vnionis, & actionis eſſe modos ſpecierum extremorum, & agentis: ergo neque rectè deducetur in ſpeciebus ſenſibilibus.

28 Dicunt, ſpecies intelligibiles

biles

Digitized by Google

bites produci immediatè ab intellectu agente, & ideò non eſſe neceſſarium, quod proportionentur ſuis obiectis; & ſpecies ſenſibiles produci immediatè ab obiectis, & ideo debere proportionari illis, ita vt quæ producuntur à modis ſint modi; &, res, quę à rebus. Sed contrà: in primis ſpecies intelligibiles non ſolum producũtur immediatè ab intellectu agente; ſed etiã à phantaſmatibus obiectorũ (vt dicemus infra) ita vt in intellectui ſolùm reſpondeat ſpiritualitas ſpecierum; &, phantaſmatibus ſimilitudo, ſeu repræſentatio obiecti: cum autem phantaſmata eliciantur per ſpecies acceptas à ſenſibus, ſi ab iſtis acceperunt ſpecies modales repræſentantes modos, producent etiam in intellectu ſpecies modales, cum hoc ſolùm diſcrimine, quod in ſenſibus ſint materiales, & in intellectu ſpirituales.

29 Secundo: proportio, quæ datur inter ſpeciem, & obiectum, non debet eſſe quoad entitatem phyſicam (in hac enim valde diſſidentia ſunt, vt in ductione conſtare poteſt tam in ſpeciebus intellectus, quam ſenſuum) ſed in eo, quod repræſentet obiectum, vt eſt in ſe, & ideo quo magis, vel minus perfectè illud repreſentat, dicitur magis, aut minus illi proportionari: atqui etiamſi obiectũ ſit modus, & ſpecies res, poteſt illud repræſentare, vt eſt in ſe: ergo rectè proportionabitur cum illo proportione requiſitâ inter obiectum, & ſpeciem.

30 Dices, debere proportionari non ſolùm quoad repræſentationem; ſed etiam quoad entitatem; quia præſentia albedinis, v.g. non pertinet ſecundùm ſe ad viſum; ſed ratione albedinis, quam afficit: ſi autem perciperetur per ſpeciem, quæ eſſet res, pertineret ſecundùm ſe ad viſum, quia talis ſpecies poſſet cauſare viſionem præſentiæ, quin daretur viſio albedinis. Sed contrà: hoc, quod eſt pertinere ad viſum ratione albedinis, vel eſt, quod hæc ſit ratio formalis attingendi illam; vel, quod non poſſit attingi, quin repræſentetur vt affectio albedinis. Si primum? erit neceſſarium, quod vtrumque ſenſibile attingatur per vnicam ſpeciem, vt probo in meâ ſententiâ. Si ſecundum? poterit repræſentari vt affectio albedinis, etiamſi ſpecies illius ſit res, ſicut modus vnionis repræſentatur per ſpeciem intelligibilem vt affectio extremorum, etiamſi talis ſpecies ſit res: ergo fundamentum adductum ad probandũ, ſpeciem præſentiæ eſſe modũ nullius momenti eſt.

Vera ſententia duabus concluſionibus explicatur.

31 DIco 1. ſenſibile proprium & cõmune immediatè attinguntur per eandem ſpeciem. Ita P. Rub. hîc cap. 5. & 6. q. 11. n. 134. P. Suar. lib. 3. de An. c. 8. num. 5. P. Fonſ. 2. Met. cap. 2. quæſt. 2. ſect. 5. PP. Cõnimb. hîc cap. 6. q. 5. art. 2. & expreſsè traditur à S. Tho. 1. p. q. 78. art. 3.

& hic lect. 13. cuius verba referűt PP. Conimb. Probatur: quia extenſio coloris, v.g. nő pertinet ad viſum, niſi prout adiuncta colori: ergo ratio formalis, propter quã attingitur à viſu eſt color. Conſequentia eſt bona: quia, ſi extenſio non pertinet ad viſum, niſi prout coniuncta colori, iſte erit ratio, propter quam pertinet ad viſum, quod eſt eſſe rationẽ formalẽ illã attingendi: ſicut, quia res teſtificata nő pertinet ad fidem, niſi prout coniuncta cum teſtimonio, dicitur iſtud ratio formalis attingendi illam per fidem.

32 Pergo: atqui, eo ipſo quod color eſt ratio formalis attingendi extenſionẽ, debent attingi ambo per eandem viſionem: ergo & ambo repræſentari debẽt per eandem ſpeciẽ. Conſequentia eſt bona: quia, cum ſpecies nihil aliud per modű habitus repræſentet, niſi id, quod per cognitionẽ repræſentatur per modű actus, ſi hæc actu attingit duo, vnű ratione alterius, neceſſariű eſt quod illa habitualiter repræſentet duo, vnum ratione alterius. Minor verò probatur: quia viſus in conſenſu omniű (& idem eſt de alijs ſenſibus externis) non attingit ſua obiecta deducendo vnum ex alio; ſeu deueniẽdo ex cognitione vnius in cognitionem alterius; ſed ſimplici quodam intuitu: atqui, dum ſimplici quodam intuitu attinguntur aliqua, vnum ratione alterius, attinguntur vnã, & eãdem cognitione: ergo, &c.

33 Confirmatur: quia, ſi ſenſibile commune attingeretur ratione ſui, & non ratione ſenſibilis proprij, ęquè primo & propriè pertineret ad ſenſum ac ſenſibile proprium: atqui hoc nullus admittit: ergo neque illud debet admitti. Minor probatur: quia vtrumque attingeretur ratione ſui, deinde quodlibet eſſet conditio ex natura rei requiſita, vt alterum perciperetur: quid ergo deeſſet communi, vt æquè primò, & propriè pertineret ad ſenſum, ac propriũ? Ex his cõſtat ad argumenta P. Hurt. quæ quidem non tam probant, nõ dari ſpeciem ſenſibilis communis, quàm non eſſe diſtinctam ab ſpecie ſenſibilis proprij.

34 Obijcies: ex eo, quod ſingulæ partes extenſionis obiecti ſint realiter diſtinctæ inter ſe, probabamus ſuprà producere ſpecies realiter diſtinctas: ergo, cum ſenſibile proprium & cõmune diſtinguantur realiter, debent producere ſpecies realiter diſtinctas. Nego conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt clara: quia ſingulæ partes obiecti prout inter ſe diſtinctę, ratione ſui ſunt obiecta ſenſus, & ideò ſingulæ ratione ſui poſſunt producere ſpeciem ſui, &, cum inter ſe ſint realiter diſtinctæ, non eſt, cur ſpecies realiter diſtinctas non producant. At verò ſenſibile commune non eſt obiectum ſenſus ratione ſui vt obiecti formalis; ſed ratione ſenſibilis proprij, & ideo non poteſt ratione ſui producere ſpeciem ſui; ſed prout coniunctű cum ſenſibili proprio producit ſpeciem, quæ illud repræſentet ſi-

Digitized by Google

mul cum ſenſibili proprio, modo explicando infra. Ex his cõſtat ad primã rationẽ ſecundæ ſententiæ.

35 Obicies 2. ſi ſenſibile proprium, & cõmune viderentur per eandem ſpeciem, in continuo motu locali ſenſibilis proprij continuo variarentur ſpecies illud repræſentantes: atqui hoc non videtur admittendũ: ergo neque illud. Maior eſt certa: quia in quouis cõtinuo motu ſucceſsiue variantur præſentiæ, ſiquidẽ per ſingulas partes motus acquirit mobile ſingulas partes loci: ſed variatã præſentiã variatur ſpecies illam repræſentans; ergo, & ſpecies repræſentans ſenſibile propriũ, cum ſit eadem. Concedo maiorẽ. Neque in hoc nullum eſt abſurdum: quia, ſi non eſt inconueniens, quod varientur ſpecies ſenſibilis communis, nullũ debet eſſe in eo, quod varientur ſpecies ſenſibilis proprij, cum probatum ſit efficaciter, vnã, & eãdem ſpeciem debere reſpondere vtrique.

36 Dico 2. hæc ſpecies producitur ab vtroque ſenſibili tanquam ab vno principio, à quo indiuiſibiliter procedit. Ita P. Rub. ſuprà. Ratio eſt: quia hæc ſpecies repræſentat vtrumque ſenſibile: ergo debet procedere ab vtroque. Confirmatur: quia, prout eſt repræſentatio ſenſibilis proprij, nõ poteſt procedere tanquam à propriã cauſã à ſenſibili communi, vt admittunt omnes; deinde, vt eſt repræſentatio huius ſenſibilis cõmunis, v. g. extenſionis in hoc loco cum hãc figurã, non poteſt determinatè procedere à ſenſibili proprio, cum hoc ſit indifferens ex ſe ad hoc, vt producat ſpeciem huius extenſionis, vel illius: ergo vtrumque coniungitur ad producendam eam ſpeciem, ita vt repræſentatio ſenſibilis proprij reſpondeat ipſi ſenſibili proprio tãquam efficienti, & repræſentatio huius ſenſibilis communis reſpondeat ipſi ſenſibili communi eo modo, quo philoſophati ſumus in Phyſ. diſp. 13. ſect. 4. circa correſpõdentiam formalitatum eiuſdem effectus reſpectu diuerſarum cauſarum.

SECTIO V.

An ſenſibile proprium ſine communi; &, è contrà ſentiri poſsit?

37 EX dictis ſect. præced. colligo 1. ſenſibile proprium non poſſe naturaliter cognoſci ſine communi. Ratio eſt: quia ſenſibile propriũ non poteſt naturaliter ſentiri à ſenſu externo, quin ſpeciem in eo producat: atqui nõ poteſt naturaliter producere ſpeciem, quæ illud repræſentet ſine communi, tum quia nõ poteſt eſſe naturaliter ſine ſenſibili cõmuni, tum quia, cum producat ſpeciẽ vt agens neceſſariũ, eo ipſo quod ſit cõiunctũ cum cõmuni, debet ſimul cũ illo producere ſpeciẽ, quæ repræſentet vtrũque: ergo nõ poteſt naturaliter ſentiri à ſenſu externo, quin ſimul cũ illo ſentiatur ſenſibile cõmune. Idem propter eandem rationẽ dicendũ eſt de ſenſibili cõmuni, nempè quod non poſsit naturaliter ſentiri ſine proprio.

38 Sed quid? Si ſenſibile propriū daretur miraculoſè ſine vllo communi, hoc eſt, abſque vlla præſentia, poſſet tunc ſine nouo miraculo ſentiri abſque communi? Reſpondeo negatiue. Ratio eſt clara: quia ſenſibile proprium nō poteſt naturaliter ſentiri, quin determinet ſenſum ad ſui ſenſationem per productionem ſpeciei, vt fatentur omnes: atqui hanc non poteſt naturaliter producere, ſi careat ſenſibili communi: ergo neq; hoc ablato ſentiri ſine nouo miraculo. Minor probatur: quia ſenſibile commune, vt diximus, nihil aliud eſt, niſi pręſentia circunſcriptiua, per quam partes ſenſibilis proprij extenduntur in loco: ſed ſine præſentia non poteſt ſenſibile proprium ſpeciem ſui in ſenſu producere: ergo, &c. Minor eſt certa: quia nullum agens creatum poteſt naturaliter effectum aliquem in paſſo diſtincto producere, niſi ſit illi proximatum, vt dixi in Phyſ. diſp. 27. ſect. 1. ergo, cum agens approximetur paſſo per pręſentiā, hâc deficiente, non poterit ſenſibile proprium producere ſpeciem in ſenſu.

39 Colligo 2. ſenſibile propriū poſſe ſupernaturaliter ſentiri ſine cōmuni. Id eſt mihi probabile. Moueor: quia, vt conſtat ex 1. concl. ſenſibile propriū non eſt attingibile à ſenſu ratione ſenſibilis cōmunis; ſed potius è contrá, atq; adeo erit attingibile ratione ſui: ergo, deficiente ſenſibi i cōmuni, nō deficiet in proprio ratio formalis, propter quā attingitur à ſenſu: ergo nulla erit implicatio in eō, quod Deus ſenſum determinet ad ſenſationē talis obiecti vel per ſe immediatè, vel producendo ſpeciē, quæ illud ſolū repræſentet. Patet conſequētia: quia talis ſenſatio nō poteſt aliunde implicare, niſi ex eo, quod deficiat vel ex parte obiecti ratio formalis, propter quā attingitur; vel ex parte principij virtus ad eam producendā: atquì ex parte obiecti non deficit ratio formalis attingendi, vt probatū eſt; neq; ex parte principij virtus, quia in ſenſu datur virtus inchoata ad attingendū ſuum obiectum formale; neque in Deo poteſt deficere ad cōplendam talē virtutē determinando illā ad operationē vel per ſe ipſum, vel per ſpeciē repræſentantē ſolum ſenſibile propriū: ergo &c. Confirmatur: quia bonitas, quæ eſt ratio, propter quā voluntas amat alia obiecta, eſt ſufficiēs ratio, vt ipſa ſeorſim ametur ſecundum ſe, vt fatentur omnes: ergo ſenſibile proprium, quod eſt ratio attingendi ſenſibile commune, erit etiā ratio ſufficiens, vt ipſum ſecundum ſe attingatur ſeorſim à ſenſibili communi, ſaltem de potentiâ abſolutâ.

40 Dices: de ratione eſſentiali potētiæ ſenſitiuę eſt percipere obiectum, vt in ſe eſt exiſtens à parte rei, & propterea repugnat ſenſui abſtrahere: ſed ſenſibile proprium non poteſt exiſtere à parte rei ſine communi adhuc ſupernaturaliter; neq; enim poteſt exiſtere ſine pręſentia, ad quam diximus reuocari ſenſibilia cōmunia enumerata ab Ariſt.

Ariſt. ergo adhuc ſupernaturaliter non poteſt ſentiri ſenſibile proprium ſine communi.

Poteſt fieri abſtractio negatiua per ſenſus externos.

41 Multa ſunt diſcutienda circa hãc obiectionem. Et in primis obiectum vt in ſe exiſtens à parte rei poteſt ſumi ſecundum ea tantum, quæ identificantur cum illo à parte rei; vel ſimul cum illis, quæ illud conſequuntur ex natura rei. Si primo modo ſumatur? certum eſt, ſenſum non percipere, ſaltem expreſſè, obiectum, vt eſt in ſe à parte rei; quia nonnulla prædicata obiecti ſenſibilis; vt, connexio cum ſubiecto; relatio ad primam cauſam, &c. non cadunt ſub expreſſam cognitionem ſenſus. Deinde ſi ſecũdo modo ſumatur? certum etiam eſt, obiectum non percipi à ſenſu, vt eſt in ſe à parte rei: quia vnio cum ſubiecto, & dependentia ab illo ſunt entitates ex natura rei adhærentes ſenſibili proprio, vt eſt albedo, calor, &c. & nihilominus non percipiuntur à ſenſu: ergo abſolute loquendo falſum eſt dicere, quod ſenſus percipit obiectum vt in ſe exiſtens à parte rei.

42 Hinc fit ſenſum poſſe abſtrahere negatiue ſuum obiectum ab aliquibus entitatibus illud circunſtantibus ex natura rei; imo & in ipſo obiecto vnum prædicatum ab alio: quia abſtractio, ſeu præciſio negatiua, vt diximus in Logica diſp. 4. n. 34. eſt illa, qua vnũ expreſſe attingitur non attacto expreſſe alio, quod eſt illi coniunctum, vel cum illo identificatum: atqui ſenſus, vt dictum eſt, attingit ſuum obiectum, quin expreſſe attingat tum aliqua prædicata cũ illo identificata, tum aliquas entitates cum illo coniunctas: ergo abſtrahit negatiuè. Adde, poſſe etiã ſenſum ſupernaturaliter abſtrahere ſenſibile propriũ à cõmuni; ſecus naturaliter, vt dictũ eſt.

43 Maior difficultas eſt: an poſsit ſenſus inter prædicata, quæ ſub eius expreſsionem cadunt, vnũ negatiuè abſtrahere ab alio. V. gr. viſus expreſſè percipit in albedine rationẽ coloris, albedinis, & differentiam indiuidualem. Rogamus: an poſsit fieri, quod percipiat expreſſe rationem coloris, quin exprimat rationẽ albedinis, & hanc, quin differentiam indiuidualem expreſſè percipiat?

44 Et in primis, ſi albedo non ſit in debita diſtantia, certum eſt, poſſe naturaliter per ſenſum exprimi rationẽ coloris, quin exprimatur ratio albedinis (vt experientia docet, quando eminus videmus colorẽ, quin diſcernamus, an ſit huius vel illius ſpeciei) atque adeo naturaliter poterit negatiue abſtrahi vnum prædicatum ab alio. Non tamen à differentiâ indiuiduali: quia hanc ſemper attingit ſenſus, ſiquidem quantumuis à longè percipiat aliquod obiectũ ſemper diſcernit diſtinctionem illius ab alio propè exiſtente, quod fieri non poſſet, ſi differentiam indiuidualem illius non exprimeret, cum in tali caſu non diſcernat ſpecificam.

Digitized by Google

45 Secundò exiſtimo, quod, quando obiectum eſt in debita diſtantia, nō poteſt naturaliter percipi vnum prædicatum ſine alio: quia omnia mittunt ſpeciem perfectè illa repræſentantem, atque adeo talis ſpecies vt pote agens naturale, quod operatur in quantum poteſt, determinabit potentiam ad omnia ſimul conſpicienda. Tertio exiſtimo, ſupernaturaliter poſſe percipi vnū prædicatum ſine alio, adhuc quando obiectum eſt in debita diſtantia: quia, quādo obiectum non eſt in debita diſtantia, poteſt naturaliter ſenſus abſtrahere negatiuè vnum prædicatū ab alio: ergo licet ſit in debita diſtantia poterit fieri ſupernaturaliter eadem abſtractio, quia poterit Deus contra exigentiā obiecti vel potentiæ conſeruare illam ſenſationem, quæ extra debitā diſtantiā facta fuerat naturaliter, cū in eo nulla appareat implicatio.

46 Et ratio à priori eſt: quia tā ratio albedinis, quam coloris, percipiuntur à ſenſu ratione ſui, neque enim vlla eſt ratio, quæ probet vnā percipi ratione alterius: ergo quælibet ex illis eſt obiectū ex ſe ſufficiens ad terminandam viſionem ſine aliâ: cur ergo non poterit fieri de potētia Dei, quod dentur viſiones tendentes in ſingulas ſeorſim ſumptas? atqui tales viſiones abſtrahent negatiue vnum prædicatum ab alijs: ergo &c. In hanc doctrinam facilè cōſentiet P. Hurt. in Met. diſp. 6. ſubſ. 2. n. 177. Addiderim tamen, nullum prædicatū vniuerſale poſſe abſtrahi à differentiā indiuiduali adhuc de potentia Dei: quia ſenſatio ſenſus externi ex natura ſua eſt intuitiua, & cognitio intuitiua, & ſi poſsit abſtrahere vnam formalitatem ab alia; non tamen poteſt aliquam abſtrahere à differētia indiuiduali, vt dicam infra.

Quid de abſtractione poſitiua?

47 Sed quid dicemus de abſtractione poſitiua? poterit ne ſenſus abſtrahere poſitiue vnum prædicatum ab alio ſaltem per potentiam Dei abſolutam? Loquor de prædicatis, quæ ſunt idem realiter. Pro reſponſione Noto 1. abſtractionem, ſeu præciſionem poſitiuam eſſe illam cognitionē, quo vnum prædicatum cognoſcitur vt diſtinctum ab alio: atque adeo abſtractio poſitiua non ſolum debet attingere vnū & aliud prædicatum; ſed formas etiam, per quas vnum diſtingnitur ab alio. Noto 2. formas, per quas duo prędicata realiter identificata diſtinguuntur inter ſe, eſſe vel vnitates rationis fictas in ipſis prædicatis, vel cognitiones, per quas adinuicem vnum cognoſcitur ſine alio: de hoc egi in Log. diſp. 4. à n. 7. Vnde cognitio attingens ea duo prædicata vt diſtincta debet attingere etiam vel vnitates rationis fictas, vel cognitiones præſcindentes. Noto 3. ſermonem poſſe eſſe de ſenſu externo, vel de interno. His poſitis.

48 Dico 1. Senſus externus non poteſt adhuc de potentia Dei ab-

abſolutâ abſtrahere poſitiuè vnũ prædicatũ ab alio. Ratio eſt: quia ſenſus non poteſt abſtrahere poſitiue vnum prædicatum ab alio quin percipiat formas, per quas ipſa prædicata diſtinguuntur: atqui has formas non poteſt percipere adhuc de potentiâ Dei abſolutâ ſenſus externus: ergo neque abſtrahere poſitiue vnum ab alio. Minor probatur: quia ſenſus non poteſt adhuc de potentiâ Dei per ſuum actum attingere immediatè rem, quæ non includitur intra latitudinem ſui obiecti, vt dicemus infra: atqui intra latitudinẽ obiecti ſenſus externi neque includuntur vnitates rationis fictę, neque cognitiones præſcindentes, quia obiectum proprium viſus eſt color & lux; auditus ſonus; guſtus ſapor, &c. vt dicemus infra: ergo ſenſus externus non poteſt eas formas percipere adhuc de potentiâ Dei.

49 Dico 2. ſenſus internus poteſt de potentia Dei abſtrahere poſitiue vnũ prædicatum ab alio. Hanc concluſionem exiſtimo veram ex ſuppoſitione, quod diſtinctio prædicatorum fiat formaliter per cognitiones, & non per vnitates rationis fictas, vt dixi in Log. loco ſupra citato. Ratio eſt: quia ſenſus externus, vt dictum eſt, poteſt abſtrahere negatiue de potentia Dei vnum prædicatum ab alio; deinde, vt dicam infra, ſenſus internus non ſolum cognoſcit obiecta ſenſuum externorum; ſed etiam ſenſationes ipſorũ ſenſuum: atqui, vt dictũ eſt, ſenſus externus, viſus. v. gr. poteſt de potẽtia Dei percipere per vnam ſenſationem rationem coloris; & per aliam talitatem albedinis: ergo poterit ſenſus internus de potentia Dei percipere talitatẽ albedinis vt viſam per vnã viſionẽ, & rationem coloris vt viſam per aliam: atqui, eo ipſo quod illas ſic perciperet cognoſceret illas vt diſtinctas ſiquidem cognoſceret formas, per quas diſtinguitur: ergo abſtraheret poſitiue vnam ab alia.

50 Colligo 3. ſenſibile cõmune non poſſe adhuc de potentia Dei percipi à ſenſu ſine proprio. Id facile probatur ex dictis: quia ratio formalis attingendi ſenſibile cõmune eſt proprium ſenſibile, vt diximus ſuprà: ergo deficiente ſenſibili proprio, deficit ratio formalis attingendi cõmune: ſed deficiente ratione formali, propter quam actus alicuius potentiæ attingit obiectum, non poteſt dari talis actus adhuc de potẽtia Dei: ergo, &c. Minor videtur certa à paritate: nam actus fidei (qui attingit rem teſtificatã propter teſtimonium, ſeu authoritatem teſtificantis) non poteſt in conſenſu omnium attingere rem teſtificatã deficiente teſtimonio vero vel apparẽte (cuius ratio à priori eſt; quia, cum actus fidei eſſentialiter ſit aſſenſus rei propter teſtimonium, ſeu authoritatẽ dicẽtis, deficiẽte omnino teſtimonio, non poteſt cõſiſtere eſſẽtia actus fidei; ac per conſequens, neque dari talis actus adhuc de potentia Dei) ſed viſio, v. gr. præſentiæ albedinis

eſſ. n-

eſſentialiter eſt ſenſatio præſentiæ propter albedinem: ergo non poteſt dari adhuc de potẽtia Dei ſine albedine. Minor eſt certa: quia, ſi ratio formalis attingendi eam præſentiam eſt albedo, neceſſarium eſt, quod viſio illius ſit ſenſatio talis præſentiæ propter albedinem, aut ratione albedinis: ſicut contingit in actu fidei, qui quidem quia ratio, propter quam attingit rem teſtificatam eſt teſtimonium, ideo dicitur eſſentialiter eſſe aſſenſus, ſeu cognitio rei propter teſtimonium.

SECTIO VI.

An ſenſibile proprium indiuiſibiliter exiſtens; poſſit percipi per ſenſum?

51 OMnia ſenſibilia propria, quæ hucuſque nonimus ſunt accidentia corporea, & diuiſibilia in partes, quæ naturaliter non poſſunt eſſe niſi extenſæ, vt in ductione facito cõſtabit. Poſſunt tamen ſupernaturaliter conſtitui indiuiſibiliter in loco, vt fatentur omnes. Quod quidem duplici modo poteſt fieri. Primo ita vt omnes partes vnius accidentis diuiſibilis, albedinis v. gr. conſtituantur in vno pũcto ſpatij. Secundò, ita vt ſint in ſpatio diuiſibili, taliter tamen vt omnes ſint in ſingulis partibus, & punctis ipſius ſpatij: qua ratione eſt corpus Chriſti Domini in Euchariſtia ſub ſpeciebus ſacramentalibus. Et ſupponimus corpus eſſe indiuiſibiliter in ſpatio per modum quendam poſitiuum ſuperadditum: quia ſicut non poteſt eſſe in loco niſi per modum poſitiuum ſuperadditum, vt probatum eſt in Phyſ. diſp. 22. ſect. 3. ita neque poteſt diuiſibiliter, aut indiuiſibiliter eſſe in loco niſi per modum poſitiuum ſuperadditum. Eſt ergo difficultas: an, ſi ſenſibile proprium alicuius ſenſus conſtitueretur in loco indiuiſibiliter, vno ex duobus prædictis modis, poſſet percipi per ſenſum? Ex. gr. an color Chriſti Domini exiſtentis in Euchariſtia indiuiſibiliter, videri poſsit à potentiâ viſinâ.

52 Prima ſententia affirmat, videri poſſe naturaliter ex ſuppoſitione, quod talem habeat modũ exiſtẽdi. Ita Ocham. in 4. diſt. 10. q. 5. art. 3. Mai. q. 5. & probabilem cenſet Gabriel. lect. 45. in Can. Miſſæ Litt. P. quibus cõſentiunt nonnulli recentiores. Probatur 1. quia color indiuiſibiliter exiſtens eſt ſenſibilis ratione ſui, & præterea eſt approximatus potentiæ: quid ergo illi deerit, vt in potentia producat ſpeciẽ, quæ ipſâ determinet ad viſionẽ? Secũdo: quia color cuius ſingulæ partes ſingulis partibus ſpatij reſpõdent, poteſt naturaliter videri à potentia applicata, vt fatentur omnes: ſed color, cuius omnes partes reſpondent ſingulis partibus, & pũctis ſpatij, habent etiam ſingulas partes reſpondentes ſingulis partibus: ergo poteſt videri naturaliter. Minor probatur: & ponamus calorem octo partium exiſtentem indiuiſibiliter in octo partibus ſpa

ſpatij: in hoc caſu, eo ipſo quod omnes partes coloris ſunt in ſingulis partibus ſpatij, verificatur, quod prima pars coloris (liceat ita loqui) ſit in prima parte ſpatij; &, ſecunda in ſecundâ; &, tertia in tertiâ, &c. ergo ſingulæ partes coloris reſpondent ſingulis partibus ſpatij. Addunt prædicti authores, Chriſtum Dominum de facto non videri in Euchariſtia, quia Deus miraculosè impedit eius viſionē, ne euacuetur meritum Fidei.

53 Secunda ſententia extreme oppoſita præcedēti tenet, obiectum indiuiſibiliter exiſtens non poſſe videri adhuc de potentia Dei abſoluta: Ita P. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 53. ſ. &. 4. vbi refer alios, & P. Rub. lib. 2. de An. cap. 6. q. 12. n. 115. Probatur: quia obiectum indiuiſibiliter exiſtens nō poteſt adhuc ſupernaturaliter videri cum modo exiſtendi indiuiſibiliter; neque ſine illo: ergo nullo modo. Antecedens probatur quo ad primam partem: quia modus indiuiſibiliter exiſtendi non cadit ſub ſenſibile proprium ſenſus, viſus, v. g. cum nō ſit color, aut lux; neque ſub ſenſibile commune, cū non ſit extenſio, ad quam diximus reuocari omnia enumerata ab Ariſt. ergo non continetur intra obiectum viſus, ac per conſequens neque poterit videri, cum nulla potētia poſſit percipere id, quod intra ſuum obiectum non continetur, vt dicemus infra.

54 Quod vero non poſſit videri adhuc ſupernaturaliter abſque modo indiuiſibiliter exiſtendi probant: quia viſio materialis eſt cognitio intuitiua, de cuius eſſentia eſt videre rem, vt eſt à parte rei exiſtens: ergo obiectum indiuiſibiliter exiſtens à parte rei, non poteſt videri, niſi videatur modus indiuiſibiliter exiſtendi. Secundo: quia non poteſt intelligi, quod illud obiectum videretur, quin eius partes viderentur aut aliæ extra alias, aut omnes ſimul. Si viderentur primo modo? viderentur cum extenſione, quod quidem fieri nō poteſt in hoc caſu, cum non ſint extenſæ. Si ſecundo modo viderē tur, viderentur cū modo indiuiſibiliter exiſtendi, quem iam probauimus non poſſe videri: ergo &c.

Obiectum indiuiſibiliter exiſtens non poteſt naturaliter videri.

55 DIco 1. contra primā ſententiam: color indiuiſibiliter exiſtens non poteſt naturaliter videri. Ita authores ſecundæ ſententiæ, & Alenſ. 4. part. q. 10. memb. 7. art. 3, §. 8. Sot. in 4. diſt. 10. q. 1. art. 7. Victor. in Sum. verbo *Euchariſtia* n. 61. Probatur: quia obiectum naturale non poteſt naturaliter videri niſi ipſum poſſit naturaliter producere ſpeciem ſui in potentia viſiua, vt cōcedunt omnes, & conſtat experiētia, quâ nouimus, quod dum obiectum non producit ſpeciem ſui in potētia viſiua, nullatenus videtur ab iſta: ſed obiectum indiuiſibiliter exiſtens non poteſt naturaliter producere ſpeciem ſui in poten-

ten-

tentia viſiua: ergo non poteſt naturaliter videri. Minor probatur: quia agens corporeũ, & diuiſibile petit ex natura ſua extenſionẽ tanquam conditionem immediate requiſitam ad ſuas functiones obeundas: ergo hac deficiente nõ poterit operari, atque adeò, cum obiectum indiuiſibiliter exiſtens careat extenſione, non poterit producere ſpeciẽ in potentia viſiua. Antecedens eſt mihi certum: quia quoduis agens corporeum, & diuiſibile petit extenſionẽ, cum non poſsit eſſe naturaliter ſine illa: atqui ad nihil aliud poteſt illam petere niſi ad ſuas functiones obeundas; ſi enim eâ illi non eſſet opus ad operandum, vt quid ita ſedulo in illam conaretur, vt non poſſet eſſe ſine ipſa? ergo extenſio eſt conditio ex natura rei requiſita ex parte agentis corporei ad operandum.

56 Secundò: quia color indiuiſibiliter exiſtẽs in ſpatio diuiſibili videri deberet vel ſimul cum modo indiuiſibiliter exiſtendi; vel ſine illo: atqui neutro modo videri poteſt naturaliter: ergo, &c. Minor probatur, & primo quod non poſsit videri naturaliter ſine modo exiſtẽdi: quia ſenſibile propriũ non poteſt naturaliter videri ſine communi, vt experientiâ conſtat. Et ratio à priori eſt: quia cũ ipſum ex ſe ſit indifferens ad producendam ſpeciem, quæ illud repræſentet cum hoc vel illo modo exiſtẽdi, debet ex natura rei habere aliud comprincipiũ determinans ad ſpeciem repræſentantem cum hoc modo exiſtendi potiùs, quàm cum illo, quod quidem nullũ aliud eſſe poteſt, niſi ipſe modus exiſtẽdi, cui tanquã propriæ cauſæ reſpondet in ſpecie repræſentatio ipſius, vt diximus ſuprà ſect. 4. in fine: ergo non poterit naturaliter videri vnum ſine alio.

57 Deinde probatur, quod non poſsit naturaliter videri color cum modo indiuiſibiliter exiſtendi in ſpatio diuiſibili: quia iſte mod⁹ eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vt dicam ſeq. ſeq. ergo, ſi attingitur â viſu per viſionẽ, nõ attingitur vt obiectum naturale; ſed vt ſupernaturale: atqui potẽtia naturalis ordinis nõ poteſt naturaliter per cognitionem clarã, qualis eſt viſio, attingere ſuum obiectum ſupernaturale; vt conſtat in intellectu, qui naturaliter non poteſt clare, aut certo attingere entia ſupernaturalia, vt concedunt omnes Theologi: ergo idem dicendum erit de potentia viſiua.

58 Ad primum argumentum primæ ſententiæ reſpondeo, colorem indiuiſibiliter exiſtentem eſſe quidem ſenſibilem ratione ſui, & deinde approximatum potentiæ, non tamen modo proportionato, vt naturaliter videri poſsit, vt conſtat ex dictis pro noſtra concluſione. Ad ſecundum reſpõdeo, colorem, cuius partes ſunt in diuerſis partibus ſpatij per extẽſionem, videri poſſe naturaliter; ſecus, ſi eius partes ſint in diuerſis partibus per præſentiam, per quã omnes etiam ſint ſimul in ſingulis:

tum

tum quia ſicut hæc præſentia non dicitur extendere colorem; ſic etiam non eſt conditio ſufficiens ad hoc, vt obiectum producat naturaliter ſpeciem ſui, & videatur: tum etiam quia, cum ſit ſupernaturalis non poteſt naturaliter attingi à viſu per viſionem, vt dicebamus.

59 Ex his colligo 1. quod, ſi duo corpora extenſa penetrarentur miraculoſe, poſſent nihilominùs videri naturaliter à viſu: quia per miraculoſam penetrationem neutrum amitteret ſuam extenſionem, quæ eſt quid requiſitum ex parte obiecti, tum vt ſpeciem producat, tum vt videatur modo iam explicato. Colligo 2. quod, ſi vnum corpus eſſet totum in ſingulis partibus ſpatij diuiſibilis, non per præſentiam definitiuam; ſed per replicationem plurium circũſcriptiuarum (vt, ſi ſingulæ partes ponerentur in omnibus partibus ſpatij per præſentias, per quas naturaliter aliàs ibi eſſent, ſi reliquæ abeſſent) poſſet videri naturaliter à potentia viſiua: quia in eo caſu non carerent partes extenſione; ſed haberent plures extenſiones replicatas, atque adeo philoſophandum eſt de illis ſicut de duobus corporibus penetratis cum præſentijs aliàs illis connaturalibus.

60 Colligo 3. obiectum, cuius partes omnes reductæ eſſent ad punctum ſpatij, nõ poſſe videri naturaliter, quia deeſſet illis extenſio. Colligo 4. quod, ſi pars aliqua caloris, quantumuis minima, vel punctum (ſi continuum conſtat ex ſoli punctis) poneretur in ſpatio aliquo diuiſibili, vnius palmi v. gr. per præſentias replicatas, quas ipſa pars, vel punctum habere ſolet in eis partibus ſpatij quando eas occupat naturaliter; videretur naturaliter. Ratio eſt: quia illud punctum ratione ſui eſt viſibile, cum ſit pars coloris (ex ſuppoſitione, quod color componatur ex punctis) deinde eſt in loco diuiſibili per partes præſentiæ ex natura ſua conſtituentes extenſionem; ſi enim quælibet ex illis coniungeretur cum alijs ſimilibus præſentijs aliorum punctorum, conſtitueret extenſionem, vt nullus non fatetur, atque adeo omnes illæ inter ſe conſtituunt extenſionem, vel quaſi extenſionem: ergo nihil de eſt illi pũcto in caſu poſito, vt videatur naturaliter.

61 Confirmatur: quia multa grana tritici in cumulum coniuncta non aliter ſe mutuo iuuant, vt à magnâ diſtantiâ videātur (à quâ ſingula ſeorſim videri non poſſunt) niſi quiâ, dum ſingula ſingulis adhærent, conſtituunt vnam quaſi magnitudinem ſufficientem determinare potentiam ad ſui viſionem, vt vidimus diſput. 7. ſect. 5. & 6. atqui idem contingeret, ſi vnum granum per præſentias illi aliàs naturales replicaretur in tot locis, quot occupant plura illa grana: tunc enim cum illis præſentijs conſtitueret vnam quaſi magnitu-

dinem, neque viſu diſcerni poſſet; an ille comulus coaleſceret ex pluribus granis, vel ex vno in tot illis locis conſtituto? ergo idem dicendum eſt de puncto per præſentias illi alias connaturales conſtituto in pluribus ſpatijs cõtinuis, ſeu contiguis.

Obiectum indiuiſibiliter exiſtens poteſt ſupernaturaliter videri.

62 Dico 2. obiectũ indiuiſibiliter exiſtens poteſt ſupernaturaliter videri. Hæc eſt contra ſecundam ſententiam: & eam tenent authores relati tum pro 1. ſent. tum pro 1. noſtra concl. Adde Scot. in 4. diſt. 10. q. 9. §. *Ad quæſtionem dico.* Et eſt expreſſa ſententia S. Thomæ in 4. diſt. 10. q. 1. art. 4. quæſt. 1. præſertim ad 2. Vbi loquens de oculo glorificati corporis ait, nõ implicare contradictionẽ, quod videat corpus indiuiſibiliter exiſtens. Et diſt. 11. q. 3. art. 1. ad 4. vbi dicit, oculum Chriſti Domini exiſtentis extra Sacramentum, qualiter eſt in cœlo, non videre ſe ipſum, prout eſt in Sacramento; niſi forte, inquit, per miraculum. Et 1. p. q. 76. art. 7. ad 2. affirmat, oculum Chriſti Domini exiſtentis in Euchariſtia videre ſe ipſum, quamuis non videat modum, quem in ea habet.

63 Et in primis, quod poſsit ſupernaturaliter videri ſine modo exiſtendi indiuiſibiliter, conſtat ex ſect. 5. n. 39. vbi probauimus, ſenſibile proprium videri poſſe ſupernaturaliter abſque vllo communi. Cæterum hic mihi etiã probandum eſt, poſſe videri cum modo indiuiſibiliter exiſtendi. Pro cuius probatione Noto 1. modũ indiuiſibiliter exiſtendi ſenſibilis corporei diuiſibilis, ſiue is ſit præſentia definitiua conſtituens totum ſenſibile in ſingulis partibus, & punctis ſpatij, ſiue præſentia cõſtituens totum illud in vno puncto ſpatij, comprehendi intra latitudinem ſenſibilis communis: quia extenſio non ſolum percipitur expreſſe per ſenſum ſecũdum rationem extenſionis; ſed etiam ſecundum rationẽ præſentiæ; vt experientiâ conſtat, quâ nouimus, nõ ſolùm diſcerni viſu eſſe extenſum colorem; ſed etiam eſſe in tali loco, qui eſt proprius effectus præſentiæ vt talis: atque adeo expreſſe attingitur per viſum ratio præſentiæ: cum autem in præſentiâ definitiuâ inueniatur ratio præſentiæ, iam datur in ea aliquid, quod pertinet ad ſenſibile commune ſenſus.

64 Notó 2. præſentiam definitiuam, quâ corpus eſt indiuiſibiliter in loco taliter, vt ſit totum in ſingulis partibus ſpatij; eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam. Ratio eſt facilis: quia illud accidens dicitur ſupernaturale quoad ſubſtantiam, quod eſt ſupra vires, & exigentiam totius naturæ: ſed talis eſt præſentia definitiua rei corporeæ diuiſibilis: ergo eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Minor eſt certa: quia in naturâ nulla datur exigentia præſentiæ de-

definitiuæ rei corporeæ diuiſibilis; neque vlla vis eam producendi, vt conſtat ex communi omniũ Theologorum conſenſu, qui omnes miraculoſam prorſus fatentur præſentiam definitiuam Chriſti Domini in Euchariſtia: ſi autem exigeretur à naturâ, vel intra vires eius cõtineretur, nullatenus miraculoſa dici poſſet. Vide quæ ...imus in Phyſ. diſp. 22. ſect. 6.

Dices: præſentia definiti... connaturalis Angelo tali... vt ipſe eã in ſe producat iux... xigentiam ſui: ergo contine... intra vires, & exigentiã natu..., atque adeò ea, quæ datur in ...hriſto Domino in Euchariſtia, ...ò erit ſupernaturalis quoad ſub...antiam; ſed ſolum quoad modũ, ...ia, videlicet, datur corpori, cũ ...beatur Angelo, & propterea ...itur miraculoſa. Conceſſo an...edente, diſtinguo conſequens: ...inetur intra vires, & exigen... naturæ præſentia definitiua ...ualis, concedo: corporea, ... conſequentiam: atque adeò hæc erit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam.

66 Inſtabis: Præſentia definitiua ſpiritualis eſt perfectior, quàm corporea: ergo, ſi illa eſt naturalis, hæc nõ poterit eſſe ſupernaturalis. Nego conſequentiam: quia, ſicut ſubſtantia naturalis eſt perfectior, quam aliqua accidentia ſupernaturalia: ſic etiam accidens ſpirituale naturale poteſt eſſe perfectior, quam accidens ſupernaturale, ſi hoc ſit corporeũ: quia perfectio entitatis nõ eſt penſanda ex vno, aut altero prædicato; ſed ex collectione omniũ. Adde ſupernaturalitatẽ accidentis præciſe vt talẽ non tam arguere perfectionẽ ipſius accidentis, quã improportionem cum ſubiecto, quod afficit: poteſt autem contingere, quod res imperfecta ſit improportionata entitati, cui res alia perfectior eſt proportionata, vt inductione facile conſtabit.

67 Ex prænotatis colligo, præſentiam definitiuã ſenſibilis proprij viſus, aut alterius ſenſus externi eſſe obiectũ ſupernaturale ipſorũ ſenſuũ: quia ſecundũ rationem præſentiæ cõtinetur intra latitudinẽ ſenſibilis cõmunis: deinde ſecundũ rationẽ definitiuæ eſt ſupernaturalis: ergo eſt obiectum ſupernaturale ſenſus. Confirmatur: quia accidentia, & ſubſtantiæ ſupernaturales, eo quod ſecundũ rationẽ entis pertinẽt ad obiectũ intellectus, quod eſt ens, &, ſecundum rationes proprias, & particulares ſunt ſupernaturales, dicuntur eſſe obiecta ſupernaturalia intellectus: ergo propter eandẽ rationem præſentia definitiua ſenſibilis proprij dicetur eſſe obiectũ ſupernaturale (ſecundariũ intellige, quia eſt ſenſibile cõmune) ſenſus. Et quidem, ſi ratio præſentiæ pertinet ad ſenſibile cõmune, neceſſariũ videtur, quod talitas præſentiæ, ratione cuius ſubiectũ fit taliter præſens, pertineat ad ipſum ſenſibile cõmune: quia impoſſibile videtur, quod per ſenſum attingatur obiectũ aliquod vt præſens, quin etiam percipiatur, an

N hoc

hoc vel illo modo ſit præſens. His poſitis.

68 Probatur concluſio: quia id, quod intra latitudinē obiecti alicuius potētiæ cōtinetur, poteſt ſaltem ſupernaturaliter percipi à tali potentia, vt fatentur omnes: ſed modus indiuiſibiliter exiſtēdi coloris cōtinetur intra latitudinē obiecti potētiæ viſiuę, vt probatū eſt: ergo poteſt videri ab ipſa potentia viſiua, nō quidem naturaliter, quia talis modᵘˢ exiſtēdi nō eſt naturalis; ſed ſupernaturaliter, quia eſt obiectū ſupernaturale, vt probatū eſt. Id, quod dictū eſt de modo indiuiſibiliter exiſtendi per præſentiā definitiuā, dictū puta de modo indiuiſibiliter exiſtendi coloris in ſpatio omnino indiuiſibili.

69 Ex dictis facile reſpōderi poteſt ad argumentū ſecundæ ſententiæ propoſitæ n. 53. Dico ergo, obiectū indiuiſibiliter exiſtēs poſſe ſupernaturaliter videri cum modo indiuiſibiliter exiſtendi, & ſine illo: quia licet modus indiuiſibiliter exiſtendi non cadat ſub ſenſibile cōmune naturale, & ideò non cōtineatur in enumeratis ab Ariſt. quia ipſe tantum cognouit ſenſibilia cōmunia naturalia; cadit tamen ſub ſenſibile commune ſupernaturale, vt probatum eſt.

70 Ad primum, quod n. 54. adducitur ad probandum, ſenſibile propriū non poſſe percipi ſupernaturaliter ſine modo indiuiſibiliter exiſtendi, fateor, viſionem materialē eſſe cognitionē intuitiuam: de huius tamen eſſentia, licet ſit, quod percipiat exiſtentiam proprij obiecti ſingularis, quia nulla cognoſcitur à Philoſophis, aut Theologis intuitiua cognitio, quæ non verſetur circa obiectum exiſtens ſingulare; non tamen eſt de eſſentia illius, quod percipiat exiſtentiam obiecti in loco. Alioquì ſuppoſita ſententia aſſerente, Deum ab æterno nullibi fuiſſe, viſio, qua Deus ſe vidit ab æterno, nō eſſet intuitiua c[illegible] non viderit ſe in loco: atqui [illegible] nes Theologi vnanimi con[illegible] affirmant prædictā viſionē, a[illegible] ſuppoſitā eā ſententiā, fuiſſe i[illegible] tiuam: ergo plane exiſtimant rationem viſionis intuitiuæ n[illegible] requiri cognitionē exiſtentiæ [illegible] ctualis in loco. Vnde viſio, qua[illegible] n. 39. diximus dari poſſe ſuperna[illegible] turaliter de ſenſibili proprio ſi[illegible] communi, ſine vllo dubio eſſet i[illegible] tuitiua.

71 Circa ſecundū, quod [illegible] dem adducitur, iam monui a[illegible] Dei omnipotentiā non eſſe [illegible] anguſtas noſtri intellectus n[illegible] coercendā, & ideo licet non [illegible] ſimus intelligere, qua ratione videretur obiectū ſenſibile ſine modo exiſtendi in loco, non eſt Deo denagandum, ſi aliunde non appa ret implicatio.

Obiectum indiuiſibiliter exiſtens in ſpatio diuiſibili poteſt videri vt extenſum.

72 Rogas 1. an obiectum exiſtens totū in ſingulis partibus alicuius ſpatij diuiſibilis poſsit ſupernaturaliter videri ibi ex-

Digitized by Google

extenſum? Reſpondeo affirmatiuè. Ponamus enim Chriſtũ Dominum exiſtere indiuiſibiliter in hoſtia magnitudinis humanæ; cũ corpus eius eſſet totum in ſingulis partibus, poſſet Deus ſingulas partes corporis oſtendere in ſingulis partibus ſpatij; neque enim in hoc vlla poteſt eſſe repugnantia; quia, licet præſentia eſſet vna omnino indiuiſibilis reſpondens omnibus partibus corporis in ſingulis partibus ſpatij, poſſet à Deo oſtendi ſolùm prout conſtituens primam partem corporis in prima parte ſpatij; &, ſecundã, in ſecundã; & ſic in reliquis. Cuius ratio ſumitur ex dictis ſuprà n. 31. quia, cum præſentia, & ſenſibile proprium attingantur per vnam ſpeciem, ita vt illa attingatur ratione huius, ſi in ſingulis partibus ſpatij non attingatur præſentia niſi ratione ſingularum partium, non attingetur, niſi prout conſtituens præſentes ſingulas partes coloris in ſingulis partibus ſpatij: atqui nulla eſt repugnantia in eo, quod in ſingulis partibus ſpatij non attingatur præſentia niſi ratione ſingularum partium coloris: ergo poterit fieri à Deo. Si autem hac ratione attingeretur obiectum, videretur vt ibi extenſum, vt conſtat.

Species obiecti indiuiſibiliter exiſtentis non eliceret abſq; nouo miraculo viſionem.

73 Rogas 2. An ſi obiectũ indiuiſibiliter exiſtens per modum ſupernaturalem produceret ſpeciem ſui in potentia viſiua, hæc eliceret viſionem ſine nouo miraculo? Pro reſponſione Noto 1. viſionẽ talis obiecti pro vt affecti tali modo ſupernaturali fore ſupernaturalẽ quoad ſubſtantiam: quia hæc viſio eſt ex natura ſua intuitiua, vt fatentur omnes: ergo eſſentialiter petit ſuum obiectum exiſtere realiter eo modo, quo attingitur per ipſam. Patet conſequentia: quia in hoc diſtinguitur cognitio exiſtentiæ ex natura ſua intuitiua ab ea, quæ non eſt intuitiua ex natura ſua, quod, licet vtraque tendat in exiſtentiã ſui obiecti, prima tamen ita connectitur cum exiſtentia, vt petat verè dari in rerum naturâ talem exiſtentiam; ſecunda verò non petat vere dari; ſed vere, vel apparenter tantùm. Pergo: ſed viſio eſſentialiter petens verè exiſtere obiectũ ſupernaturale, debet eſſe ſupernaturalis quoad ſubſtantiã; alioqui iam exiſtentia accidentis ſupernaturalis exigeretur ab aliquo naturali, ac perconſequens non eſſet ſupra exiſtentiam totius naturæ: contra communem ſententiam aſſerentem accidens ſupernaturale debere eſſe ſupra vires, & exigentiam totius naturæ: ergo prædicta viſio debet eſſe ſupernaturalis quoad ſubſtantiam.

74 Noto 2. ad eliciendã prædictam viſionem non ſolùm requiri in potentia ſpeciem obiecti; ſed etiam comprincipium ſupernaturale. Ratio eſt: quia ad eliciendam viſionem obiecti duo requiruntur, & quod potentia in ratio-

ne potentiæ ſit proportionata viſioni; & quod illi adueniat ſpecies applicans intentionaliter obiectum ipſi potentiæ, vel eam complens, & determinans ad viſionē, ſed potentia viſiua non eſt ratione ſui proportionata viſioni ſupernaturali: ergo debet dari illi aliud comprincipiū ſupernaturale quod illam proportionet.

75 Dices proportionari per ſpeciem ſupernaturalem. Sed cōtrà: in primis ſpecies in mea ſententia non concurrit efficienter ad cognitionem; ſed ſolùm tanquam conditio applicans obiectum potentiæ; atque adeò debet dari alia entitas ſupernaturalis, quæ potentiam compleat in eſſe principij productiui actus ſupernaturalis. Secūdò, dato, quod ſpecies concurrat efficienter, ſicut ad viſiones naturales præter concurſum ſpeciei naturalis requiritur potentia in eſſe potentiæ proportionata viſioni naturali; ſic etiam ad viſiones ſupernaturales præter concurſum ſpeciei ſupernaturalis requiretur, quod potentia in eſſe potentiæ ſit proportionata viſioni ſupernaturali: ergo debet dari aliquod comprincipium ſupernaturale, per quod proportionetur.

76 Notō 3. comprincipium iſtud ſupernaturale non deberi potentiæ adhuc ex ſuppoſitione, quod ſpecies ſupernaturalis ſit in illa. Id colligo ex eo, quod euenit in naturalibus; nam quando potentia viſiua eſt deſtituta connaturali temperamēto (quod per ſe requiritur ex parte potentiæ ad eliciendam viſionem natura ē obiecti naturalis) eſt improportionata, ſeu inepta ad eliciendam viſionem taliter, vt licet ſpecies producatur in potentia ab obiecto approximato; nihilominùs nō debeatur illi ex vi productionis talis ſpeciei reſtitutio temperamenti, vt fatentur omnes: ergo ſimiliter in ſupernaturalibus, etiamſi producatur in potētia ſpecies ſupernaturalis obiecti, non debebitur ipſi potētiæ cōprincipium ſupernaturale, per quod proportionetur ad viſionem ſupernaturalem. His poſitis.

77 Facilis eſt reſponſio ad dubium propoſitum n. 73. Dico ergo, caſu, quo in potentia viſiua produceretur ſpecies ſupernaturalis obiecti ſupernaturalis, non poſſe produci viſionem ſupernaturalem abſque nouo miraculo, ſi non ſupponatur in potentia cōprincipium aliud ſupernaturale. Ratio ſumitur ex dictis: quia, adhuc poſitâ eâ ſpecie in potentia, non debetur ipſi potentiæ comprincipium ſupernaturale neceſſario requiſitum ad talem viſionem: ergo ſupra exigentiā illius daretur ipſi: atqui quod tribuitur naturæ ſupra exigentiam ipſius, eſt miraculoſū, ſi rarò eueniat, vt contingeret in caſu poſito: ergo nouum miraculum, aut quaſi miraculum neceſſarium eſſet ad talem viſionem eliciendam. Quod dictum eſt de potentia viſiua dictum puta de reliquis ſenſibus externis circa ſua obiecta.

SEC-

SECTIO VII.

An ſenſus externus poſsit percipere præſentiam, aut exiſtentiam obiecti, quando hoc non eſt præſens, aut exiſtens?

78 Certum eſt 1. id non poſſe fieri naturaliter: quia ſenſus externus non poteſt naturaliter percipere ſuum obiectum ſine ſpecie illius, vt fatentur omnes qui ſpecies admittunt: atqui talis ſpecies ex natura rei dependet in conſeruari ab obiecto, vt dictum eſt diſp. 7. ſect. 4. & deinde obiectum non poteſt illam cõſeruare, niſi ſit exiſtẽs, & præſens, vt docent communiter authores: ergo obiectum abſens, aut non exiſtens non poteſt naturaliter percipi à ſenſu externo. Certum eſt 2. ſenſum externum non poſſe adhuc ſupernaturaliter percipere per actum poſitiuum carentiã exiſtentiæ, aut carentiam præſentiæ ſui obiecti: quia nulla potentia poteſt percipere poſitiue adhuc ſupernaturaliter id, quod non continetur intra latitudinem ſui obiecti, vt dicemus ſect. ſeq. ex communi ſententia: ſed prædictæ carentiæ non continẽtur intra latitudinem obiecti ſenſus externi, vt fatentur omnes: ergo non poteſt eas adhuc ſupernaturaliter percipere. Et propter eandem rationem eſt certum, ſenſus nõ poſſe percipere poſsibilitatẽ ſui obiecti prout præſcindẽtem ab exiſtentia: quia ſub hac ratione non continetur intra latitudinem ſui obiecti.

79 Difficultas ergo ſolùm eſt: an ſenſus, quando obiectum reuera non eſt præſens, aut exiſtens, poſsit de potentia Dei percipere præſentiam, & exiſtentiã illius ac ſi reuera eſſet exiſtens, & præſens? Et prætereà eſt difficultas: an id fieri poſsit conſeruatâ ſpecie, quæ dabatur in potentia, præſente obiecto; vel ſine illa? Circa quam 1. ſententia tenet ſenſum externum adhuc de potentia Dei abſoluta non poſſe percipere præſentiam, aut exiſtentiam obiecti, quando ipſum nõ eſt exiſtens, aut præſens. Ita Gabr. in 2. diſt. 3. q. 2. concl. 2. & nonnulli recentiores apud P. Rub. infra referendũ.

80 Probatur 1. quia ſenſatio quæuis ſenſuum externorũ ex natura ſua eſt intuitiua: atqui de ratione cognitionis intuitiuæ eſt tendere in obiectum præſens, & exiſtens: ergo nõ poteſt dari ſenſatio obiecti, quando hoc non eſt exiſtens, aut præſens. Confirmatur: quia nulla potentia cognoſcitiua adhuc de potẽtia Dei abſoluta poteſt percipere id, quod intra latitudinem ſui obiecti non continetur: atqui quod non eſt præſens, aut exiſtens, non continetur intra latitudinẽ obiecti ſenſus externi: ergò, &c. Minor videtur cõſtare ex Ar. 2. de An. tex. 6. vbi in eo diſtinguit obiectũ ſenſus & intellectus, quod obiecti huius nõ debeat eſſe extra animã; ſecus obiectum ſenſus: ergo ſentit de ratione obiecti ſenſus eſſe exiſtere.

81 Secunda ſententia aſſerit, ſenſum externum poſſe de potentia Dei percipere exiſtentiam, & præſentiam obiecti, quando hoc non eſt præſens, nec exiſtens, ſi à Deo accipiat ſpeciẽ illius; ſecus ſi talem ſpeciem nõ accipiat. Ita nonnulli apud P. Rub. infra q. 14. Prima pars probabitur infra. Secunda verò, nempe quod, deficiẽte ſpecie, non poſsit percipi præſentia, & exiſtentia obiecti; hoc abſente, probatur: quia potentia cognoſcitiua, vt ſit principium cognitionis debet præcedere ſimilis obiecto per ſpeciem, vt ex Ariſt. & S. Th. docuimus ſuprà diſp. 7. num. 16. atqui, ſi non præcedat nulla ſpecies, non poteſt præcedere ſimilis obiecto, neque enim quid aliud poteſt præcedere, ratione cuius fiat ſimilis obiecto: ergo, &c.

82 Confirmatur: quia cognitio non poteſt à potentiâ produci, niſi obiectum cum illa concurrat obiectiuè: atqui hoc nõ poteſt obiectiuè concurrere cum potentia, niſi mediâ ſpecie: ergo, &c. Minor probatur: quia obiectum eatenùs concurrit obiectiuè, quatenùs vnitur intentionaliter potentiæ: at ita non aliter fit, niſi mediâ ſpecie: ergo, &c. Confirmatur 2. quia actus ſentiendi eſt expreſſa ſimilitudo & imago obiecti: atqui de ratione imaginis eſt, quod procedat ab eo, cuius eſt imago: ergo debet procedere ab obiecto: ſeu nõ aliter procedit ab obiecto, niſi mediâ ſpecie: ergo hæc eſt neceſſaria omnino ex parte potẽtię.

Prima concluſio contra primam ſententiam.

83 Dico 1. exiſtentia; & præſentia obiecti poſſunt percipi de potentia Dei per ſpeciem poſitam in potentia, quando obiectum reuerà nõ eſt præſens, aut exiſtens in rerum naturâ. Hæc eſt cõtra 1. ſent. & eã tenet P. Mol. 1. p. q. 55. art. 2. diſp. 2. memb. 5. P. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 53. ſect. 4. & diſp. 55. ſect. 2. PP. Connimb. 2. de An. cap. 6. q. 3. art. 1. P. Rub. ibidem q. 13. Probatur 1. ex S. Tho. 3. p. q. 76. art. 8. aſſerente, nonnumquam Deum in Euchariſtia puerum, carnem, manum, & quędam alia oculis repræſentare, producẽdo in eis ſpeciem taliũ rerum, etiamſi hæ præſentes non ſint: ergo apertè ſentit in his apparitionibus repræſentari exiſtentias, & præſentias rerum per ſpecies à Deo impreſſas, quando tales res reuerà non exiſtunt, aut non ſunt præſentes. Idẽ docent Scot. in 4. diſt. 10. q. 1. Ledeſ. 1. p. 4. q. 14. art. vlt. Ant. 3. p. tit. 13. cap. 14. Victor. in relect. de Euchariſtia n. 62. & Sot. in 4. diſt. 10. q. 1. art. 8.

84 Probatur ratione: quia obiectum duplicem concurſum habet in ſenſationem; vnum efficientis mediâ ſpecie productâ in ſenſu; alterum obiecti terminantis ſenſationẽ: ſed Deus poteſt ſupplere primum, & ad ſecundum nõ requiritur eſſentialiter præſentia, aut exiſtentia realis obiecti: ergo

ergo de potentia Dei poterit dari ſenſatio præſentiæ, & exiſtentiæ obiecti, quando ipſum obiectũ reuerà non eſt exiſtens, aut præſens. Minor probatur quoad primam partem: quia obiectum non aliter producit ſpeciem ſui in potentia, niſi in genere cauſę efficiẽtis non vitalis: atqui Deus poteſt ſe ſolo producere omnes effectus cuiuſuis cauſæ efficientis creatæ non vitalis, vt docet expreſsè S. Thom. 1. p. q. 115. art. 5. & cum eo communiter Doctores: ergo Deus poteſt ſe ſolo producere in potentia ſenſitiua ſpeciem obiecti ſenſibilis. Idem manifeſte confirmant viſiones, quibus videri ſolent vt exiſtentia, & præſentia in Euchariſtia nonnulla obiecta, quæ ibi non ſunt: nam, ſi viſio non poſſet fieri niſi per ſpeciẽ productã ab obiecto, qua ratione producerentur tunc ſpecies ab obiecto non exiſtente, ſeu non præſente?

85 Secunda pars minoris propoſitionis probatur ex eodem fundamento: quia obiecta non exiſtentia in Euchariſtia terminant ſæpe viſiones repræſentantes talia obiecta vt ibi exiſtentia, & præſentia: ergo ad hoc, vt obiectum exerceat munus terminandi ſenſationem, non requiritur eſſentialiter, quod actu exiſtat, ſeu ſit pręſens. Et ratio à priori eſt: quia quod obiectum terminet ſenſationem nihil aliud eſt, niſi quod repræſentetur per iſtam: atqui, etiamſi non exiſtat, ſeu ſit pręſens obiectum, poſſunt pręſentia, & exiſtentia eius repræſentari per ſenſationem: ergo, &c. Minor probatur: quia, quando obiectum eſt abſens, ſeu non exiſtens, nihil aliud repræſentat viſio, niſi id, quod repręſentaret, ſi eſſet exiſtens, aut præſens obiectum: ergo talis viſio non extenditur vltra ſuum obiectum. Deinde non eſt fundamentũ aliquod cõuincens, exiſtentiam, ſeu præſentiã actualem obiecti eſſe conditionem eſſentialiter requiſitam, ſine qua non poſsit dari in rerum naturâ, adhuc de potentia Dei, ſenſatio ipſas repræſentans: cur ergo denegabitur Deo productio talis ſenſationis?

86 Confirmatur: quia per hoc, quod eſt exigere ex natura ſuâ exiſtentiam, & præſentiã actualẽ obiecti, quas repræſentat, diſtinguitur ſufficiẽter cognitio intuitiua à nõ intuitiuâ præcisè vt tali, etiãſi poſsit eſſe ſupernaturaliter ſine illis: ergo non eſt, cur dicamus habere talem connexionem cum illis, vt eſſentialiter requirat, eas adeſſe in rerum natura, ad hoc, vt ipſa detur. Id tamen non tollit, quod aliqua cognitio intuitiua, imò & nõ intuitiua ſit talis naturæ, quæ dari nequeat in rerũ natura, quin verè detur obiectũ eo modo, quo illud repræſentat; de quo aliquid dicemus diſp. 11. ſect. 4.

87 Ad rationem adductam pro 1. ſent. conceſſâ maiori, quod ſenſatio externa ex natura ſua eſt intuitiua, diſtinguo minorem: de ratione cognitionis intuitiuæ eſt tendere in obiectum præſens, & exiſtens taliter, vt habeat eſſen-

tentia viſiua: ergo non poteſt naturaliter videri. Minor probatur: quia agens corporeũ, & diuiſibile petit ex natura ſua extenſionẽ tanquam conditionem immediate requiſitam ad ſuas functiones obeundas: ergo hac deficiente nõ poterit operari, atque adeò, cum obiectum indiuiſibiliter exiſtens careat extenſione, non poterit producere ſpeciẽ in potentia viſiua. Antecedens eſt mihi certum: quia quoduis agens corporeum, & diuiſibile petit extenſionẽ, cum non poſsit eſſe naturaliter ſine illa: atqui ad nihil aliud poteſt illam petere niſi ad ſuas functiones obeundas; ſi enim eâ illi non eſſet opus ad operandum, vt quid ita ſedulo in illam conaretur, vt non poſſet eſſe ſine ipſa? ergo extenſio eſt conditio ex natura rei requiſita ex parte agentis corporei ad operandum.

56 Secundò: quia color indiuiſibiliter exiſtẽs in ſpatio diuiſibili videri deberet vel ſimul cum modo indiuiſibiliter exiſtendi, vel ſine illo: atqui neutro modo videri poteſt naturaliter: ergo, &c. Minor probatur, & primo quod non poſsit videri naturaliter ſine modo exiſtẽdi: quia ſenſibile propriũ non poteſt naturaliter videri ſine communi, vt experientiâ conſtat. Et ratio à priori eſt: quia cũ ipſum ex ſe ſit indifferens ad producendam ſpeciem, quæ illud repræſentet cum hoc vel illo modo exiſtẽdi, debet ex natura rei habere aliud comprincipiũ determinans ad ſpeciem repræſentantem cum hoc modo exiſtendi potiùs, quàm cum illo, quod quidem nullũ aliud eſſe poteſt, niſi ipſe modus exiſtẽdi, cui tanquã propriæ cauſæ reſpondet in ſpecie repræſentatio ipſius, vt diximus ſuprà ſect. 4. in fine: ergo non poterit naturaliter videri vnum ſine alio.

57 Deinde probatur, quod non poſsit naturaliter videri color cum modo indiuiſibiliter exiſtendi in ſpatio diuiſibili: quia iſte mod⁹ eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, vt dicam cõcl. ſeq. ergo, ſi attingitur â viſu per viſionẽ, nõ attingitur vt obiectum naturale; ſed vt ſupernaturale: atqui potẽtia naturalis ordinis nõ poteſt naturaliter per cognitionem clarã, qualis eſt viſio, attingere ſuum obiectum ſupernaturale; vt conſtat in intellectu, qui naturaliter non poteſt clare, aut certo attingere entia ſupernaturalia, vt concedunt omnes Theologi: ergo idem dicendum erit de potentia viſiua.

58 Ad primum argumentum primæ ſententiæ reſpondeo, colorem indiuiſibiliter exiſtentem eſſe quidem ſenſibilem ratione ſui, & deinde approximatum potentiæ, non tamen modo proportionato, vt naturaliter videri poſsit, vt conſtat ex dictis pro noſtra concluſione. Ad ſecundum reſpõdeo, colorem, cuius partes ſunt in diuerſis partibus ſpatij per extẽſionem, videri poſſe naturaliter; ſecus, ſi eius partes ſint in diuerſis partibus per præſentiam, per quã omnes etiam ſint ſimul in ſingulis:

tum

tum quia ſicut hæc præſentia non dicitur extendere colorem; ſic etiam non eſt conditio ſufficiens ad hoc, vt obiectum producat naturaliter ſpeciem ſui, & videatur: tum etiam quia, cum ſit ſupernaturalis non poteſt naturaliter attingi à viſu per viſionem, vt dicebamus.

59 Ex his colligo 1. quod, ſi duo corpora extenſa penetrarentur miraculoſe, poſſent nihilominùs videri naturaliter à viſu: quia per miraculoſam penetrationem neutrum amitteret ſuam extenſionem, quæ eſt quid requiſitum ex parte obiecti, tum vt ſpeciem producat, tum vt videatur modo iam explicato. Colligo 2. quod, ſi vnum corpus eſſet totum in ſingulis partibus ſpatij diuiſibilis, non per præſentiam definitiuam; ſed per replicationem plurium circūſcriptiuarum (vt, ſi ſingulæ partes ponerentur in omnibus partibus ſpatij per præſentias, per quas naturaliter aliàs ibi eſſent, & reliquæ abeſſent) poſſet videri naturaliter à potentia viſiua: quia in eo caſu non carerent partes extenſione; ſed haberent plures extenſiones replicatas, atque adeo philoſophandum eſt de illis ſicut de duobus corporibus penetratis cum præſentijs aliàs illis connaturalibus.

60 Colligo 3. obiectum, cuius partes omnes reductæ eſſent ad punctum ſpatij, nō poſſe videri naturaliter, quia deeſſet illis extenſio. Colligo 4. quod, ſi pars aliqua coloris, quantumuis minima, vel punctum (ſi continuum conſtat ex ſolis punctis) poneretur in ſpatio aliquo diuiſibili, vnius palmi v. gr. per præſentias replicatas, quas ipſa pars, vel punctum habere ſolet in eis partibus ſpatij quando eas occupat naturaliter; videretur naturaliter. Ratio eſt: quia illud punctum ratione ſui eſt viſibile, cum ſit pars coloris (ex ſuppoſitione, quod color componatur ex punctis) deinde eſt in loco diuiſibili per partes præſentiæ ex natura ſua conſtituentes extenſionem; ſi enim quælibet ex illis coniungeretur cum alijs ſimilibus præſentijs aliorum punctorum, conſtitueret extenſionem, vt nullus non fatetur, atque adeo omnes illæ inter ſe conſtituunt extenſionem, vel quaſi extenſionem: ergo nihil deeſt illi pūcto in caſu poſito, vt videatur naturaliter.

61 Confirmatur: quia multa grana tritici in cumulum coniuncta non aliter ſe mutuo iuuant, vt à magnā diſtantiā videātur (à quā ſingula ſeorſim videri non poſſunt) niſi quià, dum ſingula ſingulis adhærent, conſtituunt vnam quaſi magnitudinem ſufficientem determinare potentiam ad ſui viſionem; vt vidimus diſput. 7. ſect. 5. & 6. atqui idem contingeret, ſi vnum granum per præſentias illi aliàs naturales replicaretur in tot locis, quot occupant plura illa grana: tunc enim cum illis præſentijs conſtitueret vnam quaſi magnitu-

dinem, neque viſu diſcerni poſſet; an ille cumulus coaleſceret ex pluribus granis, vel ex vno in tot illis locis conſtituto? ergo idem dicendum eſt de puncto per præſentias illi alias connaturales conſtituto in pluribus ſpatijs cōtinuis, ſeu contiguis.

Obiectum indiuiſibiliter exiſtens poteſt ſupernaturaliter videri.

62 DIco 2. obiectū indiuiſibiliter exiſtens poteſt ſupernaturaliter videri. Hæc eſt contra ſecundam ſententiam: & eam tenent authores relati tum pro 1. ſent. tum pro 1. noſtra concl. Adde Scot. in 4. diſt. 10. q. 9. §. *Ad quæſtionem dico.* Et eſt expreſſa ſententia S. Thomæ in 4. diſt. 10. q. 1. art. 4. quæſt. 1. præſertim ad 2. Vbi loquens de oculo glorificati corporis ait, nō implicare contradictionē, quod videat corpus indiuiſibiliter exiſtens. Et diſt. 11. q. 3. art. 1. ad 4. vbi dicit, oculum Chriſti Domini exiſtentis extra Sacramentum, qualiter eſt in cœlo, non videre ſe ipſum, prout eſt in Sacramento; niſi forte, inquit, per miraculum. Et 1. p. q. 76. art. 7. ad 2. affirmat, oculum Chriſti Domini exiſtentis in Euchariſtia videre ſe ipſum, quamuis non videat modum, quem in ea habet.

63 Et in primis, quod poſſit ſupernaturaliter videri ſine modo exiſtendi indiuiſibiliter, conſtat ex ſect. 5. n. 39. vbi probauimus, ſenſibile proprium videri poſſe ſupernaturaliter abſque vllo communi. Cæterum hìc mihi etiā probandum eſt, poſſe videri cum modo indiuiſibiliter exiſtendi. Pro cuius probatione Noto 1. modū indiuiſibiliter exiſtendi ſenſibilis corporei diuiſibilis, ſiue is ſit præſentia definitiua conſtituens totum ſenſibile in ſingulis partibus, & punctis ſpatij, ſiue præſentia cōſtituens totum illud in vno puncto ſpatij, comprehendi intra latitudinem ſenſibilis communis: quia extenſio non ſolum percipitur expreſſe per ſenſum ſecūdum rationem extenſionis; ſed etiam ſecundum rationē præſentiæ; vt experientiâ conſtat, quâ nomimus, nō ſolùm diſcerni viſu eſſe extenſum colorem; ſed etiam eſſe in tali loco, qui eſt proprius effectus præſentiæ vt talis: atque adeo expreſſe attingitur per viſum ratio præſentiæ: cum autem in præſentiâ definitiuâ inueniatur ratio præſentiæ, iam datur in ea aliquid, quod pertinet ad ſenſibile commune ſenſus.

64 Notō 2. præſentiam definitiuam, quâ corpus eſt indiuiſibiliter in loco taliter, vt ſit totum in ſingulis partibus ſpatij; eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam. Ratio eſt facilis: quia illud accidens dicitur ſupernaturale quoad ſubſtantiam, quod eſt ſupra vires, & exigentiam totius naturæ: ſed talis eſt præſentia definitiua rei corporeæ diuiſibilis: ergo eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Minor eſt certa: quia in naturâ nulla datur exigentia præſentiæ de-

definitiuæ rei corporeæ diuiſibilis; neque vlla vis eam producendi, vt conſtat ex communi omniũ Theologorum conſenſu, qui omnes miraculoſam prorſus fatentur præſentiam definitiuam Chriſti Domini in Euchariſtia: ſi autem exigeretur à naturâ, vel intra vires eius cõtineretur, nullatenus miraculoſa dici poſſet. Vide quæ ...imus in Phyſ. diſp. 22. ſect. 6.

Dices: præſentia definiti... connaturalis Angelo tali... vt ipſe eã in ſe producat iux... ...xigentiam ſui: ergo contine... intra vires, & exigentiã natu..., atque adeò ea, quæ datur in ...hriſto Domino in Euchariſtia, ...õ erit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam; ſed ſolum quoad modũ, ...ia, videlicet, datur corpori, cũ ...beatur Angelo, & propterea ...itur miraculoſa. Conceſſo an...cedente, diſtinguo conſequens: ...inetur intra vires, & exigen... naturæ præſentia definitiua ...ualis, concedo: corporea, ... conſequentiam: atque adeò hæc erit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam.

66 Inſtabis: Præſentia definitiua ſpiritualis eſt perfectior, quàm corporea: ergo, ſi illa eſt naturalis, hæc nõ poterit eſſe ſupernaturalis. Nego conſequentiam: quia, ſicut ſubſtantia naturalis eſt perfectior, quam aliqua accidentia ſupernaturalia: ſic etiam accidens ſpirituale naturale poteſt eſſe perfectior, quam accidens ſupernaturale, ſi hoc ſit corporeũ: quia perfectio entitatis nõ eſt penſanda ex vno, aut altero prędicato; ſed ex collectione omniũ. Adde ſupernaturalitatẽ accidentis præciſe vt talẽ non tam arguere perfectionẽ ipſius accidentis, quã improportionem cum ſubiecto, quod afficit: poteſt autem contingere, quod res imperfecta ſit improportionata entitati, cui res alia perfectior eſt proportionata, vt inductione facile conſtabit.

67 Ex prænotatis colligo, præſentiam definitiuã ſenſibilis proprij viſus, aut alterius ſenſus externi eſſe obiectũ ſupernaturale ipſorũ ſenſuũ: quia ſecundũ rationem præſentiæ cõtinetur intra latitudinẽ ſenſibilis cõmunis: deinde ſecundũ rationẽ definitiuæ eſt ſupernaturalis: ergo eſt obiectum ſupernaturale ſenſus. Confirmatur: quia accidentia, & ſubſtantiæ ſupernaturales, eo quod ſecundũ rationẽ entis pertinẽt ad obiectũ intellectus, quod eſt ens, &c. ſecundum rationes proprias, & particulares ſunt ſupernaturales, dicuntur eſſe obiecta ſupernaturalia intellectus: ergo propter eandẽ rationem præſentia definitiua ſenſibilis proprij dicetur eſſe obiectũ ſupernaturale (ſecundariũ intelligẽ, quia eſt ſenſibile commune) ſenſus. Et quidem, ſi ratio præſentiæ pertinet ad ſenſibile cõmune, neceſſariũ videtur, quod talitas præſentiæ, ratione cuius ſubiectũ ſit taliter præſens, pertineat ad ipſum ſenſibile cõmune: quia impoſſibile videtur, quod per ſenſum attingatur obiectũ aliquod vt præſens, quin etiam percipiatur; an

N hoc

hoc vel illo modo ſit præſens. His poſitis:

68 Probatur concluſio: quia id, quod intra latitudinẽ obiecti alicuius potẽtiæ cõtinetur, poteſt ſaltem ſupernaturaliter percipi à tali potentia, vt fatentur omnes: ſed modus indiuiſibiliter exiſtẽdi coloris cõtinetur intra latitudinẽ obiecti potẽtiæ viſiuę, vt probatũ eſt: ergo poteſt videri ab ipſa potentia viſiua, nõ quidem naturaliter, quia talis mod⁹ exiſtẽdi nõ eſt naturalis; ſed ſupernaturaliter, quia eſt obiectũ ſupernaturale, vt probatũ eſt. Id, quod dictũ eſt de modo indiuiſibiliter exiſtendi per præſentiã definitiuã, dictũ puta de modo indiuiſibiliter exiſtendi coloris in ſpatio omnino indiuiſibili.

69 Ex dictis facile reſpõderi poteſt ad argumentũ ſecundæ ſententiæ propoſitæ n. 53. Dico ergo, obiectũ indiuiſibiliter exiſtẽs poſſe ſupernaturaliter videri cum modo indiuiſibiliter exiſtendi, & ſine illo: quia licet modus indiuiſibiliter exiſtendi non cadat ſub ſenſibile cõmune naturale, & ideò non cõtineatur in enumeratis ab Ariſt. quia ipſe tantum cognouit ſenſibilia cõmunia naturalia; cadit tamen ſub ſenſibile commune ſupernaturale, vt probatum eſt.

70 Ad primum, quod n. 54. adducitur ad probandum, ſenſibile propriũ non poſſe percipi ſupernaturaliter ſine modo indiuiſibiliter exiſtendi, fateor, viſionem materialẽ eſſe cognitionẽ intuitiuam: de huius tamen eſſentia, licet ſit, quod percipiat exiſtentiam proprij obiecti ſingularis, quia nulla cognoſcitur à Philoſophis, aut Theologis intuitiua cognitio, quæ non verſetur circa obiectum exiſtens ſingulare; non tamen eſt de eſſentia illius, quod percipiat exiſtentiam obiecti in loco. Alioquì ſuppoſita ſententia aſſerente, Deum ab æterno nullibi fuiſſe, viſio, qua Deus ſe vidit ab æterno, nõ eſſet intuitiua c[illegible] non viderit ſe in loco: atqui nes Theologi vnanimi con affirmant prædictã viſioné, a[illegible] ſuppoſitã eã ſententiã, fuiſſe i[illegible] tiuam: ergo plane exiſtimant rationem viſionis intuitiuæ n[illegible] requiri cognitioné exiſtentiæ [illegible] ctualis in loco. Vnde viſio, qua[illegible] n. 39. diximus dari poſſe ſupernaturaliter de ſenſibili proprio ſi[illegible] communi, ſine vllo dubio eſſet i[illegible] tuitiua.

71 Circa ſecundũ, quod [illegible] dem adducitur, iam monui a[illegible] Dei omnipotentiã non eſſe [illegible] anguſtas noſtri intellectus [illegible] coercendã, & ideo licet non [illegible] ſimus intelligere, qua ratione videretur obiectũ ſenſibile ſine modo exiſtendi in loco, non eſt Deo denegandum, ſi aliunde non apparet implicatio.

Obiectum indiuiſibiliter exiſtens in ſpatio diuiſibili poteſt videri vt extenſum.

72 Rogas 1. an obiectum exiſtens totũ in ſingulis partibus alicuius ſpatij diuiſibilis poſsit ſupernaturaliter videri ibi

extenſum? Reſpondeo affirmatiuè. Ponamus enim Christũ Dominum exiſtere indiuiſibiliter in hoſtia magnitudinis humanæ: cũ corpus eius eſſet totum in ſingulis partibus, poſſet Deus ſingulas partes corporis oſtendere in ſingulis partibus ſpatij; neque enim in hoc vlla poteſt eſſe repugnantia; quia, licet præſentia eſſet vna omnino indiuiſibilis reſpondens omnibus partibus corporis in ſingulis partibus ſpatij, poſſet à Deo oſtendi ſolùm prout conſtituens primam partem corporis in prima parte ſpatij; &, ſecundã, in ſecundã; & ſic in reliquis. Cuius ratio ſumitur ex dictis ſuprà n. 31. quia, cum præſentia, & ſenſibile proprium attingantur per vnam ſpeciem, ita vt illa attingatur ratione huius, ſi in ſingulis partibus ſpatij non attingatur præſentia niſi ratione ſingularum partium, non attingetur, niſi prout conſtituens præſentes ſingulas partes coloris in ſingulis partibus ſpatij: atqui nulla eſt repugnantia in eo, quod in ſingulis partibus ſpatij non attingatur præſentia niſi ratione ſingularum partium coloris: ergo poterit fieri à Deo. Si autem hac ratione attingeretur obiectum, videretur vt ibi extenſum, vt conſtat.

Species obiecti indiuiſibiliter exiſtentis non eliceret abſq; nouo miraculo viſionem.

73 ROgas 2. An ſi obiectũ indiuiſibiliter exiſtens per modum ſupernaturalem produceret ſpeciem ſui in potentia viſiua, hæc eliceret viſionem ſine nouo miraculo? Pro reſponſione Noto 1. viſionẽ talis obiecti pro vt affecti tali modo ſupernaturali fore ſupernaturalẽ quoad ſubſtantiam: quia hæc viſio eſt ex natura ſua intuitiua, vt fatentur omnes: ergo eſſentialiter petit ſuum obiectum exiſtere realiter eo modo, quo attingitur per ipſam. Patet conſequentia: quia in hoc diſtinguitur cognitio exiſtentiæ ex natura ſua intuitiua ab ea, quæ non eſt intuitiua ex natura ſua, quod, licet vtraque tendat in exiſtentiã ſui obiecti, prima tamen ita connectitur cum exiſtentia, vt petat verè dari in rerum naturã talem exiſtentiam; ſecunda verò non petat vere dari; ſed vere, vel apparenter tantùm. Pergo: ſed viſio eſſentialiter petens verę exiſtere obiectũ ſupernaturale, debet eſſe ſupernaturalis quoad ſubſtantiã; alioqui iam exiſtentia accidentis ſupernaturalis exigeretur ab aliquo naturali, ac perconſequens non eſſet ſupra exiſtentiam totius naturæ: contra communem ſententiam aſſerentem accidens ſupernaturale debere eſſe ſupra vires, & exigentiam totius naturæ: ergo prædicta viſio debet eſſe ſupernaturalis quoad ſubſtantiam.

74 Noto 2. ad eliciendã prædictam viſionem non ſolùm requiri in potentia ſpeciem obiecti; ſed etiam comprincipium ſupernaturale. Ratio eſt: quia ad eliciendam viſionem obiecti duo requiruntur, & quod potentia in ratio-

 ne

Digitized by Google

ne potentiæ ſit proportionata viſioni; & quod illi adueniat ſpecies applicans intentionaliter obiectum ipſi potentiæ, vel eam complens, & determinans ad viſionẽ: ſed potentia viſiua non eſt ratione ſui proportionata viſioni ſupernaturali: ergo debet dari illi aliud comprincipiũ ſupernaturale quod illam proportionet.

75 Dices proportionari per ſpeciem ſupernaturalem. Sed cõtrà: in primis ſpecies in mea ſententia non concurrit efficienter ad cognitionem; ſed ſolùm tanquam conditio applicans obiectum potentiæ; atque adeò debet dari alia entitas ſupernaturalis, quæ potentiam compleat in eſſe principij productiui actus ſupernaturalis. Secũdò, dato, quod ſpecies concurrat efficienter, ſicut ad viſiones naturales præter concurſum ſpeciei naturalis requiritur potentia in eſſe potentiæ proportionata viſioni naturali; ſic etiam ad viſiones ſupernaturales præter concurſum ſpeciei ſupernaturalis requiretur, quod potentia in eſſe potentiæ ſit proportionata viſioni ſupernaturali: ergo debet dari aliquod comprincipium ſupernaturale, per quod proportionetur.

76 Noto 3. comprincipium iſtud ſupernaturale non deberi potentiæ adhuc ex ſuppoſitione, quod ſpecies ſupernaturalis ſit in illa. Id colligo ex eo, quod euenit in naturalibus: nam quando potentia viſiua eſt deſtituta connaturali temperamẽto (quod per ſe requiritur ex parte potentiæ ad eliciendam viſionem natua ẽ obiecti naturalis) eſt improportionata, ſeu inepta ad eliciendam viſionem taliter, vt licet ſpecies producatur in potentia ab obiecto approximato; nihilominùs nõ debeatur illi ex vi productionis talis ſpeciei reſtitutio temperamenti, vt fatentur omnes: ergo ſimiliter in ſupernaturalibus, etiamſi producatur in potẽtia ſpecies ſupernaturalis obiecti, non debebitur ipſi potẽtiæ cõprincipium ſupernaturale, per quod proportionetur ad viſionem ſupernaturalem. His poſitis.

77 Facilis eſt reſponſio ad dubium propoſitum n. 73. Dico ergo, caſu, quo in potentia viſiua produceretur ſpecies ſupernaturalis obiecti ſupernaturalis, non poſſe produci viſionem ſupernaturalem abſque nouo miraculo, ſi non ſupponatur in potentia cõprincipium aliud ſupernaturale. Ratio ſumitur ex dictis: quia, adhuc poſitâ eâ ſpecie in potentia, non debetur ipſi potentiæ comprincipium ſupernaturale neceſſario requiſitum ad talem viſionem: ergo ſupra exigentiã illius daretur ipſi; atqui quod tribuitur naturæ ſupra exigentiam ipſius, eſt miraculoſũ, ſi rarò eueniat, vt contingeret in caſu poſito: ergo nouum miraculum, aut quaſi miraculum neceſſarium eſſet ad talem viſionem eliciendam. Quod dictum eſt de potentia viſiuâ dictum puta de reliquis ſenſibus externis circa ſua obiecta.

SEC-

SECTIO VII.

An ſenſus externus poſſit percipere præſentiam, aut exiſtentiam obiecti, quando hoc non eſt præſens, aut exiſtens?

78 Certum eſt 1. id non poſſe fieri naturaliter: quia ſenſus externus non poteſt naturaliter percipere ſuum obiectum ſine ſpecie illius, vt fatentur omnes qui ſpecies admittunt: atqui talis ſpecies ex natura rei dependet in conſeruari ab obiecto, vt dictum eſt diſp. 7. ſect. 4. & deinde obiectum non poteſt illam cōſeruare, niſi ſit exiſtēs, & præſens, vt docent communiter authores: ergo obiectum abſens, aut non exiſtens non poteſt naturaliter percipi à ſenſu externo. Certum eſt 2. ſenſum externum non poſſe adhuc ſupernaturaliter percipere per actum poſitiuum carentiā exiſtentiæ, aut carentiam præſentiæ ſui obiecti: quia nulla potentia poteſt percipere poſitiue adhuc ſupernaturaliter id, quod non continetur intra latitudinem ſui obiecti, vt dicemus ſect. ſeq. ex communi ſententia: ſed prædictæ carentiæ non continētur intra latitudinem obiecti ſenſus externi, vt fatentur omnes: ergo non poteſt eas adhuc ſupernaturaliter percipere. Et propter eandem rationem eſt certum, ſenſus nō poſſe percipere poſſibilitatē ſui obiecti prout præſcindētem ab exiſtentia: quia ſub hac ratione non continetur intra latitudinem ſui obiecti.

79 Difficultas ergo ſolùm eſt: an ſenſus, quando obiectum reuera non eſt præſens, aut exiſtens, poſſit de potentia Dei percipere præſentiam, & exiſtentiā illius ac ſi reuera eſſet exiſtens, & præſens? Et prætereà eſt difficultas: an id fieri poſſit conſeruatā ſpecie, quæ dabatur in potentia, præſente obiecto; vel ſine illa? Circa quam 1. ſententia tenet ſenſum externum adhuc de potentia Dei abſoluta non poſſe percipere præſentiam, aut exiſtentiam obiecti, quando ipſum nō eſt exiſtens, aut præſens. Ita Gabr. in 2. diſt. 3. q. 2. concl. 2. & nonnulli recentiores apud P. Rub. infra referendū.

80 Probatur 1. quia ſenſatio quæuis ſenſuum externorū ex natura ſua eſt intuitiua: atqui de ratione cognitionis intuitiuæ eſt tendere in obiectum præſens, & exiſtens: ergo nō poteſt dari ſenſatio obiecti, quando hoc non eſt exiſtens, aut præſens. Confirmatur: quia nulla potentia cognoſcitiua adhuc de potētia Dei abſoluta poteſt percipere id, quod intra latitudinem ſui obiecti non continetur: atqui quod non eſt præſens, aut exiſtens, non continetur intra latitudinē obiecti ſenſus externi: ergo, &c. Minor videtur cōſtare ex Ar. 2. de An. tex. 6. vbi in eo diſtinguit obiectū ſenſus & intellectus, quod obiecti huius nō debeat eſſe extra animā; ſecus obiectum ſenſus: ergo ſentit de ratione obiecti ſenſus eſſe exiſtere.

Digitized by Google

81 Secunda ſententia aſſerit, ſenſum externum poſſe de potentiâ Dei percipere exiſtentiam, & præſentiam obiecti, quando hoc non eſt præſens, nec exiſtens, ſi à Deo accipiat ſpeciē illius; ſecus ſi talem ſpeciem nō accipiat. Ita nonnulli apud P. Rub. infra q. 14. Prima pars probabitur infrà. Secunda verò, nempe quod, deficiēte ſpecie, non poſsit percipi præſentia, & exiſtentia obiecti; hoc abſente, probatur: quia potentia cognoſcitiua, vt ſit principium cognitionis debet præcedere ſimilis obiecto per ſpeciem, vt ex Ariſt. & S. Th. docuimus ſuprà diſp. 7. num. 16. atqui, ſi non præcedat in illa ſpecies, non poteſt præcedere ſimilis obiecto, neque enim quid aliud poteſt præcedere, ratione cuius fiat ſimilis obiecto: ergo, &c.

82 Confirmatur: quia cognitio non poteſt à potentiâ produci, niſi obiectum cum illa concurrat obiectiue: atqui hoc nō poteſt obiectiuè concurrere cum potentia, niſi mediâ ſpecie: ergo, &c. Minor probatur: quia obiectum eatenùs concurrit obiectiuè, quatenùs vnitur intentionaliter potentiæ: at id non aliter fit, niſi mediâ ſpecie: ergo, &c. Confirmatur 2. quia actus ſentiendi eſt expreſſa ſimilitudo & imago obiecti: atqui de ratione imaginis eſt, quod procedat ab eo, cuius eſt imago: ergo debet procedere ab obiecto: ſeu nō aliter procedit ab obiecto, niſi mediâ ſpecie: ergo hæc eſt neceſſaria omnino ex parte potētiæ.

Prima concluſio contra primam ſententiam.

83 DIco 1. exiſtentia, & præſentia obiecti poſſunt percipi de potentia Dei per ſpeciem poſitam in potentia, quando obiectum reuerà nōn eſt præſēns, aut exiſtens in rerum naturâ. Hæc eſt cōtra 1. ſent. & eā tenet P. Mol. 1. p. q. 55. art. 2. diſp. 2. memb. 5. P. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 53. ſect. 4. & diſp. 55. ſect. 2. PP. Conimb. 2. de An. cap. 6. q. 3. art. 1. P. Rub. ibidem q. 13. Probatur 1. ex S. Tho. 3. p. q. 76. art. 8. aſſerente, nonnumquam Deum in Euchariſtia puerum, carnem, manum, & quędam alia oculis repræſentare, producēdo in eis ſpeciem taliū rerum, etiamſi hæ præſentes non ſint: ergo apertè ſentit in his apparitionibus repræſentari exiſtentias, & præſentias rerum per ſpecies à Deo impreſſas, quando tales res reuerà non exiſtunt, aut non ſunt præſentes. Idē docent Scot. in 4. diſt. 10. q. 1. Ledeſ. 1. p. 4. q. 14. art. vlt. Ant. 3. p. tit. 13. cap. 14. Victor. in relect. de Euchariſtia n. 62. & Sot. in 4. diſt. 10. q. 1. art. 8.

84 Probatur ratione: quia obiectum duplicem concurſum habet in ſenſationem; vnum efficientis mediâ ſpecie productâ in ſenſu; alterum obiecti terminantis ſenſationē: ſed Deus poteſt ſupplere primum, & ad ſecundum nō requiritur eſſentialiter præſentia, aut exiſtentia realis obiecti: ergo

Digitized by Google

ergo de potentia Dei poterit dari ſenſatio præſentiæ, & exiſtentiæ obiecti, quando ipſum obiectũ reuerà non eſt exiſtens, aut præſens. Minor probatur quoad primam partem: quia obiectum non aliter producit ſpeciem ſui in potentia, niſi in genere cauſę efficiẽtis non vitalis: atqui Deus poteſt ſe ſolo producere omnes effectus cuiuſuis cauſæ efficientis creatæ non vitalis, vt docet expreſsè S. Thom. 1. p. q. 115. art. 5. & cum eo communiter Doctores: ergo Deus poteſt ſe ſolo producere in potentia ſenſitiua ſpeciem obiecti ſenſibilis. Idem manifeſte confirmant viſiones, quibus videri ſolent vt exiſtentia, & præſentia in Euchariſtia nonnulla obiecta, quæ ibi non ſunt: nam, ſi viſio non poſſet fieri niſi per ſpeciẽ productã ab obiecto, qua ratione producerentur tunc ſpecies ab obiecto non exiſtente, ſeu non præſente?

85 Secunda pars minoris propoſitionis probatur ex eodem fundamento: quia obiecta non exiſtentia in Euchariſtia terminant ſæpe viſiones repræſentantes talia obiecta vt ibi exiſtentia, & præſentia: ergo ad hoc, vt obiectum exerceat munus terminandi ſenſationem, non requiritur eſſentialiter, quod actu exiſtat, ſeu ſit pręſens. Et ratio à priori eſt: quia quod obiectum terminet ſenſationem nihil aliud eſt, niſi quod repræſentetur per iſtam: atqui, etiamſi non exiſtat, ſeu ſit pręſens obiectum, poſſunt pręſentia, & exiſtentia eius repræſentari per ſenſationem: ergo, &c. Minor probatur: quia, quando obiectum eſt abſens, ſeu non exiſtens, nihil aliud repræſentat viſio, niſi id, quod repræſentaret, ſi eſſet exiſtens, aut præſens obiectum: ergo talis viſio non extenditur vltra ſuum obiectum. Deinde non eſt fundamentũ aliquod cõuincens, exiſtentiam, ſeu præſentiã actualem obiecti eſſe conditionem eſſentialiter requiſitam, ſine qua non poſſit dari in rerum naturâ, adhuc de potentia Dei, ſenſatio ipſas repræſentans: cur ergo denegabitur Deo productio talis ſenſationis?

86 Confirmatur: quia per hoc, quod eſt exigere ex natura ſuâ exiſtentiam, & præſentiã actualẽ obiecti, quas repræſentat, diſtinguitur ſufficiẽter cognitio intuitiua à nõ intuitiuâ præciſè vt tali, etiãſi poſſit eſſe ſupernaturaliter ſine illis: ergo non eſt, cur dicamus habere talem connexionem cum illis, vt eſſentialiter requirat, eas adeſſe in rerum natura, ad hoc, vt ipſa detur. Id tamen non tollit, quod aliqua cognitio intuitiua, imò & nõ intuitiua ſit talis naturæ, quæ dari nequeat in rerũ natura, quin verè detur obiectũ eo modo, quo illud repræſentat; de quo aliquid dicemus diſp. 11. ſect. 4.

87 Ad rationem adductam pro 1. ſent. conceſſâ maiori, quod ſenſatio externa ex natura ſua eſt intuitiua, diſtinguo minorem: de ratione cognitionis intuitiuæ eſt tendere in obiectum præſens, & exiſtens taliter, vt habeat eſſen-

tialem connexionem cum exiſtentia, & præſentia, quas repræſentat, vere exiſtẽtibus in rerum naturâ, nego: taliter, vt ſolum exigat talem exiſtentiam, & præſentiam, concedo minorem. Et nego conſequentiã: quia ſicut quantitas ex naturâ ſuâ exigens extẽſionẽ poteſt dari de potentia Dei ſine tali extenſione; ita etiam cognitio intuitiua exigens ex natura ſuâ exiſtentiam, & præſentiam, quas repræſentat, poterit dari de potentia Dei ſine tali exiſtentiâ, & præſentiâ actualibus.

88 Ad confirmationem conceſſâ maiori, nempè quod ſenſus non poſsit percipere id, quod non eſt obiectum illius, diſtinguo minorem: quod non eſt præſens, aut exiſtens non continetur intra latitudinem obiecti ſenſus externi ſecundum non exiſtentiam, aut non præſentiam, concedo: ſecundum exiſtentiam, aut præſentiam, quas haberet, & habere ſolet, quando eſt præſens, & exiſtens, nego maiorem. Itaque in obiecto non exiſtente, & non præſente poſſunt conſiderari & carentia exiſtentiæ, ſeu præſentiæ, & ipſa exiſtentia, ac præſentia, quas habere ſolet, quando eſt præſens, & exiſtens. Ratione prioris, nempe carentiæ non pertinet ad obiectum ſenſus, & ideo nunquam talis carentia percipitur ab iſto; at verò ratione poſterioris pertinet, quia tunc nihil aliud repræſentat ſenſus, niſi id quod repræſentabat, ſeu repræſentaret, ſi obiectum vere eſſet exiſtens, & præſens, atque adeò non prætergreditur latitudinem ſui obiecti. Ad probationẽ adductam ex Ariſt. reſpondeo, diſcrimen ibi poſitum inter obiectum ſenſus, & intellectus eſſe deſumptum ex eo, quod requiritur ex natura rei. An verò de potentia Dei poſsint res aliter contingere, non curat Philoſophus.

Secunda concluſio contra ſecundam ſententiam.

89 Dico 2. De potentia Dei poteſt ſenſus percipere exiſtentiam, & præſentiam obiecti, quando hoc non eſt exiſtens aut præſens, abſque vlla ſpecie producta in ipſo ſenſu. Hæc eſt cõtra 2. ſent. Eam tenet P. Rub. ſupra q. 14. & videtur conſentire P. Mol. ſupra diſp. 1. ante medium. Probatur: quia ſpecies obiecti ſenſibilis non aliter conducit ad ſenſationẽ obiecti tàm abſentis, quàm præſentis, niſi vt cõprincipium efficiens non vitale, ſeu vt conditio intentionaliter applicans obiectũ potentiæ: quocumque modo concurrat, poteſt à Deo ſuppleri eius concurſus: ergo ſenſatio præſentiæ, & exiſtentiæ obiecti, adhuc hoc abſente, poterit dari de potentiâ Dei ſine ſpecie producta in potentia. Minor probatur quoad concurſum efficientem: quia Deus poteſt ſe ſolo producere effectus cuiuſque efficientis non vitalis, vt ſupra dicebamus in 1. cõcl. Dein dè probatur min. quoad munus conditionis: quia conditio applicans obiectũ ſenſui ex eo dicitur requi-

requiri, quod, eâ deficiente, non debetur concurſus ſenſui ad ſenſationem, vt ſæpe diximus: atqui poteſt Deus præſtare concurſum ſenſui, etiamſi illi non debeatur; quid enim obeſſe poteſt, vt Deus concurſum indebitum non præſtet? ergo poteſt dari ſenſatio de potentia Dei, deficiente ſpecie.

90 Ad rationem oppoſitam ſecundæ ſententiæ diſtinguo maiorem: potentia cognoſcitiua, vt ſit principium cognitionis, debet præcedere ſimilis obiecto, ſi operatura ſit naturaliter, ſeu ex naturâ rei, concedo: ſi ſupernaturaliter, & miraculoſè, nego maiorem: quia, vt diximus, Deus poteſt ſupplere concurſum ſpeciei, quæ eſt forma, per quam potentia fit ſimilis obiecto ante cognitionem.

91 Ad 1. confir. reſpondeo, duplicem concurſum obiectiuum diſtingui poſſe in obiecto: vnum mouere potentiam mediâ ſpecie ad cognitionem; alterum, terminare ipſam cognitionem (ſi forte is dici poteſt concurſus.) Hoc vltimũ nõ poteſt ſuppleri à Deo; ſecus primum: & ideo diſtinguo maiorem: cognitio non poteſt à potentia produci, niſi obiectum cum illa concurrat obiectiuè terminando cognitionem, concedo: mouendo ipſam potentiam, nego maiorem: quia, licet ex naturâ rei neceſſaria ſit ad cognitionem motio proueniens ab obiecto per ſpeciem; nihilominus de potentia Dei poteſt ſuppleri talis motio, vt dictum eſt. Ad 2. confir. diſtinguo minorem: de ratione imaginis eſt, quod procedat ab eo, cuius eſt imago, vel ab alio ſupernaturaliter ſupplente vices illius, concedo: quod procedat ab eo ita, vt non poſsit ſupernaturaliter ſuppleri concurſus eius, nego minorem.

92 Ex dictis infero, cognitionem, ſeu ſenſationem prædictam præſentiæ, aut exiſtentiæ obiecti, quando hoc non eſt præſens, fore naturalem quoad ſubſtantiam, ſi repræſentet præſentiam & exiſtẽtiam naturalem obiecti: quia eadem ſenſatio, quæ dabatur, præſente obiecto, poteſt perſeuerare de potentia Dei, eo abſente, & non exiſtente, vt conſtat ex dictis: ſed hæc erat naturalis quoad ſubſtantiam, præſente obiecto: ergo eodem modo erit naturalis, abſente obiecto, cum eadem perſeueret. Erit tamen ſupernaturalis quoad modum: quia, cum, abſente obiecto, non poſsit ex natura rei conſeruari ſpecies; neque hac deficiente elici viſio, aut cõſeruari ex natura rei, ſiquidem ex natura ſua petit exiſtentiam, & præſentiam obiecti, quod vt exiſtens, & præſens repræſentat, neceſſarium eſt, quod conſeruetur, ſeu producatur talis viſio ſupra vires, & exigẽtiam, naturæ, ac per conſequens ſupernaturaliter.

SECTIO VIII.

Vtrum aliquis ſenſus percipere poſsit obiectum ſpirituale, aut obiectum alterius ſenſus.

93 Communis omnium ſententia eſt, nullum ex ſenſibus

bus, quos hucuſque nouimus, adhuc de potentia Dei poſſe attingere obiectum aliquod ſpirituale; neque vllũ ex externis poſſe percipere obiectum alterius. Difficilè tamen aſsignatur ratio communem ſententiam euincens. Pro eius probatione Pono 1. nullam potentiam cognoſcitiuã poſſe adhuc de potẽtia Dei attingere entitatem, quæ non comprehendatur intra latitudinem ſui obiecti. Ratio eſt clara: quia obiectũ potentiæ cognoſcitiuę dicitur illud; quod poteſt obijci tali potentiæ per actum cognitionis: ergo, ſi non comprehenditur intra obiectum talis potẽtiæ, ideo erit; quia non poteſt illi obijci per actum: atqui id, quod non poteſt obijci potẽtiæ cognoſcitiuæ per actum, non poteſt attingi à tali potentia; quia non aliter attingitur obiectũ à potentiâ cognoſcitiuâ, niſi per actum illud obijcientem tali potentiæ, vt fatentur omnes: ergo &c.

94 Pono 2. quenlibet ſenſum ex naturâ ſua habere limitatum, & determinatum obiectum. Neq; enim credendum eſt, obiectum cuiuslibet ſenſus comprehendere omnia, quæ comprehendit obiectum intellectus; aut ſingulos ſenſus extendi ad obiecta omnium: tum quia ſenſus ſunt multo imperfectiores intellectu, & ordinis valde inferioris: ergo non ſe extendent ad tot obiecta, & tam perfecta; ac intellectus: tũ etiam, quia ipſi ſenſus ſaltẽ externi valde diſſident, nec ſubordinati ſunt inter ſe: congruum ergo eſt, vt habeant obiecta valde diſsidentia.

95 Si autem obiecta ſenſuum arctiores limites habent, quã obiectũ intellectus; & inter ſe ſe valde diſsident, aſsignãda erunt ſingulis ea, quæ de facto nouimus, ſingulos percipere; & non alia, cum nullum habeamus fundamentum ad alia illis attribuenda. Neque enim vnquam nouimus, eos alia percipere: neque in iſtis obiectis aliquod prædicatũ expreſſè attingũt, quod cõueniat alijs entitatibus. Viſus nãque nihil aliud attingit vt obiectum proprium niſi colorem, & lucem; neque in iſtis exprimit prædicatum aliud ſuperius, quod ad alias entitates ſe extendat: & idem eſt de auditu reſpectu ſonus; & olfactu reſpectu odoris, &c. ergo ſingula ex iſtis erunt adæquata ſingulorum, cum quibus ipſi ſenſus eſſentialem cõnexionem habeant, & ad quorum perceptionem ex natura ſua ordinentur. Neque enim aliunde nouimus, eſſentiam hominis eſſe animal rationale; equi animal hinnibile &c. niſi quia longâ experientiâ nouimus, eos tales operationes elicere, & non alias: ergo, cũ diuturnâ experientiâ deprehenderimus, viſum nullum aliud obiectũ percipere, niſi calorem, & lucem (non excludo ſenſibile cõmune; ſed eo ſuppoſito loquor de proprio cuiuslibet ſenſus,) auditum nullum aliud niſi ſonum &c. bene inde deducimus prædicta, & non alia eſſe obiecta propria ſingulorum ſenſuum.

Hinc

96 Hinc fit, inter actus ſenſuum externorum illum ſolùm dici viſionem, qui eſt perceptio coloris, aut lucis; illum auditionem, qui eſt perceptio ſoni, &c. Et ratio eſt clara ex dictis: quia viſio eſt actus potentiæ viſiuæ; & auditio auditiuæ: ſed potentia viſiua eſt perceptiua ſolũ coloris, & lucis; & auditiua eſt ſolũ perceptiua ſoni &c. ergo ille ſolũ actus dicitur viſio, qui eſt perceptio coloris, & lucis; & ille ſolum auditio, qui eſt perceptio ſoni. His poſitis.

97 Facile probatur communis ſententia: quia nulla potentia cognoſcitiua poteſt attingere id, quod non continetur intra latitudinem ſui obiecti: ſed entitas ſpiritualis non continetur intra latitudinem obiecti alicuius ſenſus ex his, qui de facto dãtur: ergo nulla potentia ſenſitiua ex his, quæ de facto dantur poteſt attingere rem ſpiritualem. Minor conſtat ex dictis: quia obiectum adæquatum viſus eſt color, & lux; obiectum adæquatum auditûs eſt ſonus; olfactus eſt odor; guſtus eſt ſapor; tactus qualitates primæ, &c. & denique obiectum adæquatum ſenſuum internorum ſunt omnia obiecta ſenſuum externorum, & horum actus, vt dicemus infra: ergo, &c.

98 Dices: poteſt dari lux ſpiritualis conueniens in ratione lucis cum luce corporeâ: ergo iam datur aliqua entitas ſpiritualis, quæ contineatur intra obiectum potentiæ viſiuæ. Reſpondeo, nullam dari lucem ſpiritualem, quæ vniuocè conueniat in ratione lucis cum corporea: quia, vt S. Thomas 1. part. quæſt. 67. art. 1. notauit, hæc vox *lux* primo impoſita eſt ad ſignificandam lucem corpoream, poſtea verò extenſa eſt ad ſignificandam eam, quæ lux ſpiritualis appellatur: & ideo addit ibi S. Thom. vocem illam ſpectatam ſecundum ſuam primam impoſitionẽ, metaphorice ad ſpiritualia transferri, quod etiam dixit Ambroſ. lib. 2. de Fide in principio. Hinc eſt, eam lucem ſpiritualem nullatenus comprehendi ſub obiectum viſus, quia non participat rationem lucis pertinentem ad obiectum viſus; ſed aliam longe diuerſam, quæ propter aliqualem proportionem, quam habet cum luce corporeâ, eodem nomine appellatur, & ideo negandum eſt antecedens.

99 Obijcies: quælibet res poteſt aſſumi à Deo vt inſtrumentum ad quamlibet aliam producendam: ergo poterit etiam aſſumi à Deo quælibet potentia ad quodlibet obiectum percipiendũ. Id primis iam probaui in Phyſ. diſp. 13. ſect. 6. nullam rem poſſe aſſumi à Deo ad aliam producendam, quin habeat virtutem intrinſecam ſaltem inchoatam productricem talis rei: & addidi, vero ſimilius eſſe non dari talem virtutem inchoatam in quauis re ad quamuis aliam producendam, & ideo, cum in præſenti etiam probatum ſit, non poſſe percipi ab aliqua potẽtia id, quod non continetur intra obiectum

eius;

eius ; & præterea dictum ſit, nullā entitatem ſpiritualem contineri intra obiectum ſenſuum , qui modo dantur, neceſſarium eſt , quod nullus ſenſus ex iſtis poſsit attingere rem ſpiritualem.

100 Secundò, dato, quod quę libet res poſſet aſſumi ad quanuis aliam producendam, non benè infertur inde , poſſe aſſumi potentiam cognoſcitiuam ad quoduis obiectum percipiendum ; quia ad percipiendum obiectum non ſolùm requiritur productio cognitionis illius; ſed etiam , quod hæc tribuat ſuum effectum formalem potentiæ: atqui ex eo, quod potētia poſsit aſſumi vt inſtrumētū ad producēdam cognitionem cuiuſuis obiecti, nō infertur, quod poſſit hæc tribuere illi ſuum effectum formalem: ergo, &c. Minor eſt certa: quia adhuc admiſſo , quod lapis poſsit aſſumi vt inſtrumentum ad gratiam recipiendā, nullus eſt, qui admittat poſſe hanc illi tribuere ſuum effectū formalē Iuſti, Sancti, Filij Dei, &c. ergo adhuc admiſſo, quod potentia viſiua v.g. poſsit aſſumi ad producendā perceptionem ſoni &c. aut ſpiritus non rectè infertur , quod poſsit habere effectum formalem illius.

101 Et ratio à priori huius eſt: quia, vt dicebamus n. *96*. perceptio ſoni eſt auditio; odoris olfactio; ſaporis guſtatio, &c. & perceptio rei ſpiritualis eſt actus eius potentiæ , cuius obiectum eſt res ſpiritualis (ponamus eſſe ſolū intellectum; & ideò talis perceptio erit intellectio.) Hinc fit ; quod ſi potētia viſiua eliceret perceptionē ſoni, aut rei ſpiritualis, (& idē eſt de reliquis) non eliceret viſionem; ſed auditionem, aut intellectionem. Cum autem potentia viſiua non ſit capax effectus formalis auditionis , aut intellectionis, quia ipſa non audit, aùt intelligit; ſed videt (ſicut lapis non eſt capax effectus formalis gratiæ habitualis ; quia ipſe non poteſt eſſe Iuſtus, Sāctus, & Filius Dei,) neceſſarium eſt, quod non poſsit percipere ſonum , aut rem ſpiritualem.

102 Hìc eſt aduertēdum , ſecundum noſtram ſententiam aſſerentem, potentias materiales non diſtingui realiter ab ea parte cōpoſiti, in qua ſuos actus exercent, neceſſarium eſſe , quod in homine (in quo anima eſt indiuiſibilis) eadem anima, quæ cū vnâ parte materiæ conſtituit potentiam viſiuā, conſtituat cum alia auditiuam, & cum alia olfactiuam, &c. vnde, cū omnes partes materiæ ſint eiuſdē rationis ſpecificæ , in quauis parte compoſiti ſunt omnia prædicata eſſentialia ſingulorum ſenſuum cum hoc ſolo diſcriminè, quod in vna dantur diſpoſitiones ad operationes vnius ſenſus, v.g. ad viſiones; in alia ad auditiones, &c. atque adeo hi actus ex natura rei nō tribuent ſuum effectum formalem animę, & materię, niſi in ea parte, in qua dantur diſpoſitiones requiſitæ ad illos, quia ex naturâ rei neque poſſunt elici, neque informare niſi partem inſtructam talibus diſpoſitionibus.

Cæ-

Digitized by Google

103 Cæterum, ſi vbi ſunt diſpoſitiones ad viſionem, poneretur miraculoſè auditio eam partem informans, ſuum eff ctum formalem tribueret tali parti: quia, cum ea pars ſecundum ſuam ſubſtantiam non ſolum ſit potent a viſiua; ſed etiam auditiua, ex ſe eſt ſubiecti m capax non ſolum videndi; ſed etiã audiendi. Itaque miraculum in eo ſolum eſſet, quod auditio informaret partẽ hominis ſine diſpoſitionibus ex naturâ rei requiſitis ad talem informationem: At ſemel dato eo miraculo, cũ effectus formalis auditionis nihil aliud ſit quam compoſitum coaleſcens ex ipſa auditione, & parte ſubſtãtiali hominis (quæ eſt virtus auditiua) vnitis inter ſe, neceſſario daretur talis effectus formalis. Et idẽ dicendum eſſet in brutis, ſi omnes partes animæ eſſent eiuſdẽ rationis, quia in tali caſu quæuis pars, quæ ex ſe eſſet auditiua, eſſet etiã viſiua. Secus vero accidet, ſi partes animæ ſint diuerſæ rationis, vt nos diximus eſſe: quia in tali caſu vna pars eſt potentia viſiua ſolũ, & alia auditiua, &c. & ideo quælibet ex illis ſolum eſt capax effectus formalis operationis illi reſpondentis, vnde ſi auditio poneretur in potentia viſiua, non redderet illam audientem, quia nõ eſt capax huius effectus formalis, vt conſtat ex dictis.

104 Hic ſolet diſputari: an ſit poſsibilis potentia cognoſcitiua materialis, quæ attingere poſsit obiectum ſpirituale? Et communiter negari ſolet; multæque rationes implicationis adducuntur, quæ quidem parum efficaces ſunt. Neque pro parte affirmatiua occurrit fundamẽtum aliquod efficax ad illam conuincendam, & ideo lubens hãc diſputationem omitto. Videatur P. Arriag. hìc diſp. 5. ſect. 2.

SECTIO IX.

An in ſenſu detur error circa eius obiectum?

105 ARiſt. hìc cap. 6. loquens de ſenſibus externis docuit, eos nunquam, aut rarò decipi circa proprium ſenſibile, frequenter vero errare circa ſenſibilia communia, & ſenſibilia per accidens. Eſt tamen difficultas & non leuis inter expoſitores: An hoc ſit verum, & qua ratione id intelligendum ſit? In qua re vix ſententiam aliquam inuenies, quæ intellectui plenè ſatisfaciat. Pro deciſione Noto 1. errorem in præſenti ſumi pro cognitione falſa, cuius falſitas in eo conſiſtit (vt dicemus infra diſput. 15. ſect. 4.) quod ſit difformis obiecto, hoc eſt, quod repræſentet illud aliter, ac eſt in ſe. Cæterum falſitas eſt duplex: vna quæ eſt ſimpliciter talis; alia quæ ſolum eſt talis ſecundùm quid. Prior inuenitur tantũ in iudicio. Poſterior in ſimplici apprehenſione, vt latè explicabimus loco citato. Cum autem in ſenſu non detur iudicium; ſed ſolum ſimplex quædam apprehenſio obiecti, certum eſt in ſenſu non poſſe dari formaliter errorẽ, ...

falſitatem ſimpliciter talem; ſed, ſi datur, debere eſſe falſitatem ſolum ſecundum quid talem.

106 Noto 2. duplici modo poſſe intelligi quod detur error in ſenſibus. Vno modo formaliter; altero occaſionaliter. Formaliter daretur, ſi ipſa cognitio ſenſus repræſentaret rem, quæ non eſt, aut alio modo, quã eſt: occaſionaliter vero daretur, ſi ipſa ſenſatio exterior reuera repræſentaret rẽ, quæ eſt, & eo modo, quo eſt, ita tamẽ imperfectè vt tribueret occaſionẽ ſenſui interno, aut intellectui ad eliciendũ actum erroneũ vel circa ipſam rem, vel circa modũ exiſtendi rei. Rurſus, error formalis poteſt eſſe poſitiuus, & negatiuus. Poſitiuus error datur, quando actus repræſentat ex parte obiecti, quod reuera nõ eſt in illo. Negatiuus, quãdo actus, licet nõ repræſentet in obiecto, quod reuerà nõ eſt; nihilominus non repræſentat totum; quod eſt. His poſitis.

107 Dico 1. cum P. Aguilonio lib. 1. opticorum propoſ. 42. & P. Tol. hic cap. 6. quæſt. 13. nullus ſenſus errare poteſt circa rationem communem ſui ſenſibilis proprij. Id eſt certum apud omnes: neque enim, vt ſupra dicebamus, viſus poteſt percipere, niſi colorẽ, & lucẽ; neque auditus niſi ſonum &c. Secus vero accidit circa aliqua communia, vt circa motum, & circa quietem: aliquando enim apparet quieſcere, quod mouetur; &, moueri, quod quieſcit, vt experientia conſtat.

108 Dices: idem, quod diximus de errore circa ſenſibile proprium, contingit circa ſenſibile commune; quia circa rationem communem ſenſibilis communis nunquam datur error cum nunquam percipiatur obiectum ſine aliqua præſentia, & extenſione, ad quam reduximus omnia ſenſibilia communia. Fateor, numquã contingere errorem circa rationem communem extenſionis; ſed, cum inter ſenſibilia cõmunia enumerauerit Ariſt. *motum*, & *quietem*, & circa hæc detur omnino error in ſenſibus, ideo datur diſcrimen in errore circa ſenſibile proprium, & commune, ita vt circa illud poſſit omnino negari error; ſecus circa iſtud.

109 Dico 2. ſenſus decipitur circa rationes particulares ſenſibilium tam propriorum, quàm communium: ſæpe enim apparet nigrum: quod viride, aut cæruleum: proceræ magnitudinis, quod eſt paruum, & è cõtra: longe diſtans, quod propè eſt, & è contra: rotũdum, quod quadratum eſt: & contra faciem quod eſt à tergo, vt experientia conſtat.

110 Dico 3. ſenſus ſæpe decipitur in applicatione tam ſenſibilis proprij, quàm communis: quia manus, inter quam, & viſum interponitur vitrum viride, apparet viridis, in quo caſu non datur error circa viriditatem; ſed in applicatione, applicatur enim manui color, qui non eſt in illa: ſimiliter color vitreæ feneſtræ apparet in pariete è regione poſito, vbi nõ eſt, & ideo datur error in applicatio-

Digitized by Google

catione coloris ad locum. Ex his facile conſtat, in quo ſenſu ſit verum, quod Ariſt. dixit de errore ſenſuum circa ſenſibile proprium, commune, & per accidens: dum enim negauit errorem circa ſenſibile proprium intelligendus eſt de ratione cōmuni ſenſibilis propij: & dum admiſit errorem circa ſenſibile commune, intelligendus eſt de errore adhuc circa rationē communem aliquorum ex illis, quæ inter ſenſibilia communia enumerauit; vt ſunt *motus, quies*, & *numerus*.

111 Dico 4. in nullo ſenſu datur error formalis poſitiuus; ſed vel negatiuus; vel tantum occaſionalis. Quod non detur formalis poſitiuus, videtur mihi certum: quia ſenſus omnia ſua obiecta percipiunt per ſpecies acceptas ab ipſis obiectis: hæ autem ſpecies neque ſecundum ſe repræſentant aliud præter obiecta, á quibus accipiuntur, vt concedunt omnes; neque ſenſibus deſeruire poſſunt ad alia obiecta percipienda: quia ſecundum communiorem opinionem, quā ſequor diſp. 10. ſoli intellectui concedenda eſt virtus ad hoc, vt per ſpecies vnius obiecti cognoſcat aliud. Ex hoc infertur, quod error ſenſuum debeat eſſe vel negatiuus, quia, videlicet, nō repræſentat aliquādo omnes partes, quæ ſunt in obiecto, aut in ea diſpoſitione, in qua ſunt; vel occaſionalis, quia, videlicet, imperfecta cognitio ſenſuum orta aut ex diſtātia obiecti, aut ex diſpoſitione medij, aut ex indiſpoſitione potentiæ, eſt occaſio, vt & appetitus proſequatur res vbi non ſunt, & intellectus (niſi aliundè præueniatur) erret in iudicio talium obiectorum.

112 Hìc eſt difficultas; vnde prouenìat, quod excellens ſenſibile lædat potentiam? Id conſtat experientiā: & in cæteris potētijs præter viſiuam facilis eſt ratio: quia cum obiecta phyſice contingant ſenſiteria earum, non ſolum eas immutant intentionaliter per ſpecies intentionales; ſed etiam phyſicè per qualitates phyſicas in ipſis exiſtentes, quæ dum alias ſimiles in organis prædictarum potentiarum producunt, earum temperamentum diſſoluunt, ac perconſequens eas lædunt.

113 Circa potentiam viſiuam eſt maior difficultas: quia cum obiectum eius ſit color, & lux, quæ intentionaliter tantum immutare videntur ipſam potentiam per ſpecies intentionales, quæ neque formaliter; neque efficienter opponuntur cum temperamento ſenſiterij non facilè apparet, qua ratione nocumētum afferre poſsint potentiæ? Nihilominus dicendum eſt, ideo potentiam viſiuam lædi ab excellenti ſenſibili, quia vel propter nimiā attentionē potentiæ attrahuntur plures ſpiritus vitales, qui ſuo calore ei officiunt: vel phyſicè immutatur hæc potentia ab intenſo obiecto, à luce videlicet per colorem ab ea productā; & á corpore colorato per qualitates in ipſo exiſtentes ſimul cum colore.

DIS-

DISPVTATIO X.

De Senſibus externis.

EXplicuimus ea, quæ communia ſunt omnibus ſenſibus, nunc de ſingulis ſeorſim agendũ eſt: & primo de externis, quod præſto in hac diſp. deinde de internis, quod præſtabo in ſequente.

SECTIO I.
De Potentia viſiua, & eius obiecto.

1 PRimus in dignitate, & excellẽtia, ſenſus, qui eſt viſus, primum in diſputatione locũ obtinere debet. Viſus ergo eſt *potentia cognoſcitiua materialis percipiens colorem ſolum, & lucem.* Per priora verba declaratur genus, in quo conuenit cum reliquis ſenſibus, & intellectu. A quo diſtinguitur per τὸ *materialis*. Et à reliquis ſenſibus externis per poſteriora verba, quia inter illos ſolus viſus percipit colorem, & lucem. Et adiungitur *ſolum*, vt excludatur ſenſus internus, qui licèt idem obiectum attingit; non tamen *ſolũ*; ſed attingit etiam obiecta reliquorum ſenſuum externorum. Neque ea particula excludit ſenſibile commune; ſed alia ſenſibilia propria.

2 Hæc potentia inuenitur in oculis, qui quidem in eminentiore corporis parte reſidentes (vt & ibi ſint ſecuriores, & è loco excelſo omnia proſpectent, ac ſpeculentur, in globi figuram conformantur. Conſtant tribus humoribus, quinque tunicis, ſeptẽ muſculis, & duobus neruis: quæ quidem hoc ordine ſunt diſpoſita. In centro oculorum eſt humor quidam aliquantulum mollis, & pellucidus quaſi chriſtallus, ſeu glacies, & propterea *chriſtallinus*, ſeu *glacialis* appellari ſolet. Hunc ambit prima tunica tenuiſsima, quæ *aranea* dicitur ob ſubtilitatẽ; & *ſpecularis*; quia in ea veluti in ſpeculo apparẽt obiecta è regione poſita: & ex ea, ac humore chriſtallino cõflatur pupilla. Huic ſuccedit alius humor *vitreus* dictus, ſeu *albugineus* eo, quod in conſiſtentia, & colore vitro fuſo ſeu recocto, vel oui albo ſit ſimilis, cui vna medietas humoris chriſtallini immerſa eſt; altera vero illã ſupernatat, ſicut ligneus globus in aqua, cuius vna medietas mergitur aquis, & alia eminet ſupra illas.

3 Humorem vitreum poſteriori parte ambit ſecunda tunica deſinens vbi humor chriſtallinus eminere incipit ſupra vitreum. Hæc dicitur *reticularis*, eo quod ad retis inſtar contexta eſt varijs venulis, & arterijs plenis ſanguine quo alitur humor vitreus, vt hic ſit in alimẽtũ immediatũ humoris chriſtallini. Poſtea ſuccedit tertia tunica, quæ dicitur *vuea*, quia eſt ſimilis pelliculæ vuæ; hæc totũ oculũ ambit relicto foramine in parte anteriori pupillæ; vt ſpeciebꝰ prouenientibus ab obiecto pateat aditus

tus

Digitized by Google

tus ad ipſam pupillam: & à colore huius tunicæ, quæ varie intingitur, oculos cæſios, nigros, &c. appellamus. Hanc tunicam circundat quarta, quæ cornea dicitur, quia fortiſsima, cuius medietas verſus obiecta eſt tranſparens. Inter has duas tunicas humor aqueus continetur eo fine à natura datus, vt humectet reliquos humores, & tunicas. Poſtremum atque extremum locum habet quinta tunica cæteras omnes ambiens, quę conſolidata dicitur, quia eas continet, & cohibet, ne huc, illuc diffluant. Hæc eſt valde pinguis, vt reliquas tunicas, & humores à contrarijs extrinſecùs irruentibus tueatur. Dicitur prætereà adhærens, ſeu adnata, hoc eſt, exteriùs nata, quia ducit originem à tunica caluariā inueſtiente. Vterque oculus his omnibus compingitur.

4 Præter hæc concurrunt etiam ad oculorum ſtructuram duo nerui, qui optici, ſeu viſorij nuncupantur. Hi à cerebro proficiſcuntur, alter è dexterâ parte, alter è ſiniſtrâ; ſed aliquantulum progreſsi coniunguntur, rurſumque, antequam oculos pertingant, ſeparantur. Per hos mittuntur ad ſenſum cõmunem ſpecies obiectorum, quæ viſu percipiuntur; ſimulque per eos deriuantur è cerebro ſpiritus animales, ſine quorum ope facultas cernendi munus ſuum obire nequit, & ex eorum perfectione, vel imperfectione; copiâ, vel inopiâ prouenire ſolet perſpicacia, ſeu hebetudo viſus, ac variæ affectiones, quas in oculis experiri ſolemus. His neruis ita colligantur oculi, vt (niſi extrinſecum aliquod impedimentum obſtet) nunquam accidat moueri vnum, quin moueatur & aliud, ita vt ſemper in obiectum tendant per æqualem lineam: alioquì duplicata apparerent obiecta, vt contingit, quandó manu preſſus vnus oculus eleuatur; tunc enim obiectum apparet duplex.

5 Denique vtrique oculo ſex muſculi dantur ad motum, è quibus vnus ſurſum, alter deorſum: duo ad læuam, dexteramque trahunt: alij duo circumferunt: & his additur ſeptimus, qui totum globum ſuſtinet, illigat, & in proprio centro continet, ne extra illud diſcurrat. His continetur plena oculorum deſcriptio. His poſitis.

6 Certum eſt, potentiam viſiuam conſiſtere in oculis. Eſt tamen difficultas, in quânā ex prædictis partibus ſita ſit? Relictis aliorum ſentētijs, dicendum eſt, potentiam viſiuam ſitam eſſe in humore chriſtallino. Ita PP. Conimbr. hic quæſt. 7. art. 2. P. Rub. hic quæſt. 8. num. 134. Galen. lib. 10. de Vſu par. c. 1. & eſt expreſſa Ariſt. ſententia lib. 1. de Hiſtor. anim. cap. 9. & lib. de Senſ. & ſenſib. cap. 2. & lib. 5. de Gen. anim. cap. 1. Ratio eſt: quia potentia viſiua conſtituenda eſt in nobiliori parte oculorum:

rum: at humor chriſtallinus eſt pars nobilior, & perfectior reliquis, quæ ad oculorum ſtructuram concurrunt: ergo in eo debet eſſe potentia viſiua. Maior eſt certa. Minor probatur: quia hic humor eſt in centro oculorum collocatus, reliquis humoribus, & tunicis circũſeptus, vt illi ſint in tutamentum, ornatum, alimentum, & conſeruationem: ergo ille eſt nobilior & perfectior illis: lex enim naturæ eſt, vt ea quæ ignobiliora ſunt, & imperfectiora ancillentur nobilioribus, & perfectioribus.

7 Adde, quod hæc pars maximè ſplendida, & conſpicua eſt, ac nullo colore infecta, quod ad viſionem maximè neceſſarium eſt: cur ergo non dicemus in ea parte ſitam eſſe potentiam viſiuam? Neque ex eo, quod duplex ſit potentia, duplex apparebit obiectum, ſi per lineas æquales ſpeciem mittat ad vtramque: quia, ſicut plures potentiæ in pluribus animalibus exiſtentes vnum, & idem obiectum ſimplex conſpiciunt; cur id non præſtabunt duæ potentiæ in eodem homine exiſtentes?

8 Hìc dubitant aliqui, qua ratione fiat viſio? Nonnulli è philoſophis antiquis finxerunt viſionem fieri per neſcio quam extra miſsionem radiorum à potentiâ viſiua. Certum tamen debet eſſe viſionem nõ fieri per extramiſsionem aliquam alicuius eggredientis è potentia; ſed per actionem quandam immanentem ortam à pupilla inſtructa ſpecie intentionali proueniente ab obiecto: Ratio eſt, quia cum viſio ſit actio vitalis, debet immediatè oriri à potentia vitali, qualis eſt viſus, taliter vt in ipſa maneat, ſiquidem omnis actio vitalis eſt immanens, vt conſtat ex diſp. 5. deinde cum potentia ſit ex ſe indifferens ad hoc, vel illud obiectum percipiendum, debet dari aliquid, per quod ad hoc potius, quam ad illud videndum determinetur: hoc autem nihil aliud eſſe poteſt, niſi ſpecies miſſa ab obiecto ad potentiam, vt conſtat ex diſp. 7. ſect. 1. ergo viſio fit per actionem quandam immanentem ortam à pupilla inſtructa ſpecie obiecti.

9 Pupilla autem eſt talis naturæ, quæ obiectum non bene percipiat, niſi hoc directè illi è regione opponatur, atque adeò quo magis illi rectè opponitur, eo melius, & perfectius videtur. Hinc oritur, quod obiecta ad latus exiſtentia imperfectè ſatis videamus; & quod, dum obiectum aliquod perfectè perſpicere volumus, pupillam in ſingulas particulas ſeorſim intendamus, vt rectè intenta in ſingulas, perfectius ſingulas examinet. Oritur 2. quod plures partes magnæ molis videantur, quando eſt longe diſſita, ac quando propinqua: quia, videlicet, in magna diſtantia plures partes è regione opponuntur viſui, quam in parua.

10 Dein-

Digitized by Google

10 Deinde pupilla ex natura ſua eſt talis, quæ non videat obiectum, aut ſaltem non bene, niſi hoc aliquantum diſtet ab illa, ita vt ſecundum variam diſpoſitionem potentiæ maior, aut minor diſtantia obiecti requiratur ad perfectam viſionem illius, vt experientiâ conſtat. Alij enim, quales ſunt ſenes, vt bene obiectum percipiant, illud remouent à potentia: alij verò illud magis propinquũ faciunt, quod quidem aliunde prouenire nequit, niſi ex peculiari naturâ pupillæ, quæ cum tali diſpoſitione petit tantam diſtantiam, & cum alia diſpoſitione aliam maiorem, aut minorem. Quod verò obiectum longè diſsitum appareat minus, quam, ſi ſit propinquum, ex eo prouenit, quod, cum ſpecies perueniat ad potentiam iam remiſſa, ita imperfectè repræſentat obiectum, vt non poſsit diſcerni tota eius magnitudo.

11 Denique maximè conducunt ad operationem huius potentiæ ſpiritus animales deriuati ex cerebro, & ideo ex defectu, ſeu inhabilitate horum ſpirituum deficit virtus viſiua, viresque reſumit, ſi illi adſit numeroſa manus eorum: ex ipſorũmque ſubtilitate, puritate, ſeu craſsitie prouenire ſolet perſpicacia, ſeu hebetudo viſus: nam ij, quibus ſpiritus ſunt lucidi, & ſubtiles, oculorum aciem firmant in obiecta, & res minutas, ac diſtantes facile diſcernunt: ij verò, quibus ſpiritus eſt craſſus, res non exactè diſtinguunt: imò ex inordinato horum ſpirituum ad oculos motu prouenire ſolet, vt circumuerti omnia videantur; vt in ebrijs experimur.

Expediuntur aliqua de natura lucis.

12 Obiectum proprium potentiæ viſiuæ ſunt lux, & color, quorum natura inueſtiganda eſt in præſenti. Et quod ad lucem attinet, certum eſt, non eſſe ſubſtantiam: quia non eſt ſpiritualis, ſiquidem producitur à Sole, qui eſt corporeus. Neque eſt corporea: quia haberet quantitatem, ratione cuius eſſet impenetrabilis, & ſic non poſſet penetrari cum chriſtallo, aere, aqua, cum quibus, vt experientia conſtat, penetratur. Neque poteſt dici, eſſe formam ſubſtantialem: quia, cum frequenter recipiatur in aere, aquâ, chriſtallo, &c. daretur naturaliter duplex forma ſubſtantialis in eadem materia, ſeu ſubiecto, contra omnium philoſophorum ſententiam, qui abſolutè negant, materiam poſſe ſimul cum vnâ formâ ſubſtantiali aliam aduentitiam admittere.

13 Dicendum ergo eſt, lucem eſſe accidens: &, cum non poſsit eſſe quantitas, quia cum quantitate chriſtalli, & aliorum corporum penetratur, quod fieri non poſſet, ſi ipſa eſſet quãtitas, cuius proprium eſt eſſe impenetrabile;

neceſſariò reuocanda eſt ad prædicamentũ qualitatis (neq; enim eſt aliud, ſub quo poſsit comprehendi) & conſtituenda in ſecunda ſpecie qualitatis, *Potentia* videlicet, & *Impotentia*, vt conſtat ex dictis in Log. ibi. Poteſt etiã reduci ad primam ſpeciem, *Habitum* videlicet, & *Diſpoſitionẽ*: quia, vt infra dicemus, per lucem rectè diſponitur color ad producendam ſpeciem ſui in potentia viſiua. Hæc autem eſt præſtantiſſima qualitas inter omnes materiales non vitales, quas hucuſque nouimus, vnde præſtantia quæque, excellentia, & quæ reliquis longo interuallo antecellunt dignitate, vocamus *illuſtria*, *clara*, *præclara*, & *lucidiſsima*, alijſque nominibus à luce deſumptis.

14 Hic eſt difficultas: an lux ſit qualitas intentionalis; vel phyſica? Et certum eſt, lucem exiſtentem in luminoſo, *Sole*, v.g. & *Igne*, eſſe qualitatem phyſicam, quia eſt proprietas corporũ phyſicorum, vt conſtat. Solum ergo eſt difficultas de luce producta in medio. Aliqui putant, eſſe qualitatem intentionalem: quia putant, lucem exiſtentem in medio nihil aliud eſſe, niſi ſpeciem quandam impreſſam à luminoſo in medio vſque ad potentiam, vt hæc determinetur per illam ad viſionem ipſius luminoſi.

15 Dicendum tamen eſt, eſſe qualitatem phyſicam: tum quia producit effectum phyſicum, calorem videlicet: tum etiam quia, ſi eſſet ſpecies intentionalis luminoſi, videretur luminoſum à tergo exiſtens: atqui non videtur: ergo, &c. Maior probatur: quia luminoſum à tergo exiſtens producit lucem in medio taliter, vt perueniat ad potentiam viſiuam: ergo, ſi lux eſſet ſpecies intentionalis luminoſi, daretur in potentia talis ſpecies: atqui poſitâ ſpecie obiecti in potentia, videtur obiectum, etiamſi à tergo ſit, vt conſtat in ſpeculo, in quo videmus obiectum à tergo exiſtens, quia ſpecies reflectitur ex ipſo ſpeculo vſque ad potentiam: ergo etiam videretur luminoſum, &c. Dicamus ergo, lucem exiſtentem in medio eſſe qualitatem phyſicam, & eiuſdem rationis cum luce exiſtente in luminoſo; cum habeat eoſdem effectus. Nomine tamen diſsidere ſolent; nam ea, quæ eſt in luminoſo appellatur *lux*; ea verò, quæ deriuatur ab iſta in medium, *lumen* nuncupari ſolet.

16 Lumen autem ſic definitum eſt ab Ariſtot. hîc capit. 7. tex. 69. *Actus perſpicui prout perſpicuum eſt*. Perſpicuum aliud eſt ſimpliciter tale; aliud ſecundum quid. *Perſpicuum ſimpliciter* dicitur corpus diaphanum, ſeu tranſparens, quod, videlicet, ſecundum omnes ſuas partes ita eſt peruium oculis, vt ſit medium aptum ad videnda colorata, quæ ſunt vltra illud: vt, aer, aqua pura, &c. & hoc vocat Ariſt. *perſpicuum interminatum*, quia

quia intra illud nullus datur terminus, quem lumē tranſgredi non poſsit. *Perſpicuum ſecundū quid* dicitur illud, quod vel non patet oculis ſecūdum omnes ſuas partes; vt, paries (& hoc vocat Philoſophus perſpicuum terminatū, quia in ſe continet terminum, quē lumen tranſilire nequit) vel, ſi ſecundum omnes patet, ita tamen vt non ſit medium aptum ad vlteriora colorata diſcernenda; vt, vitrum colore aliquo imbutum, quod, licèt ſit tranſparens, tamen non eſt medium aptum ad videnda corpora vltra illud exiſtentia, quia omnia vid ntur habere eundem colorem cum eo, quem habet vitrum interpoſitū. Propterea Ariſt. in textu antecedenti dixit, perſpicuum eſſe, quod non eſt viſibile niſi per alienum colorem, certe non alia de cauſa, niſi quia ad perſpicuum ſimpliciter requiritur, quod nihil aliud habeat, ratione cuius viſibile ſit, niſi lumen ab extrinſeco luminoſo illi prouenīens, quod lib. de Senſ. cap. 3. paulo poſt initium vocat colorem perſpicui.

17 Ariſt. ergo in definitione luminis loquitur de *perſpicuo ſimpliciter*: huius enim vt talis lumē dicitur eſſe *actus*, quia per lumen formaliter conſtituitur & viſibile ſecundum omnes ſuas partes, & medium idoneum, vt vlteriores colores benè videri poſsint. Eſt tamen aduertēdum, in hoc, quod eſt eſſe medium aptum ad vlteriora colorata rectè videnda, duo eſſe diſtinguenda, nempè, quod ſit medium, vt videantur; &, vt benè videantur, hoc eſt, vt ſunt in ſe. Primum habet corpus à lumine tanquam à formâ, quia id requiritur ſimpliciter ex parte medij ad videndos colores. Secundum verò non tam habet à lumine, quàm à certis diſpoſitionibus, vel potius à carentia aliquorum, quæ impedimento eſſent, ne vlteriores colores viderentur, vt ſunt in ſe.

18 Corpus autem perſpicuū vt viſu diſcerni poſsit, indiget aliquâ denſitate: ſi enim ſit valdè rarum, non mouebit viſum: vel quia ſpecies propter imbecillitatem non bene repræſentat corporis extenſionem, & magnitudinem: vel quia ex parte obiecti requiritur aliqua denſitas, vt diſcerni poſsit eius magnitudo per viſionem. Perſpicuo opponitur opacum, hoc eſt, corpus, quod aut non perfunditur lumine ſecūdum omnes partes; aut medium aptū non eſt ad vlteriora corpora videnda. Quo autē magis, aut minus opacū fuerit, magis, aut min⁹ ineptū mediū erit ad alia corpora vidēda, & plus aut minus lucis recipiet in partibus interioribus.

19 Hīc eſt difficultas: an corpus perfectè opacum aliquid lucis recipiat in ſuis partibus. Aliqui putant, in ſola ſuperficie corporis perfectè opaci produci lumen quia, ſi in aliqua parte profunda produceretur, nō eſſet, cur non produceretur in reliquis, & ſic totum corpus opacum penetraretur luce. Cæterum id non

O 3 po-

poteſt eſſe verum in ſententia aſſerente, ſuperficies quantitatis eſſe modos, quibus continuantur, ſeu terminantur partes profundæ ipſius quãtitatis: quia iuxta hanc ſententiã ſuperficies qualitatis ſunt etiam modi, quibus continuantur, ſeu terminantur partes profundę ipſius qualitatis; ergo, ſi lumen produceretur ſolum in ſuperficie corporis opaci, iam daretur modus qualitatis, qui neque cõtinuaret, neque terminaret partẽ profundam ipſius qualitatis. Patet conſequentia: quia in ea ſuperficie deberet produci ſuperficies luminis, quę quidem eſt modus continuatiuus, ſeu terminatiuus partium luminis: ſed ibi per te nulla datur pars luminis, quam terminet, ſeu continuet, cum nihil luminis detur in partibus profundis illius corporis: ergo daretur modus ſine re, cuius eſt modus.

20 Dico ergo, aliquid luminis produci in partibus profundis corporis perfectè opaci. Ducor ad id afferendum motus experientiâ: quia, ſi corpus quantũuis opacum in tenuiſsimas laminas diuidatur, & hæ exponantur intenſo lumini, illo penetrantur, etſi remiſſe: ergo non ſolùm in ſuperficie; ſed etiam in profundis partibus lumen admittit. Nec inde fit, quod magna profunditas talis corporis penetretur lumine: quia ratione opacitatis impeditur, ne intenſum lumen in extremis partibus recipiat, quod quidem ita remiſſum effectum in interioribus partibus producet, vt breui non poſsit vlteriùs aliquid efficere. Id, quod experientia demonſtrat in papyro: nam, ſi vnam ſolam filulam exponamus ſoli, penetratur lumine; at, ſi illi plures adglutinentur, ita debile peruenit lumen ad filulas interiores, vt nihil tandem lucis in poſterioribus producatur.

Expediuntur aliqua de colore.

21 Duplex coloris definitio traditur à Philoſopho. Prima hic cap. 7. tex. 73. quæ eſt huiuſmodi: *Color eſt motiuus perſpicui in actu*, hoc eſt, qualitas ex natura ſua petens medium actu perſpicuum, vt ſpeciem ſui in eo producat. In quo diſtinguitur ab obiectis aliorum ſenſuum, quæ, licèt ſpeciẽ ſui producere poſsint in medio perſpicuo in actu; non tamẽ exigunt perſpicuitatem ex parte medij, vt talem ſpeciem in illo producant. Differt etiam à luce, quæ quidem ſpeciem ſui per medium obſcurum diffundit, vt dicemus infra.

22 Dices: ſpecies à colore producta in medio lucido non producit aliam ibi ſimilem niſi in medio etiam lucido: ergo non ſolùm color; ſed etiam eius ſpecies eſt motiua perſpicui in actu. Reſpondeo, eam ſpeciem non producere ſpeciem ſui in medio proximo; ſed ſpeciem coloris, quem ipſa repræſentat: & ideo hoc, quod eſt non producere ſpeciem ſui, niſi in medio perſpicuo, ſo-

lùm conuenit colori; ac per conſequens eius natura vt diſtincta ab omnibus alijs, rectè explicatur per definitionem adductam.

23 Secunda definitio perſpicui traditur ab Ariſtot. libr. de Senſu, & ſenſib. cap. 3. in hunc modum: *Color eſt extremitas perſpicui in corpore determinato*, ſeu *terminato*. Cuius ſenſus eſt: color eſt perſpicuum, quod ſolum apparet in extremis partibus corporis opaci. In quo diſtinguitur à luce, quæ etiam videtur in viſceribus perſpicui interminati. Dices: color etiam videtur in interioribus partibus vitri; ergo non poteſt dici videri ſolùm in extremitate corporis opaci. Fateor antecedens; & propterea exiſtimo cum nonnullis, hanc definitionem non eſſe traditam à Philoſopho ex propria ſententia.

24 Hic eſt difficultas: an color diſtinguatur realiter à lumine? Nonnulli ex antiquis putarunt, colorem nihil aliud eſſe niſi lumen receptum in corpore opaco, quod, cum pro diuerſitate diſpoſitionum talis corporis diuerſo modo appareat, diuerſos colores cōſtituere cenſetur. Dicendum tamen eſt 1. dari veros colores diſtinctos realiter à lumine. Ita communiter authores. Ratio eſt clara: quia inuariato lumine variatur color, vt experientiâ conſtat, quâ nouimus, quod, ſi temperamentum corporis varietur, nouum colorem admittit; etiamſi in eadem diſtantia à luminoſo perſeueret; ergo diſtinctum quid eſt color à lumine; alioqui, inuariato hoc manere deberet ille inuariatus.

25 Dices, colorem coaleſcere ex lumine, & temperamento corporis illuminati. Sed contrà: ergo iam color non eſt ſolùm lumen; ſed quid compoſitum ex lumine, & aliquo alio. Deinde viſus non ſolum videbit lumen; ſed etiam aliquid aliud: atqui id non poteſt eſſe temperamentum corporis opaci: ergo aſsignandum eſt aliquid aliud, quod ego voco colorem. Minor probatur: quia temperamentum corporis opaci nihil aliud eſt, niſi primæ qualitates, calor videlicet, frigus, humiditas, & ſiccitas ſic vel aliter attemperatæ: at viſus non percipit primas qualitates, quia hæ ſunt ſenſibile proprium tactus; vt fatentur omnes; & vna, ac eadem res non poteſt eſſe ſenſibile proprium duorum ſenſuum externorum; alioquì nullius eſſet ſenſibile proprium; ſed commune vtriuſque: tum etiam quia viſus non diſcernit in obiecto, quando excedat calor frigiditatem, aut humiditas ſiccitatem; vel è contra; quod quidem præſtaret ſine dubio, ſi has qualitates immediatè attingeret; ſicut diſcernit nigredinem ab albedine, &c. & maiorem, aut minorem intenſionem lucis, & coloris: ergo dicendum eſt, dari colorem diſtinctum à lumine, & à temperamento primarum qualitatum.

Eſt autem qualitas pertinens ad tertiam ſpeciē qualitatis, vt conſtat ex dictis in Log. ibi.

26 Non inficior, eſſe colores aliquos apparentes, qui nō diſtinguuntur à lumine; vt, lux nimis re miſſa in vmbroſis locis, quæ quidem apparet nigredo, quia hæc, quàm parū lucis participat, præſefert quandā obſcuritatē: Deinde lux nimis intenſa in vitro apparet albedo. Idem cenſent nonnulli de colore *iridis*, *nubis*, *cæli*, *&c.* Ego verò exiſtimo, hos eſſe veros colores: quia, ſi ſemper cernitur idem color in corpore; vel ſaltem in illo datur cauſa veri coloris, exiſtimandus eſt verus color (neque enim alia certior regula aſsignari poteſt diſcernēdi colores veros ab apparentibus) atqui in cœlo ſemper cernitur idem color, & in nube datur cauſa veri coloris, cùm ſit corpus mixtum ſecum afferens temperamentum primarum qualitatum, & idem eſt de collo columbæ: ergo cenſendi ſunt iſti veri colores.

27 Cauſa efficiens coloris in corpore ſublunari eſt certa permixtio quatuor primarum qualitatum, quam *temperamentum* appellamus, quæ quidem ſe etiam habet vt diſpoſitio ſubiectū præparans ad coloris receptionem, vt dicebamus in lib. de Gen. Requiritur etiam in corpore ſublunari opacitas aliqua. Ex defectu prioris carent colore elementa pura. Ex defectu poſterioris non habent colorem ſubtiliſsimi vapores, & exhallationes aſcendentes è terra, donec coagmententur in nubem. Inter colores duo dantur extremi; *albedo* videlicet, & *nigredo*. Illa videtur participare naturā luminis, cum ſplendores eius non parum imitetur. Hæc verò obſcuritatem tenebrarum adumbrat, & propterea aliquādo eam vocat Philoſophus tenebras, & carentiam lucis, cum reuera ſit quid poſitiuum, vt vel oculis ipſis cernitur. Præter hos duos colores dantur alij, qui dicuntur medij, certè non quia formaliter componantur è extremis permixtis inter ſe (reſultant enim ex varia primarum qualitatum permixtione, & attemperatione, ſicut extremi colores) ſed quia omnes ſimilitudinem aliquam habent cum quolibet è extremis maiorem, aut minorem pro diuerſa natura eorum. Tales ſunt pallor, rubor, &c.

Quo pacto requiratur lumen ad viſionem coloris?

28 IN primis certum eſt, colorem non indigere lumine ad ſui exiſtentiam: quia, vt ex proximè dictis conſtat, color eſt qualitas diſtincta à lumine orta per ſe ex permixtione primarum qualitatum: atqui permixtio harum datur independenter à lumine: ergo & ortus coloris ab illis. Et quidem, ſi poſitâ permixtione primarum qualitatum, requireretur lumē ad coloris productionem, ex variatione illumina-

minationis variaretur color, ita vt inteſior, aut remiſsior color reſultaret ex maiori, aut minori illuminatione: ergo, cùm ſemper reſultet idem color, ſiue parùm, ſiue multum illuminetur corpus coloratum, non eſt dicendus indigere lumine ad ſui productionem.

29 Dum autem lux dicitur colores rebus reſtituere, ex eo dicitur, quia illos facit proximè viſibiles, ſiquidē aduentu lucis cernimus colores, qui ante illius aduentum perinde nobis erant, ac ſi non eſſent in rerum naturâ. Itaq; color indiget moderato lumine, vt videatur: quia, ſi nullū habeat, omnino ceſſat viſio illius, vt oſtendit experientia; ſi vero valde intenſo lumine afficiatur, impeditur eius viſio, quia intenſum lumen, viſiuā potentiā ad ſe rapit, & omnē eius attentionem occupat.

30 Certum eſt 2. quod, licèt ad viſionem lucis non requiratur, medium eſſe illuminatur, requiritur tamen ad viſionem coloris. Quod ad viſionem lucis non requiratur medium eſſe illuminatum, eſt communis ſententia, quā expreſſe docuit Ariſt. hîc cap. 7. text. 72. & conſtat experientiâ, quâ nouimus, ignem longè diſsitum videri in obſcuriſsima nocte: imo ſunt aliquæ res lucidæ, quæ eo melius videntur, quo medium eſt obſcurius: vt ſunt oculi felliū, & nitedula hiſpane *luciernaga*, & alia, quæ quidem noctu in obſcuro cubiculo videntur, in quo credi nequit, quod lumen diffundant vſque ad oculos cum lumen habeant valde remiſſum: ergo neceſſaria non eſt medij illuminatio ad viſionem lucis.

31 Quod vero neceſſaria ſit ad viſionem coloris, conſtat etiā experientiâ: quia colores exiſtentes in nitedula, aut in oculis felium non videmus per obſcurum medium, cum lucem eorum clare conſpiciamus: hoc autem aliunde prouenire nequit, niſi ex eo, quod deficit lumen in medio: ergo dicendum eſt requiri hoc in ipſo medio, vt videatur color. Adde, hanc eſſe expreſſam ſententiam Ariſt. docentis, colorem eſſe motiuum perſpicui in actu; hoc eſt, talem, qui non producat ſpeciem ſui, niſi per medium illuminatū; vt docuimus ſupra. Lumen autem ex parte medij dicendum eſt requiri vt diſpoſitionem præparātem ipſum medium ad receptionem ſpeciei coloris; neque enim eſt fundamentum ad aſſerendum aliter requiri. Ex quo conſtat, ex parte potentiæ viſiuæ requiri etiam lumen ad viſionem coloris; quia, cum ſpecies coloris debeat ſupponi in potentia ante viſionem; &, lumen ſit diſpoſitio requiſita ex parte ſubiecti ad recipiendam eam ſpeciem, non poterit recipi in potentia viſiua, niſi hæc ſit illuminata.

32 Obijcies 1. lumen eſt qualitas perfectior ſpecie impreſſā coloris: ergo non poteſt illa eſſe diſpoſitio ad iſtam. Patet conſequētia: quia diſpoſitio ſemper eſt imperfectior formâ, ad quā diſponit: ergo

ergo,&c. Confirmatur: quia ſpecies lucis eſt perfectior ſpecie coloris; & tamen non requirit diſpoſitionem aliquam ex parte medij: ergo neque eam requiret ſpecies coloris. Ad obiectionem nego conſequentiam: quia benè poteſt forma perfectior eſſe diſpoſitio ad imperfectiorem, vt conſtat in primis qualitatibus, quæ ſunt perfectiores ſecundis, colore videlicet, odore, &c. & nihilominus illæ ſunt diſpoſitiones ad has, cum ſemper ſupponantur in ſubiecto ante harum receptionem. Ad confirmationem nego conſequentiam: quia lux eſt perfectior ſecundis qualitatibus, & nihilominus hæ requirunt in ſubiecto diſpoſitionem primarũ qualitatum, cum illa nullã requirat: ergo, licèt ſpecies lucis ſit perfectior ſpecie coloris, bene poterit requiri diſpoſitio ad iſtam in ſubiecto, etiamſi non requiratur ad illam.

33 Obijcies 2. Petrus exiſtens in obſcuro loco videt colorem extrà illuminatũ, etſi diſtantem: ergo non requiritur in medio lumen vt diſpoſitio ad recipiendam ſpeciem coloris. Probatur conſequẽtia: quia in loco ſubobſcuro, è quo videtur color, eſt ſpecies coloris, & tamen ibi non eſt lumen, quod medium diſponat ad eius receptionẽ: ergo, &c. Diſtinguo primum antecedens: Petrus exiſtens in loco omnino obſcuro videt colorem illuminatum, nego: exiſtens in loco aliquantulũ obſcuro, habente tamẽ remiſſam lucem, cõcedo. Sufficit autem remiſſa lux in medio, vt ſit diſpoſitum ad recipiendã aliquã ſpeciem coloris, quæ quidem ſufficit, vt potentia ibi exiſtens ipſum colorem intueatur. Cæterum, ſi res è contrario accidant; nempè quod Petrus ſit in loco diſtante intenſe illuminato, & color in loco remiſſe lucido, non videbit illum: tùm quia, cùm color ſit in medio remiſſe illuminato, remiſſam ſpeciẽ in eo producet; & ideo non poterit ſe extendere vſque ad Petrum in ea intenſione, quæ ſufficiat ad viſionem eliciendam: tum etiam quia lux intenſa exiſtens in medio, & in obiectis intermedijs ita rapit attentionem potentiæ, vt nullam relinquat attentionem ad obiectũ diſtans remiſſe illuminatum.

Requiritur etiam lumen ex parte coloris ad eius viſionem.

34 Certum exiſtimo 3. lumen requiri ex parte coloris ad viſionem ipſius coloris. Itaq; ad hoc, vt color videatur, non ſufficit, quod medium ſit illuminatum, ſed eſt etiam neceſſarium, quod ipſe color ſit illuminatus. Ita P. Suar. lib. 3. de An. cap. 16. num. 4. & pro ſe adducit Albert. Auicen. Themiſt. Ægid. Caiet. & S. Thomam 1. part. quæſt. 67. art. 3. ad 3. videturque deduci hæc ſententia ex Ariſt. lib. 3. de An. tex. 18. vbi ait, lumen facere colores actu, intellige viſibiles. Hoc aſſertum probari ſolet nonnullis

nullis rationibus, & experientijs, quæ facilem habent ſolutionem. Hæc vna videtur mihi rem cõuincere. Si quis exiſtens in interiori parte ſpecus, & oſtiũ eius proſpiciens habeat intra ipſam ſpecum prope oſtium vnum obiectum coloratum paruo lumine affectum; & extra ſpecum aliud diſtans; intenſe tamen illuminatum, melius videt obiectum hoc, quàm illud, vt conſtat experientiâ: atqui contrarium eueniret, ſi lux non requiritur ex parte coloris ad illum videndum: ergo, &c. Minorem probo: quia diſtantia exiſtens inter obiectum propinquius, & hominem intus commorantem eſt æque diſpoſita ad recipiendam ſpeciem vtriuſque obiecti, deinde obiectum prope oſtium ſpecus exiſtens eſt propinquius homini videnti: ergo intenſiorem ſpeciem produceret in potentia viſiua illius: ac percõſequẽs perfectius videretur ab illo; quia cæteris paribus perfectius videtur obiectum, cuius intenſior ſpecies afficit potentiã viſiuam.

35 Dices: obiectum extra ſpecum exiſtens propter meliorem medij illuminati diſpoſitionem producit in illo intẽſam ſpeciem, quæ quidem in medio ſubobſcuro vſque ad potentiam producit aliam intenſiorem eã, quam producit obiectum ibi exiſtens, & ideo hoc non videtur æque benè, ac aliud extra ſpecum exiſtens. Sed contrà; obiectum extra ſpecum exiſtens non poteſt in eo medio illuminato producere ſpeciem ſummè intenſam, hoc eſt, vſque ad octo gradus; quia eſt diſtans, & nullum agens poteſt in paſſo diſtanti ſummam intenſionem producere (niſi ratione maximæ denſitatis, aut plurimarum partium compenſetur ea diſtantia, quod quidem raro accidit) Ponamus ergo, illud agens producere in medio illuminato quinque, aut ſex gradus ſpeciei. Hi gradus ad producendam ſpeciem in medio ſubobſculo non habent tantam virtutem, quantam habet obiectum exiſtens intra ſpecum: quia hoc habet virtutem vt octo, ſicut quoduis obiectum; ſpecies verò illa ſolùm habet virtutem vt quinque, vel vt ſex: deinde potẽtia viſiua eſt æquè diſtans, mediũ vtrique proximũ æquè diſpoſitũ: ergo intenſiorem ſpeciem producet in eo medio obiectum exiſtens intra ſpecum, quam ſpecies obiecti exiſtentis extra, ac per conſequens clariùs videbitur illud, quâm iſtud, ſi nõ requiritur lumen ex parte obiecti.

36 Si autem lumen dicatur requiri ex parte coloris ad viſionem, facilè aſsignatur ratio, cur obiectũ magis diſtans perfectiùs videatur: quia, videlicet obiectũ magis illuminatum intenſiorem ſui ſpeciem producit in medio ſibi proximo. Ponamus ergo obiectum illud diſtans ratione intenſioris luminis producere vſque ad oſtium ſpecus quinque gradus ſpeciei; & obiectum ibi exiſtens ex defectu luminis non producere niſi tres in medio ſibi pro-

proximo, in hoc caſu cum mediū, reſtans vſque ad potentiam ſit æque diſpoſitum reſpectu vtriuſque obiecti; & ſpecies obiecti illuminati ſit illi approximata per quinque gradus, obiectum vero minus illuminatum non niſi cum virtute producendi tres gradus, intenſior ſpecies obiecti illuminati producetur in potentia, atq; adeo videbitur perfectius: dicamus ergo, lumen requiri ex parte coloris ad viſionem.

Qua ratione requiratur lumen ex parte coloris?

37 **E**St tamen difficultas, qua ratione requiratur ex parte ipſius coloris. Albertus in ſum. de Hom. quæſt. de Subſt. colo. putat, requiri lucem vt obiectum formale conſtituens colorem formaliter viſibilem, cui conſentire videntur Conrad. Palac. Medin. Petrus Martin. Alij dicunt, requiri tanquam concauſam producentem ſimul cum colore vnam ſpeciem indiuiſibiliter repræſentantem vtrunque. Alij docent, colorem, & lucem videri per ſpecies diſtinctas; cum hoc tamen diſcrimine, quod lux ſe ſola producit ſuam ſpeciem; color vero non niſi adiutus lumine tanquam cauſâ vniuerſali, quæ non præſtabit ſuum concurſum, niſi ſit in eodem ſubiecto, in quo eſt ipſe color. Alij denique docent, ſolum requiri lumen vt conditionem ex parte coloris, vt iſte ſpeciem ſui producat in potentia.

38 Dico 1. lumen non requiritur ex parte coloris vt obiectū formale reddens illum formaliter viſibilem (dum dico *formaliter viſibilem*, non loquor de denominatione extrinſecâ *viſibilis* prouenīete obiecto formaliter à viſione; ſed de ratione formali, per quam cōſtituitur proximè capax terminandi viſionem) Ita P. Rub. hic q. 6. n. 87. & nonnulli recentiores. Et videtur eſſe expreſſa ſentētia Ariſt. qui hìc cap. 7. tex. 66. docuit, colorem in ſemetipſo cauſam habere, cur ſub aſpectum cadat. Quod certe dici non poſſet, ſi eſſet formaliter viſibilis per lumen. Probatur 1. quia vel color videtur eâdem viſione cum lumine; vel diuerſa. Si diuerſâ? Non poteſt reddi formaliter viſibilis per lumen: quia per illud redditur formaliter ſenſibile aliquod obiectum, per quod formaliter, & proximè terminat ſenſionem ſui, vt fatentur communiter authores: ſed color per ſuam entitatem formaliter & proximè terminat viſionem ſui, & non per lumen, vt admittis, cum ſupponamus, viſionē coloris non terminari ad lumen; ſed ad ſolum colorem: ergo per ſuam entitatem eſt formaliter viſibilis, & non per lumen.

39 Dices: per viſionem coloris attingitur immediate ſolus color; at ſupponitur viſio luminis determinans potentiam ad viſionem coloris; & ideo dicitur lumen obiectum formale coloris; ſicut præmiſſæ dicuntur obiectum formale concluſionis, quia prius cognitæ determinant ad cognitionem cōclu-

cluſionis. Sed contra : in primis modus iſte cognoſcendi excedit vires ſenſus præſertim externi: quia in eo inuoluitur diſcurſus, qui non conceditur niſi intellectui, aut ad ſummum ſenſui interno : at externo nullus vnquam diſcurſum adhuc imperfectiſsimum conceſsit.

40 Secundo: quia, ſi viſio luminis determinaret potentiã ad viſionem coloris modo dicto, nõ poſſet videri lumen afficiens colorem, quin color videretur : atqui ſæpè videtur lumen afficiens colorem, quin videatur color, quia, vt experimento conſtat, lumen valde intenſum ſæpè impedit viſionem coloris ſibi proximi: ergo lumen non ſe habet vt obiectum formale determinans potẽtiam viſiuam ad viſionem coloris. Adde lumen non poſſe prius viſum determinare potentiam ad viſionem coloris, niſi ratione alicuius connexionis, quam cum ipſo colore habeat; ſicut præmiſſæ non determinant ad cognitionẽ concluſionis, niſi ratione connexionis, quã cum ipſa habent: atqui lumen nullam connexionem habet cum colore, cum poſsit eſſe, & videri ſine illo: ergo, &c.

41 Si autem dicatur, colorẽ videri ſimul cum lumine eâdem viſione attingente illum vt obiectum materiale, & hoc vt formale, ratione cuius viſus ad colorem terminatur. Cõtra hoc eſt, quod, ſi lumen eſſet obiectũ formale per quod color redderetur formaliter viſibilis, quo intenſiori lumine afficeretur color, melius videretur: atqui ſæpè (vt oſtendit experientia) viſio coloris impeditur intenſo lumine illum afficiente: ergo non poteſt hoc eſſe forma, per quam color redditur viſibilis. Maior videtur mihi certa: quia ſi color eſt formaliter viſibilis, quatenus eſt lucidus : ergo quo lucidior fuerit, erit viſibilior.

42 Dices, intenſum lumen rapere totam attentionẽ potentiæ, & ideo hanc non diſcernere colorem in præſentia illius. Sed contra : quò magis rapitur potentia ab obiecto formali, per quod aliud redditur attingibile ab ipſa potentia; firmius adhæret illi vt inductione conſtare poteſt; intellectus enim quo impẽſius incumbit in teſtimonium verum loquẽtis, firmius adhæret rei teſtificatæ per tale teſtimonium; & quo intenſius aſſentitur pręmiſsis, difficilius remouetur à cõcluſione, in quam tales præmiſſæ illum inclinant: ergo, ſi lumen eſt obiectum formale reddens viſibilem colorem, quo intenſiùs potentia intendit in lumen; intenſiùs videbit colorem.

43 Dico 2. lumen non requiritur ex parte coloris tanquã concauſa efficiens ſimul cum colore ſpeciem huius. Hanc tenet P. Rub. ſupra num. 90. Probatur: quia color ſe ipſo eſt formaliter viſibilis per viſionem, quę ad illum ſolũ terminetur, vt probatum eſt concl. 1. ergo ſe ſolo poteſt producere ſpeciem ſui. Probo conſequentiam : quia eatenus

tenus poteſt producere ſpeciem, quatenus eſt viſibilis: ergo, ſi ſe ſolo eſt viſibilis, ſe ſolo poterit producere ſpeciem ſui. Confirmatur: quia nullum eſt prædicatum in ſpecie coloris, quod non poſsit reſpondere ipſi colori tanquam cauſæ: ergo non indiget concurſu luminis ad illam producẽdam. Si autem non indiget tali concurſu, non eſt admittendus, cum non ſint multiplicandæ cauſæ ſine neceſsitate. Antecedens probatur à paritate: quia obiectis aliorum ſenſuum reſpondent adæquate omnia prædicata, quæ ſunt in ſpeciebus talium obiectorũ: ergo & colori reſpondebunt adæquatè omnia prædicata ſuæ ſpeciei.

44 Et ratio à priori huius eſt: quia in tali ſpecie inuenitur, quod ſit qualitas, & quod ſit corporea, & quod ſit imago virtualis, ac ſemen intentionale coloris: ſed ratio qualitatis, & ratio corporeæ non poteſt non contineri in colore, cù ipſe ſit qualitas corporea: deinde ratio imaginis virtualis, ac ſeminis intentionalis continetur eminenter in illo vt in prototypo perte (quia ſaltem admittis concurſum inadæquatum coloris in ſuam ſpeciẽ) ſed color eſt prototypus adæquatus talis ſpeciei, cum nihil aliud præter illum repræſentetur per talem ſpeciem: ergo erit etiam cauſa adæquata in qua adæquatè contineantur talia prædicata.

45 Dico 3. lumen requiritur ex parte coloris tanquam diſpoſitio aut conditio neceſſaria ad productionem ſpeciei ipſius coloris. Hanc putat valde probabilem P. Rub. ſupra. Et facile probatur ex dictis: quia lumen requiritur ex parte coloris ad viſionem ipſius coloris, vt conſtat ex num. 34. non vt obiectum formale, vt probatum eſt concl. 1. neque vt concauſa ad producendam ſpeciem ipſius coloris, vt probatum eſt concl. 2. ergo vt conditio, ſeu diſpoſitio ad ſpeciem producendam; quia non eſt alius modus, quo neceſſarium eſſe poſsit.

SECTIO II.

De Auditu, & eius obiecto.

46 OCcurrit ſecundo loco potentia auditiua, quæ definiri poteſt, *Potentia vitalis corporea cognoſcitiua ſoni duntaxat.* Loco generis ponitur *Potẽtia vitalis*, in quo conuenit cum reliquis potentijs vitalibus. Additur tamen *corporea*, vt diſtinguatur à potentijs ſpiritualibus. Deinde ſubiungitur *cognoſcitiua ſoni* (vt ſenſibilis proprij intellige) tum vt diſcernatur à potentijs appetitiuis, vt ſunt voluntas, & appetitus ſenſitiuus, tum etiam vt ſeparetur à reliquis ſenſibus externis, qui ſonum nequeunt attingere. Et denique additur *dumtaxat* ad excludendum ſenſum internum, qui licet ſonum percipiat, extenditur tamen ad obiecta aliorum ſenſuum externorum.

47 Organum huius potentiæ continetur intra aurium foramina,

na, ita vt intra foramen vtriuſque auris ſit quædam membrana (tympanum auditus, ſeu miringam vocant) quam tria oſsicula ſuſtentant, quorum vnum figuram refert incudis pediculis duobus innixæ; alterum malleoli; tertium ſtapedæ. In prædicto tympano ſubſtantia quædam tenuiſsima ſeruatur, & aerea dicitur, ſeu aer congenitus, quæ quidem eiusmodi vallo cohibetur, ne diffluat, vel ſaltem irruentibus extrinſecus hoſtibus diſsipetur. Denique ab interiori parte vtriuſque tympani duo nerui protenduntur vſque ad cerebrum, per quos & ſpiritus animales auditioni neceſſarij ex ipſo cerebro deriuantur, & ſpecies rerum auditarum ad ſenſum communem deferuntur.

48 Potentia auditiua conſiſtit in ſubſtantia illa aerea ſeu in aere congenito intra miringam contento, vt ex Galeno, & Ariſtot. docent. PP. Conimbr. hic capit. 8. quæſt. 4. art. 2. Et ſuaderi poteſt: tum quia ſicut aer eſt id, quod potiſsimùm recipit ſonum, eiuſque ſpecies defert ad aures, ita ad eaſdem ſpecies ſuſcipiendas, & eliciendam auditionem maxime idonea cenſeri ſi debebit ſubſtantia illa aerea, proindeque in ea conſtituenda eſt potentia auditiua: tum etiam quia eiuſmodi ſubſtantia eſt vndique vallata reliquis partibus, quæ in organo potentiæ auditiuæ reperiuntur: ergo eſt pars potiſsima talis organi, atque adeo in ea reſideat neceſſe eſt potentia auditiua. Hinc infertur, eam partem eſſe viuentem vita ſenſitiua, ac per conſequens non eſſe omnino fluidam, ſicut ſanguinem; ſed aliquam conſiſtentiam habere, ratione cuius poſsit continuari cum miringa, & reliquis partibus.

49 Obiectum huius potentiæ eſt ſonus, de cuius exiſtentia nullus dubitare poteſt. Ad eius generationem requiruntur tria corpora, è quibus duo vehementi ictu ſe concutiant; tertium verò ex eorum concuſsione reſiliat. Propterea duo ſe concutientia, aut ſaltem vnum debent eſſe dura, & tertiũ reſiliens molle, & fluidum, vt ex illorum percuſsione hoc facile reſilire poſſit. Neque eſt neceſſarium, quod hæc tria corpora ſint omnino diſcontinua; ſed ſufficit, quod pars vnius reſiliat ex mutua concuſſione aliarum partium eiuſdem corporis cum alio tertio: vt cernitur, quando aer turrim verberat; & virgâ aera percutimus: quia tunc ex concuſsione aeris, & virgæ, ſeu turris reſilit aliqua pars ipſius aeris, in qua ſonus deferatur.

50 Ad hoc igitur, vt producatur ſonus, requiritur impetus impreſſus in corporibꝰ ſe percutiẽtibus, quæ vt plurimũ dura, & ſolida eſſe debent: deinde requiritur motus antecedens cõcuſsionẽ; ipſa cõcuſsio eorũ; & motus corporis reſilientis proueniens ex impetu cauſato ab alijs ſe concutiẽtibus. Sonus ergo non eſt motus ille, ſeu

ſeu impulſus, quo corpora impelluntur ad colliſionẽ; quia hi dantur ante ipſam colliſionem, & tamen tunc temporis non datur ſonus: neque eſt indiuiſibilia terminatiua motuum, quibus corpora ſe percutiunt, quia ea indiuiſibilia ſunt eiuſdẽ rationis cum terminatiuis, quibus terminarentur illi motus, ſi corpora ſiſterent ante percuſsionem: at hi terminatiui non ſunt ſonus, vt conſtat: ergo neque illi, qui ſunt eiuſdem rationis cum his: neque ſonus eſt motus ille, ſeu impetus corporis reſilientis ex percuſsione aliorũ duorum: quia talis motus immediatè producitur ab impetu impreſſo in eo corpore; deinde talis impetus eſt idem in ſpecie (imò & idẽ numero poteſt eſſe) ſiue corpus illud impellatur à duplici corpore, ſiue ab vno, vel ab alio agente extrinſeco: ergo, cum non ſit ſonus, quando ab vno corpore cauſatur, neque erit quãdo à duplici.

51 Sonus ergo debet eſſe aliquid denuo productum, quando datur reſilientia vnius corporis ex aliorum duorum concuſsione. Quod, cum non poſsit eſſe ſubſtantia, quia producitur, & deſtruitur manentibus eiſdem ſubſtantijs, quæ ad concuſsionem, & reſilientiam concurrunt; neq; ad vllum alium prædicamentũ pertinere poſsit, niſi ad qualitatẽ, dicendum eſt, eſſe qualitatem pertinentem ad tertiam ſpeciem, *Paſsionem* videlicet, & *Paſsibilem qualitatem*, vt ex ibi dictis in Log. conſtat. Et quidem, cum ſit entitas per ſe admittens intenſionem, & remiſsionem, vt oſtendit experientia, neceſſario annumerari debet qualitati, cuius inter alia prædicamenta eſt admittere per ſe intenſionem, & remiſsionẽ, vt ibi diximus.

52. Eſt autem qualitas partim permanens, & partim tranſiens. Eſt partim permanens, quia poſtquam producta eſt, aliquando perſeuerat. Id conſtat experientiâ: quia, quando à longe percuſsionem aliquam duorum corporum videmus, prius viſu percipimus percuſsionem, quam ſonum inde cauſatum exaudiamus: quod aliunde prouenire nequit, niſi ex eo, quod ſonus in corpore aliquo defertur, quod appropinquans ad potentiam, ſpeciem in ea producit, quam antea non producebat propter nimiam diſtantiam: ergo aliquã diu perſeuerat ſonus, ac perconſequens eſt aliquantulum permanens.

53 Cæterum, quia non diu perſeuerat, ſiquidem breui elabitur, vt experientia oſtendit, ideo dicitur partim tranſiens. Ratio autem, propter quam cito tranſit, eſt: tum quia ſicut ad ſui productionem requirit motum corporis reſilientis; ita ad ſui conſeruationem requirit motum corporis, in quo recipitur; cum autem non diu perſeueret talis motus, ideo non diu perſeuerat ipſe ſonus: tum etiam quia eſt ex genere qualitatum, quæ ſeparatæ à cauſa ſecunda producente petunt ex natu-

natura ſua conſeruari à Deo pro tempore determinato, quo tranſacto ceſſat conſeruatio eius ex defectu exigentiæ talis conſeruationis. Eo modo, quo philoſophati ſumus de impulſu in Phyſ. diſp. vlt. ſect. 4. Et verò, ſi ſonus non eſſet eiuſmodi naturæ; cum non habeat contrarium (neque enim illud hucuſque nouimus) & ſubiectum eius ſæpe ſæpius diu perſeueret huc illuc agitatum (vt, quando in cubiculo vndiq; clauſo, in quo continuo agitatur aer, emittitur; ibi enim diu continetur agitatus aer, in quo dicemus ſubiectari) & conſeruans, cum ſit Deus, non deficiat, non eſſet, cur per longum interuallum temporis non duraret.

De Cauſis ſoni.

54 QVod ad cauſam materialem attinet, certũ eſt, ſonũ recipi in aere reſiliente ex concuſsione duorum corporum: dum enim duo corpora ſe percutiunt, pars aeris intercepta cogitur reſilire, & in eâ efficitur ſonus tanquam in ſubiecto recipiente. Id conſtat experientiâ: quia ſonum eminus cauſatũ à ſecuri percutiẽte lignũ nõ audimus niſi appropinquãte nobis aere ex ea percuſsione reſiliente: ergo aer in ſe ſonum trahit ad nos, ac percõſequens in illo recipitur. Et quidẽ cum prædicta corpora ſe percutientia in eodem loco perſeuerent, neque aliud ſit corpus, quod appropinquans nobis poſsit ſecum trahere ſonũ, niſi aer, neceſſariũ eſt, quod dicamus, ſonum in illo ſubiectari. Nec mirum, quia ratione flexibilitatis, & leuitatis, quibus cõſtat, maximè idoneus eſt, vt & ex concuſsione aliorum corporum reſiliat; & ſonum in ſe receptum deferat ad auditum.

55 Certum eſt 2. ſonum non ſubiectari in corporibus ſe percutientibus, aut ſonatiuis, præſertim ſi ſint denſa, ſolida, & dura. Ratio eſt: quia, ſi in corporibus ſe percutientibus reciperetur ſonus, quùm duo lapides ſe percutiunt, triplex audiretur ſonus: hoc non eſt admittendũ; quia cum experiẽtia pugnat: ergo neq; illud. Maior probatur; quia in lapidibus ſe percutientibus, & in aere reſiliente triplex reciperetur ſonus, cum non poſsit vnus & idem in triplici ſubiecto recipi: deinde quiuis ex illis ſpeciem ſui produceret in auditu expedito ad audiendũ: ergo perciperẽtur tres ſoni diſtincti: atqui certum eſt, non percipi niſi vnum ſolum: ergo certũ etiã debet eſſe, quod ſolũ recipiatur ſonus in corpore reſiliente. Hinc colligo, duplicẽ diſpoſitionẽ requiri in corpore ad recipiendũ ſonum. Prima eſt, quod ſit molle, fluidũ, & quod facile diuidatur, ac reſiſtat. Secũda, quod de facto reſiliat ex mutua duorum corporũ percuſsione: vnde, quãdo, percutiente aere turrim, reſiliunt ex ea percuſsione partes aliquæ ipſius aeris, ſolæ partes reſilientes recipient ſonum, quia in illis ſolùm dãtur omnia requiſita ad talem receptionem.

56 Obijcies: tranſacta percuſsio-

Digitized by Google

cuſsione cimbali, ſentitur tinnitus ibi perſeuerans: ergo recipitur ſonus in illo. Cōfirmatur: quia in fractione vaſis, aut ſciſsione panni non intercipitur aer inter duo corpora ſe percutiētia, & nihilominus auditur ſonus: ergo nō ſolū recipitur in aere intercepto, ſeu reſiliente ex percuſsione; ſed etiam in corporibus ſonatiuis. Confirmatur 2. quia ſi leui ictu vnam ligni valde longi extremitatem percutiam, & aurem apponas alteri extremitati, audies ſonum, quem non audires, ſi aurem illuc non applicares: ergo ex eo eſt, quod ſonus diffunditur per totum lignum.

57 Ad obiectionē reſpondeo, tinnitum illum non eſſe ſonū ſubiectatum in cimbalo; ſed in aere intra ipſum contento, qui impulſu prioris percuſsionis agitatus pluries impingit in cimbalum, & ſonum cauſat in partibus ipſius aeris reſiliētibus ex illis percuſsionibus. Ad primam confirmationē dico, ſonum illum cauſari ab aere velociter concurrente ad replendum locum relictū à partibus ſeparatis per ſciſsionē, aut fractionem, & ideo recipi in partibus aeris reſilientibus ex percuſsione aliarum partium aeris, & corporis diuiſi. Ad ſecundam confirmationem reſpondeo, ex eo ſonum illū audiri, quia ſpecies ſoni cauſati in vna extremitate difunduntur per totum lignum (quod quidem, vtpote poroſum, eſt medium aptum ad illas recipiēdas) & cum potentia per applicationē auris ad aliam extremitatē ab aliorum ſonorum auditione ſubtrahatur, facile percipit illum, etſi leuem.

58 Hic eſt difficultas: an aqua ſit ſubiectum idoneum ad recipiendum ſonum? Et reſpondeo affirmatiue: tum quia eſt corpus fluidū & molle, & quod inter alia duo interceptum facile reſiliat ex eorum percuſsione; quid ergo illi deeſt ad recipiendum ſonum: tum etiā quia, ſi lebes ſubmerſuſa quis putealibus fundū putei percutit, cauſat ſonum, qui foris exauditur: atqui ibi non eſt aliud corpus in quo poſsit produci ſonus, niſi aqua reſiliens ex lebetis percuſſione: ergo recipitur in aqua.

59 Dices, ſonum cauſari in aere ſub aquis detento. Sed contrà: aer non poteſt diu ſub aquis detineri: tum quia, cum ſit leuis, & aqua fluida, ac facilè mobilis, facilis via illi pateret ad aſcendendum: tum etiā, quia cum ibi ſit magnum aquæ pondus, & hæc ex natura ſua ſit actiua in aerē; facile illum in ſe cōuerteret. Quod autē ij, qui ſunt aquis ſubmerſi, ſonum non percipiant, ex eo prouenit, quod tēperamētum potentiæ auditiuæ læſum frigiditate, & humiditate aquæ, impedimento eſt ad auditionē. Ex dictis conſtat, ignē eſſe corpus idoneum ad ſuſcipiēdum ſonū; tum quia ignis eſt ſubtilis, fluidus, & facilè cedens diuiſioni: tum etiam quia corpora ſe percutientia intra flammas ſonitum edunt.

60 Circa cauſam efficientem cenſeo 1. non poſſe eſſe cauſam effi-

Digitized by Google

efficientē ſoni ſolùm aerē reſilientem. Suadetur: quia in eodē aere, & eodē modo diſpoſito producũtur ſoni valde diſsimiles: atqui ſi ſolus aer eſſet cauſa efficiens, nō poſſent eſſe diſsimiles: ergo, &c. Minor probatur: quia diſsimilitudo effectus debet prouenire ex diuerſitate efficientis, aut ex diuerſitate ſubiecti, vel diſpoſitionis illius: atqui in præſenti caſu ſolus aer eſt ſubiectũ ſoni, & eſt eodem modo diſpoſitus: ergo, ſi ipſe ſolus eſt cauſa ſufficiens, non eſt vnde ſumatur diuerſitas ſoni.

61 Cenſeo 2. cauſam efficientem ſoni eſſe corpora ſe percutiētia. Ratio eſt: quia pro diuerſitate taliũ corporũ ſolent produci diuerſi ſonitus: ergo ideo eſt, quia vel in eis recipiuntur, vel ab eis efficiuntur; neque enim alio modo poſſunt eſſe in cauſa diuerſitatis ſonorum: atqui iam probauimus, non recipi in illis: ergo effici debent ab illis. Eos autē efficient immediatè per propriũ tēperamentum primarũ qualitatũ, vel per qualitatē ortā ex tali temperamento; quia variato temperamēto corporum ſe collidentiũ variari ſolent ſoni, etiamſi ſubſtātia eadem perſeueret. Eſt tamen conditio ex parte corporum requiſita percuſsio, aut colliſio ipſorũ impetu aliquo cauſata, quia ſi non ſe tangunt aliquo impetu, nullum ſonum emittunt.

62 Hinc fit 1. ſonum propriè loquendo non eſſe qualitatem ſecundam: quia hæc oritur efficienter ex permixtione, & temperamento primarũ in eodē corpore, in quo datur talis permixtio; ſonus autē nō efficitur in corpore, in quo datur tēperamentum primarum qualitatũ, à quo cauſatur; ſed in alio, vt conſtat ex dictis. Reuocari tamen poteſt ad qualitates ſecundas: tum quia in ſuo efficiēte ſupponit certum temperamentum primarum: tum etiam quia in ſubiecto, in quo recipitur, ſupponit certā diſpoſitionē, ſi non omnium, ſaltē aliquarum primarum qualitatum. Fit 2. aerem reſilientem non eſſe recenſendum inter cauſas efficiētes ſoni: quia ex vna parte debent concurrere efficiēter corpora ſonantia, vt probatũ eſt; & ex alia parte nō eſt fundamentum cogens ad addendā aliā cauſam efficientē præter illã: ergo nō eſt addenda, quia nō ſunt multiplicandæ cauſæ ſine neceſsitate.

63 Dices: ex diuerſā diſpoſitione corporis reſilientis oriri ſolet diuerſus ſonus: ergo corpus reſiliens concurrit efficienter ad ſonum. Conſequentia videtur bona: quia ex eo, quod iuxta diuerſam diſpoſitionē corporum ſe collidentium varientur ſoni, probauimus, ea corpora concurrere efficienter ad ſoni productionē. Antecedēs probatur: quia, ſi duo corpora ſe percutinat intra aquā, diuerſum ſonum emittunt ab eo, quē cauſant, dum in medio aere ſe percutiunt; quod quidem aliunde prouenire nequit, niſi ex diuerſa diſpoſitione corporis reſilientis.

64 Conceſſo primo antecedente, nego cōſequentiā. Ad probatio-

bationem reſpondeo, quod, cum corpora ſe percutientia non recipiant in ſe ſonum, non poſſet in ea referri diuerſitas ſonorum, niſi efficienter concurrerent, & ideo, cum experientiâ conſtet, pro eorum diuerſitate diuerſos cauſari ſonos, neceſſarium eſt, quod dicantur efficienter concurrere ad eorum productionē: at verò corpus reſiliens recipit in ſe ſonum ratione diſpoſitionis, quam in ſe continet: diuerſitas autem effectus ſufficienter ſumitur ex diuerſitate ſubiecti, vel diſpoſitionis illius: & ideo benè ſtat, quod pro diuerſa diſpoſitione corporis reſilientis dentur diuerſi ſonitus, quin illud ſit cauſa efficiens iſtorum.

65 Obijcies: ſoni omnino ſimiles oriuntur ſæpe à corporibus diuerſæ rationis: ergo non efficiuntur immediatè ab illis, neque enim diſsimilia corpora habere poſſunt virtutem eiuſdem rationis. Confirmatur 1. ſonus cauſatur in aere, quando corpora ſe tangunt: ſed, quando corpora ſe tangunt, non poſſunt producere ſonum in aere, quia iam tunc aer eſt diſtans ab illis: ergo aſsignanda eſt alia cauſa. Confirmatur 2. ſæpè intenditur ſonus poſt factam percuſsionem: ergo ſicut ea intenſio non fit à percutientibus, ita nec ſonus.

66 Ad obiectionem, admiſſo antecedente, nego conſequentiā: quia ſicut ex temperamētis valde diuerſis oriri poſſunt colores eiuſdem rationis, vt conſtat in niue, & calce, quæ, licet habeant diuerſa temperamenta, nihilominus eodem afficiuntur colore; ita etiam ex diuerſis temperamentis poſſunt ſoni ſimiles prouenire.

67 Ad 1. confirmationem in primis dici poteſt, ſonum cauſari in aere reſiliente in duratione antecedēte contactum; quia iam tunc incipit reſilire aer. Secūdò dato, quod ſonus cauſetur per cōtactum, dico, tunc aerem nō eſſe diſtantem à corporibus ſonatiuis ſecundum omnes ſuas partes; ſed eſſe contiguum ſecundum aliquā partem, cum non reſiliant omnes ſimul, ſed ſucceſsiuè; & hoc ſufficere, vt prædicta corpora cauſent ſonum in omnibus partibus aëris reſilientis, quia ad hoc, vt agens agat in paſſo, ſufficit, quod ſit applicitum immediatè vni ex partibus ipſius paſsi, vt dictum eſt in lib. de Gen. Ad 2. confirmationem reſpondeo, nunquam intendi ſonum poſt factam totam percuſsionem: quia, cum percuſsio non poſsit fieri ſimul ſecundum omnes partes corporum ſe tangentium, ſed ſucceſsiuè facienda ſit, vt dixi in Phyſic. diſput. vlt. num. 61. ſonus cauſatus à prioribus partibus augetur per poſteriores.

Qua ratione percipiatur ſonus?

68 Reſtat diſcutiendum, qua ratione ſonus potentiam auditiuam immutet ad auditionem? Et eſt difficultas, an ipſe ſonus realiter, & phyſicè proue-

Digitized by Google

nire debeat vſque ad potentiam, vt ab ipſa percipiatur; vel ſufficiat, quod ſpeciem ſui in ea per medium interiectum producat, ſicut color? Auicen. lib. 6. cap. de Auditu docet, non percipi, niſi ipſe phyſice deferatur vſque ad potentiam in ea parte aeris, in qua primo productus fuit à corporibus ſonatiuis. Hæc tamen ſententia omnino reijcienda eſt: quia vna, & eadem vox è ſuggeſtu à concionatore prolata percipitur ab innumeris auditoribus; & tamen credi non poteſt, particulam aeris ex ore concionatoris reſilientem perduci ad aures ſingulorum hominum præſentium. Secundò: quia ſæpius percipimus, ſonum eſſe diſtantem; ſi autem ad aures vſque ſonus perduci deberet, vt audiretur, non perciperetur diſtans; ſed indiſtans.

69 Alii putant, perduci ſonum phyſice vſque ad auditum; non tamen eundem, qui cauſatus fuit à corporibus ſonatiuis; ſed alium diſtinctum, etſi ſimilem: quia pars aeris primò percuſſa percutiendo aliam, ſonum aliũ in ea cauſat; & illa alium in aliâ ſimili modo percuſsâ, & ſic in reliquis vſque ad potentiam auditiuam: & id putant neceſſarium iſti authores, vt ſonus percipiatur. Ita Albertus in Summ. de Homin. tract. de Auditu. Hæc ſententia eſt etiam falſa. Primò: quia ex ea colligitur, ex cuiuſque ſoni productione totum aerem commouendum fore vſque ad potentiam: atqui oppoſitum experientiâ conſtat, quia videmus, pluribus loquentibus in aliquo cubiculo non moueri flammam lucernæ, & tamen moueretur, imò & extingueretur ferme, ſi ex cuiuſque ſoni productione tanta commotio aeris fieri deberet.

70 Secundò: quia, quando vna vox leuiter prolata auditur à multis, non videtur poſsibile, quod illa exigua pars aeris, in qua ſonus vocis defertur, habeat virtutem ad impellendas, & commouendas tot partes aeris, quot moueri debent, vt producatur ſonus in auribus omnium audientium. Tertiò: quia non poſſet non audiri multiplex ſonus in medio, cum omnes ſoni in eo cauſati ſint audibiles: at non auditur niſi vnus ſonus: ergo, &c. Quartò: quia ſoni producti in medio, vel eſſent eiuſdem rationis cum primo; vel diuerſæ. Si hoc vltimum? neſcio, qua ratione ſonus vltimo productus in auribus deſeruire poſsit ad audiendam vocem concionatoris è ſuggeſtu loquentis? Si dicatur primum? Eſt impoſsibile: quia percuſsio vnius partis aeris cum alia eiuſdem aeris non poteſt habere vim ad producendam vocem, ad quam requiritur motus gutturis, linguæ, palati, & totius oris, vt de ſe eſt manifeſtum.

71 Vera ergo ſententia eſt, ſonum immutare auditum producendo ſpecies intentionales in illo per medium interiectum. Ita P. Tolet. hic c. 8. q. 31. P. Rub.

 hic

hic q. 4. & communiter recentiores. Probatur 1. quia ſæpe auditur ſonus diſtans ab auditu: atqui non auditur per acceſſum phyſicum ſui ad potentiã, nec per productionem phyſicã alterius ſoni, vt probatum eſt contra oppoſitas ſententias: ergo per productionẽ ſpecierum intentionalium, quia non poteſt aliter fieri auditio. Secundò, etiamſi ſonus nonnunquã phyſicè appropinquet tympano continente aerem cõgenitum, in quo diximus, ſitam eſſe potentiã auditiuam, non poteſt concurrere ad ſenſationem, niſi mediâ ſpecie productâ in ipſâ, quæ illi applicet intentionaliter obiectum, vt diximus diſp. 7. ſect. 2. ergo neceſſaria eſt ad auditionem immutatio intentionalis potẽtiæ per ſpeciẽ.

72 Medium autem idoneũ ad recipiendas ſpecies ſoni ſunt ignis, aer, & aqua, vt concedunt omnes; & experientiâ cõſtat: deinde ligna, & alia corpora ſolida, denſa, & dura, vt ſunt paries, vitrum, æs, &c. quia experientiâ conſtat, quod ſi intra cubiculum vndique clauſum, & intra vas æneum bene obturatum ſonus vehemens emittatur extrinſecus auditur; quod quidem fieri non poſſet, niſi ſpecies in corpore intermedio, qualis eſt paries, & æs reciperentur. Neque enim dici poteſt recipi in aere intra poros illorum corporum contento: tum quia in ijs corporibus, præcipuè in ære ſunt pori quam paucisſimi: tum quia ij, qui ſunt, non tendunt rectè à ſuperficie concauâ in conuexam; ſed inter vnum, & aliud mediant partes ſolidæ.

73 Hic eſt aduertendum, aliquando non audiri ſonum, ſtatim ac profertur, quia nõ producitur in diſtãtia, à quâ poſsit producere ſpecies in potentia, vel ſaltem ita intenſas, quæ ſufficiant ad auditionem. Poſtea tamen appropinquante aere, in quo defertur, facilè percipitur; quia iam eſt in diſtantia proportionata ad cauſandam ſpeciem ſufficientem ad eliciendam auditionem. Et hinc ſumitur ratio, cur ſæpè actus aliquis videatur priùs, quam audiatur: quia videlicet obiectum viſus maiorem habet ſphæram actiuitatis, & ideo ad maiorem diſtantiã producit ſpeciem ſui in potentia viſiua: ſonus verò, cum minorem habeat ſphærã, non producit ſpeciem ſui, quouſque proximior fiat potẽtiæ per motum aeris, in quo defertur. Verſus eam autem partem, verſus quam defertur, producit ſpecies intenſiores, quam verſus oppoſitã. Et hinc ſumitur ratio, cur ij, qui à tergo ſunt loquẽtis non adeò facile, & benè percipiant voces, ac ij, qui è regione illi attendunt: quia videlicet aer reſiliens, in quo vox defertur, producit ſpeciẽ intẽſiorẽ verſus iſtos, tum quia magis illis approximatur per motũ, tum etiã quia ſonus intenſiorẽ ſpeciẽ producit verſus eam partem, verſus quã defertur.

74 Ex dictis facile explicari poteſt, qua ratione fiat echo, ſeu reſonitus. Echo ſeu reſonitus dicitur ſonus, aut vox in corpus ſo-

lidum

Digitized by Google

ildem ſæpe, & concauũ impactũ, ab eoque rurſus ad potentiã auditiuã regrediens. Ad hoc ergo, vt detur echo, ſeu reſonitus, non eſt neceſſariũ, quod ſonus realiter deferatur vſque ad obſiſtens, è quo ipſe ſonus reuertatur ad potentiam auditiuã: tum quia ſæpè auditur echo immediatè poſt ſonum editum, quod quidẽ fieri non poſſet, ſi particula aeris, in qua ſonus defertur, peruẽtura foret ad obſiſtens, quia, cũ moueatur ſucceſsiue, neque magno impetu ex ore reſiliat, non poterit tam breui illuc peruenire: tum etiam quia vehementi aere in oppoſitũ perflante, alió iactabitur ea particula aeris, ita vt non poſsit ad obſiſtens peruenire, & tamẽ tunc auditur vox per reflexionẽ: ergo nõ eſt neceſſariũ, quod vox aut ſonus phyſicè deferatur ad obſiſtens.

75 Dicendũ ergo eſt echo frequenter contingere per reflexionem ſpecierũ intentionaliũ ſoni: quia dum eæ in corpus ſolidũ lęue, & concauũ impingũtur, ab eo determinãtur ad alias ſimiles reflexe producendas vſque ad auditum, ratione quarũ reflexe auditur ſonus, qui antea directè fuerat perceptus. Eſt autem neceſſariũ, quod obſiſtens ſit concauũ, vt ſpecies in eo receptæ melius applicẽtur ad producendã ſpeciẽ intenſiorem per eam lineã, per quã fit reflexio. Aliquando verò contingit, quod ipſe ſonus phyſice perueniat vſque ad obſiſtens, & inde ſpecies reuocet, imò & quod ipſe phyſicè regrediatur, ſi non vſque ad ipſam potentiã, ſaltem propè ipſam, quia, cum aliquando pars aeris, in qua ſonus recipitur, magno impetu reſultet ex ſonatiuorum corporũ concuſsione, cõtingere poteſt, quod impacta in obſiſtens vi inde regrediatur.

76 Hinc facilis aſsignatur ratio aliquorũ, quæ in echo, ſeu reſonitu experimur. Nõnũquã enim ſimul ac profertur vox reflectitur, quia videlicet profertur in ea diſtantia, quæ ſufficiat, vt eo inſtãti reuocentur ſpecies ab obſiſtente vſq, ad potentiã. Aliquãdo verò poſt prolatã integrã dictionẽ auditur echo ſolius vltimæ ſyllabæ; quia reſonitus primæ eo tẽpore, quo profertur vltima, regreditur ad potentiã, quæ occupata auditione directã vltimæ illũ non percipit; poſtea tamẽ percipit reſonitũ vltimæ, quia dũ regreditur, eſt expedita potẽtia ab auditione alicuius prolationis, cum iam tunc temporis nulla detur.

77 Prætereà aliquando integram dictionem recipit ab obſiſtente, quia dum vox profertur, non eſt ſonus in diſtantia proportionata ad hoc, vt ſpecies impactæ in obſiſtens recurrere poſſint ad potentiam: & ideo eſt neceſſarium, quod aer, in quo ſonus defertur, appropinquetur magis obſiſtenti ad eam diſtantiam, è qua reflecti poſsint ſpecies ad potentiam ſecundum eam intenſionem, quæ ſufficiat ad producẽdam perfectam vocum ſenſationem. Cum autem aer ſucceſsiue moueatur, ſuſpenditur auditio-

Digitized by Google

re ſonitus pro breuiori, aut longiori tempore iuxta diſtantiam percurrendam ab aere, vt redire poſsint ſpecies. Hinc eſt, quod aliquando bis, ter, aut quater, & pluries redeat eadem vox ad auditum: quia videlicet obſiſtens eſt in ea diſpoſitione, quæ pro ſucceſsiua applicatione aeris deferentis vocem, ſucceſsiue reddat eandem vocem.

78 Vox ſic definita eſt ab Ariſt. hic capit. 8. tex. 90. *Vox eſt ictus aeris reſpiratione attracti, qui ab anima in pulmonibus exiſtente cum quadam imaginatione efficitur.* Dicitur *ictus aeris*, in ſenſu cauſali; non formali, quia vox non eſt ictus aeris; ſed ex ictu aeris reſultat. Additur *attracti ab anima, &c.* hoc eſt aeris, qui primum attrahitur per aſpirationem, deinde redditur per reſpirationem virtute motrice in pulmonibus cõſtitutâ. Denique ſubiungitur *cum imaginatione*, quia eiuſmodi virtus applicatur ad operandum ex motione phantaſiæ, & appetitus ſenſitiui. Hinc conſtat, vocem eſſe à naturâ datam animalibus ad ſignificandum tum ſenſa phantaſiæ (& in hominibus etiam mentis) tum internos affectus: & ideo ea etiam, quæ rationis expertia ſunt, affectus animæ voce exponunt: vt, canes latratu; boues mugitu; aues cantu; leones rugitu, &c. quæ autem voces naturaliter, & quæ ad placitum ſignificent, & quo modo? dictum eſt lib. 1. Inſtit. dial. cap. 9. num. 11.

79 Inter ſonum autem, vocē, & ſermonem id eſt diſcriminis, quod ſonus inanimatis etiã corporibus conuenit; vox verò ſolis animantibus, cum non fiat niſi inſtrumentis, quæ animaliũ propria ſunt; ſermo denique ſolis hominibus, quia hic eſt manifeſtatio conceptuum mentis, quæ ſolum in ratione vtentibus inuenitur. Hęc de auditu, ſono, & voce. Qui plura velit adeat PP. Connimb. hic q. 3. & P. Tolet. cap. 8. q. 19. & ſequentibus.

SECTIO III.
De olfactu, & guſtu, ac eorum obiectis.

80 Olfactus eſt *Potentia vitalis corporea cognoſcitiua odoris duntaxat.* Cuius explicatio facile colligitur ex dictis circa auditum. Huius organum in naribus cõtinetur. Pro cuius declaratione aduerto, à cerebro vſque ad nares procedere quoſdam canales, per quos cerebrũ excrementa emittit, odoriferaſque ſugit ſubſtantias. Eiuſmodi canales in quædam tubercula carnis ſpongioſę mammillarum ad inſtar, deſinunt, quæ idcirco carunculæ mammillares appellantur, & exiſtunt in parte ſuperiori narium. Per canales inſuper dictos deſcendunt vſque ad extremum naſi duo nerui, per quos è cerebro deriuantur ſpiritus animales olfactioni neceſſarij; & ſpecies obiecti odorati ad ſenſum communem deferuntur.

81 Po

Digitized by Google

81 Potentia olfactiua reſidet in carunculis mammillaribus. Primò: quia ratione ſpongioſæ temperaturæ ſunt aptæ ad admittendas in ſe odoriferas exhallationes: deinde ſunt in loco idoneo tũ vt lædi facile nõ poſsint ab agentibus contrarijs extrinſecus irruentibus, tum vt explorent olentia, quæ nocumento eſſe poſſunt cerebro, & fomento, vt illa, antequam damnum inferant, effugiant; & hæc proſequantur.

82 Odor eſt qualitas quædam ſecunda orta ex temperamento primarum qualitatum, in quo calor cum ſiccitate prædominetur. Quod ex temperamento primarum oriatur, videtur certũ; quia, manẽte ſæpe eãdem ſubſtantiâ, ſolius temperamenti variatione variatur odor, vt experientiâ conſtat: ergo eſt quid perſe conſequens temperamentum. Deinde, quod ex ſe petat præcellentiam caloris, & ſiccitatis, eſt certum, quia res odoriferæ vehementiorem emittunt odorem, ſi calorem concipiant, & ſiccitatem; atque adeo in hyeme parum olent ex defectu caloris, & ſiccitatis; indigent tamen aliquâ humiditate, quia ſi hæc omnino deficit, parum odoris emittunt. Hinc cõſtat, odorem non inueniri in elementis puris, quia hæc temperie carent primarum qualitatum: vnde ſi terra, aut aqua odorẽ aliquem habent, ideo eſt, quia extrinſecùs illis accreſcunt quidam halitus de genere mixtorum, ſecundum differentes odorem.

83 Odor percipitur à potentia olfactiua per ſpecies intentionales. Primò: quia aliquando percipitur è magna diſtantia, ad quã non poteſt odor peruenire; vultures enim feruntur ſubodorari corpus emortuũ è diſtantia duarum, vel trium leucarum, & tamen veroſimile non eſt exhallationes, ſeu vapores odoriferos illius cadaueris ad tantam diſtantiam peruenire. Vnde, quod nos ſæpe non percipiamus odorem, quouſque rem odoriferam naribus admoueamus, non tam prouenit ex defectu virtutis in tali re ad mittendas ſpecies ſui, quam ex hebetudine noſtræ potentiæ, quæ non exit in actum, niſi intenſâ quâdã ſpecie præmuniatur. Et hinc etiã oritur, quod non diſcernat diſtantiam odoris, quia, videlicet propter ſui imperfectionem non poteſt talem diſtantiam diſcernere. Secundo: etiamſi odoriferæ exhallationes non raro potentiam olfactiuam phyſice contingant, non poterunt percipi ſine ſpecie intentionali, quæ per ſuĩ informationem obiectum applicet intentionaliter potentiæ iuxta dicta diſp. 7. ſect. 2. & 3.

84 Medium aptum ad traijciendas ſpecies eſt aer in conſenſu omnium. Item & aqua: quia piſces intra aquas ſentiunt odorem cibi à piſcatoribus incluſi intra naſas. Ex quo cõſtat ad olfactionem non ſemper eſſe neceſſariam reſpirationem, quandoquidẽ piſces ſub aquis olfaciunt, & non reſpirant, cum ibi non adſit aer

reſpirationi neceſſarius. Denique corpora ſolida, & denſa, non videntur eſſe medium aptum ad recipiendas ſpecies odoris; quod in naturam talium ſpecierum refundendum eſt.

85 Guſtus eſt *potentia vitalis corporea perceptiua ſaporis tantum*. Reſidet in neruiculo quodã per linguam diffuſo, qui quidem ſubtili, & ſpongioſa carne linguæ contegitur: reſidet etiam in palato, & gutture, imo & in ſtomacho, vt experientia docet: ſed in linguæ cuſpide eſt viuacior, quam in alijs partibus. Obiectum eius eſt ſapor, qualitas quidem ſecunda orta ex primarum temperie coaleſcente præcipuè ex ſiccitate terrea, & humiditate aquea, vt colligitur ex arborũ fructibus, qui ex terra imbuta aquâ præcipuè gignuntur; accedente tamen calore, & frigore attemperatis, ſine quibus fructus maturitatem non aſſequuntur.

86 Sapor percipitur per ſpeciẽ ſui in guſtu productã: tum quia non poteſt aliter applicari intentionaliter guſtui: tum etiam quia frequenter nõ applicatur phyſice potentiæ, cũ hęc ſit carne tecta, & ideo debet producere aliquid in carne illa vſq; ad potentiã, ratione cuius poſſit determinare ipſam potentiã ad ſenſationẽ: atqui id nõ poteſt eſſe aliud, niſi ſpecies impreſſa: ergo hęc produci debet in guſtu, vt percipiatur ſapor. Eſt tamen neceſſariũ, quod ſapor carnẽ illã phyſice contingat, vt ſpeciẽ in ea producat, quia nullũ datur mediũ extrinſecũ viuẽti, quod ſit aptũ ad ſpecies ſaporis recipiẽdas, vt experientiã conſtat. Propterea Ariſt. dixit, guſtũ eſſe quẽdã tactũ, & aliqui putarũt, guſtũ nõ diſtingui à tactu. Sed immeritò: quia guſtus ſolũ percipit ſaporẽ; tactus vero omnes primas qualitates & alias. Deinde tactus diffunditur per totũ corpus; guſtus vero reſidet in parte determinatã; atque adeo licet non diſtinguatur realiter à tactu exiſtente in ea parte, in qua reſidet, vt ſupra diximus; diſtinguitur tamẽ formaliter.

87 Sapor ſupponitur in rebus antequã guſtu percipiantur: neq; enim obiecta ſenſuũ ſuum eſſe ab illis participant, vt conſtat in reliquis ſenſibus; nec apparet, quã ratione guſtus poſſet tot tãque diuerſos ſapores in rebus producere. Sed dices: res, quæ aliquibus dulcia ſunt; alijs ſunt amara: ergo nõ habent dulcedinẽ, ſeu amaritudinẽ à ſe; ſed à guſtu. Reſpondeo, res habere ex ſe certũ, & determinatũ ſaporẽ; contingit tamen aliquando, quod pro diuerſa organi diſpoſitione, vna & eadẽ res alijs dulcis, amara alijs appareat: ſicut vna & eadẽ imago nonnullis pulchra; fœda alijs apparere ſolet, cũ ipſa ex ſe pulchritudinem, aut fœditatem habeat, & non à viſu.

SECTIO IIII.

De Potentia tactiua, ſeu tactu.

88 Potentia tactiua eſt perceptiua caloris, frigoris, humiditatis, & ſiccitatis, impulſus; cuiuſuis doloriferæ qualitatis. Id conſtat experiẽtiã, & ab omnibus

ad-

admittitur; licet nonnulli putent, qualitatẽ doloriferã non eſſe quid diſtinctũ à primis qualitatibus, quia dolor conſiſtit in diſtẽperie primarũ qualitatũ, atque adeo dũ dolor percipitur, nihil aliud ſentitur, niſi ex ſuperãtia alicuius qualitatis ſupra illud, quod exigit naturale tẽperamentum viuentis. Cæterũ, ſi dũ dolorẽ ſentimus, aliquid aliud percipimus præter exſuperantiam alicuius qualitatis: ergo qualitas dolorifera aliquid eſt diſtinctũ à primis qualitatibus.

89 Aliqui addunt, aſperitatẽ, & læuitatẽ; duritiẽ, & mollitiem; grauitatẽ, & leuitatẽ pertinere ad obiectũ propriũ huius potẽtię. Sed immeritò: quia grauitas, & leuitas eatenùs percipiuntur, quatenus impulſum imprimunt, illa ſurſum, & hæc deorſum: vnde, ſi taliter attinguntur, vt nullũ imprimãt impulſum, nullatenus diſcernitur tactu, an corpus graue ſit, an leue? ergo ideò eſt, quia ſolus impulſus percipitur; nõ vero grauitas, aut leuitas. Deinde durũ, & molle non aliter diſcernuntur, niſi quia dũ manu tãgitur corpus, aliquando facile cedit, aliquãdo reſiſtit, vnde ſi manu non premãtur, neque durities percipitur, neque mollities: ergo ſolũ percipitur impulſus impreſſus à corpore reſiſtẽte, vel motus corporis cedentis.

90 Denique aſperitas, & læuitas reducuntur ad ſenſibile cõmune; quia in eo ſolũ cõſiſtunt, quod taliter diſponãtur partes corporis, vt vel omnes ſint æquales, vel aliæ alijs eminentiores: atqui hic eſt effectus extenſionis, & præſentiæ; per quam conſtituuntur in loco: ergo, dũ mollities aut durities tactu percipiũtur, nihil aliud percipitur, niſi talis præſentia, aut talis extẽſio corporis in loco: atqui hoc pertinet ad ſenſibile cõmune: ergo nullũ ex prædictis pertinet ad obiectum proprium tactus.

91 Hæc potẽtia eſt diffuſa per totũ corpus, & reſidet in cute, carne, venis, neruis, & membranis, vt experientiã cõſtat. Neq; ſenſatio, quæ in carne, & cute exercetur, põteſt tribui ſolũ neruiculis per totũ corpus diffuſis, quia nonnullæ ſunt partes neruis prorſus deſtitutæ, vt ſunt cor, iecur; & tamẽ perfectã ſenſationẽ eliciunt. De oſſibus putant aliqui, nullam ſenſationem elicere. Contrariam ſententiam amplector: quia dolor, quẽ ſæpius in oſſibus [illegible], non videtur, qua [illegible] poſſit ſemper tribui [illegible] neruis vicinis; ergo [illegible] da eſt oſſibus ſenſatio: [illegible] tamen adeo perfecta, ac in neruis, carne, &c. quia ſiccitas, & frigus, quæ vigẽt in oſſibus, non adeo apta ſunt ad ſenſationẽ.

92 Obiectũ huius potentię non percipitur ab illa, niſi viuens phyſice ipſum obiectum contingat. Nec propterea dici poteſt non indigere ſpecie impreſſã ad eliciendã ſenſationẽ: quia, cũ obiectũ nõ applicetur intentionaliter potẽtię per ſolũ phyſicũ contactũ, admittẽda eſt ſpecies, cuius eſt obiectũ præſentare potẽtiæ iuxta ſæpe dicta in ſuperioribus. Eſt tamẽ difficultas: an vltra potentiam ipſam

detur

detur aliquod aliud medium, hoc eſt, corpus mediū inter obiectū, & potentiam, per quod ſpecies ad ſenſationem requiſitæ traijciantur. Pro cuius enodatione.

93 Noto 1. duplex eſſe medium: internum vnum, quod, videlicet, eſt continuum cum organo ſenſus, vt eſt caro ſpongioſa linguæ reſpectu guſtus: externum alterum, quod, ſcilicet, non eſt continuum cum organo, vt aer reſpectu viſus. Noto 2. medium tam internum, quam externum aut eſſe purè medium, aut non purè medium. Pure mediū dicitur illud, per quod ita traijciuntur ſpecies vt neque ſimul habeant rationem potentiæ, neque rationem obiecti: talis eſt aer reſpectu viſus. Nō pure medium dicitur illud, per quod ita tranſmittuntur ſpecies, vt ſimul habeat rationem potentiæ, aut rationem obiecti. His poſitis.

94 Certum eſt 1. tactum non indigere medio externo, aut interno, quod ſit pure mediū: quia manus aquæ frigidæ contigua percipit eius frigiditatem: ſed nihil eſt ex parte manus, quod non habeat rationem potentiæ tactiuæ, vt conſtat ex dictis; neque ex parte aquæ quod non habeat rationem obiecti tangibilis, ſiquidem totum, quod attingitur ex parte aquæ eſt humidum & frigidum: ergo inter manum, & aquam, non datur aliquid, quod ſit pure medium, ac perconſequens tactus non indiget puro medio interno, aut externo ad ſenſationem. Imo & arbitror, non poſſe illum habere: quia, vt experientiâ conſtat, ſi intercedat aliquid, quod neque rationem potentiæ, neque rationem obiecti habeat, nullatenus tactus eliciet ſenſationē: & propterea exiſtimo, hūc ſenſum abſolutè appellatum eſſe *tactum*, quia videlicet, indiget contactu phyſico ſui organi & obiecti ad eliciendam ſenſationem.

95 Certum eſt 2. tactum per ſe indigere medio tam interno, quam externo, quod non ſit purè mediū. Probatur de medio externo: nam obiectum tangibile nō eſt ſenſibile ratione vltimæ ſuperficiei tantū; ſed etiam ratione partium profundarum, tum quia calor ſuperficiei eſt modus caloris exiſtentis in partibus profundis, & nunquam ſentitur modus ſine re, cuius eſt modus; tum quia quo plures partes profundas habet corpus calidum, v. gr. plus caloris percipit tactus in primo inſtanti approximationis, quod ſane non ita contingeret, ſi ſola ſuperficies vltima ſentiretur cum hæc eadem ſit, ſiue illi ſuccedant plures, ſiue pauciores partes profundæ. Hinc ſic argumentor: calor iſte profundus habet duas medietates, vnam propinquam; alteram minus propinquam manui, ſicut pars profunda corporis, cui inheret eiuſmodi calor: ergo inter manum, & calorem partis minus propinquæ mediat pars propinqua corporis calidi, per quam alia minus propinqua ſuam ſpeciem mittit ad potentiam: ergo tactus, vt ſuū obie-

obiectum percipiat, indiget medio externo, quod ſimul ſit obiectum.

96 Dices, omnes partes profundas caloris concurrere per concurſum indiuiſibilem vel cum potentia ad producendam ſenſationem immediate, vel ſe ſolis ad producendam ſpeciem indiuiſibiliter ipſas repræſentantem, quæ ſimul cum potentia producat ſenſationem indiuiſibilem ipſarum. Sed contrà: ſenſationem non poſſunt immediate producere cum potentia, quia prius debent producere ſpeciem intentionalem intentionaliter applicantem obiectum potentiæ iuxta dicta diſp. 7. ſect. 3. deinde neque ſpeciem ſui poſſunt indiuiſibiliter producere iuxta dicta ibidem ſect. 5. atque adeo neceſſarium eſt, quod ſpeciem diuiſibilem producant, cuius partes ſingulæ & à ſingulis partibus obiecti procedant, & ſingulas partes ipſius obiecti repræſentent, Hinc eſt, quod partes minus propinquæ caloris debeant ſpeciem ſui producere in parte calidi propinqua potẽtiæ, vt ſic poſſint eam producere in ipſa potẽtia, quia non poſſunt agere in potentia diſtante, quin agant in ſubiecto intermedio propinquiori.

97 Neque poſſunt partes caloris diſtantes applicari potentiæ medijs partibus proximioribus ipſius caloris ad hoc, vt ſpeciem ſui in ipſa potẽtia producãt abſq; eo, quod eã produxerint in medio intermedio, quia, cum partes propinquæ caloris neque concurrant ad ſpeciem eandem, ac partes remotiores, neque ad ſpeciem, quæ nõ poſsit produci ſine ſpecie partium remotiorum, non cenſentur ita conſtituere omnes vnũ agens, vt remotiores cenſeantur applicari medijs proximioribus ad producendam ſuam ſpeciem in potẽtia diſtanti iuxta dicta in libr. de Gener.

98 Iam, quod tactus per ſe indigeat medio interno, quod non ſit pure medium; ſed ſimul etiam potentia tactiua, facile probatur: quia potentia tactiua non ſolum reſidet in vltimâ ſuperficie contiguâ obiecto tangibili, calido v. gr. ſed etiam in parte profunda; cuius vna medietas eſt propinquior obiecto, & altera remotior: ergo ad hoc, vt obiectum producat ſpeciem ſui in parte potentiæ remotiori, debet eam producere in parte propinquiori, ne agat in diſtãs; quin agat in propinquum: ergo iam ea pars potentiæ, quæ eſt propinquior obiecto, eſt medium, per quod ipſum obiectum traijcit ſpeciem ſui ad partem remotiorem talis potentiæ, ac per conſequens hæc potentia per ſe habet medium internum, quod ſit etiam potentia. Huc faciunt, quæ dicta ſunt duobus numeris præcedentibus.

Examinantur conditiones obiecti tangibilis.

99 Nonnullæ conditiones aſſignari ſolent, ſine quibus obiectum tangibile nequeat percipi per tactum, quas oportet

exa-

examinare. Prima conditio dicitur à nonnullis eſſe, *quod qualitas tangibilis non ſit in organo inhærens; ſed in ſubiecto ipſi organo cõtiguo*. Hæc tamen conditio admittenda non eſt: quia qualitas dolorifera ſentitur ab ea parte, in qua inhæret: deinde calor intenſus productus ab igne in manu percipitur ab ipſa manu remoto igne, vt experientia quotidiana oſtendit: cur ergo non dicemus, tactum percipere qualitatem ipſi inhærentem?

100 Dices, has qualitates non ſentiri à partibus in quibus inhærent; ſed à vicinis: quia hæc potentia ex eo dicitur tactus, quòd debet tangere ſubiectum, in quo eſt qualitas tangibilis: at contactus non datur niſi inter entitates diſtinctas. Sed contrà: ſi hæc ratio aliquid probaret, conuinceret quidem, qualitatem inhærentem in manu non poſſe percipi à parte vicina, quia hæc eſt illi continua, & contactus non datur inter partes continuas; ſed inter contiguas tantum: cum illa dicantur tangi apud Ariſt. quorum *vltima*, hoc eſt, indiuiſibilia terminatiua, *ſunt ſimul*; vltima autem continuorum non dicuntur eſſe ſimul; ſed vnum. Hæc autem potentia dicitur *tactus*, non quia nullam ſenſationem eliciat, niſi prius tangat obiectum per verum, & proprium contactum; ſed ſolùm quia circa qualitatem exiſtentem in ſubiecto extraneo non elicit ſenſationem niſi tale ſubiectum contingat: imo aliqua ſunt obiecta, quæ non percipit, niſi illi inhæreant, vt impulſus, qui non percipitur, niſi ab ea parte, in qua imprimitur.

101 Obijcies: qualitas inhærens organo eſt diſpoſitio ad potentiam & actum tangendi: ergo non poteſt eſſe obiectum. Conſequentia videtur bona: quia, ſi eſt diſpoſitio ad potentiam, pertinebit ad illius conſtitutionem: atqui obiectum non pertinet ad cõſtitutionem potentiæ ſenſitiuæ: ergo non poteſt eſſe obiectum illius: Concedo primum antecedens, ſi ſermo ſit de qualitatibus conſtituentibus naturale temperamentum ipſius potentiæ. Inde tamen non infertur, qualitates aduenientes potentiæ vltra ipſius temperamentum, quales ſunt impulſus, doloriferæ qualitates, intenſus calor, frigus, &c. non poſſe eſſe obiectum huius potentiæ, cum hæ non pertineant ad conſtitutionem talis potentiæ.

102 Addo, ſentiri etiam qualitates pertinentes ad naturale temperamentum ipſius potentiæ: quia, licèt hæ ſint conditiones per ſe requiſitæ ad ſenſationem; imo & ad exiſtentiam ipſius potentiæ; non tamen ſunt de conceptu formali, aut eſſentiali talis potentiæ, cum hæ formaliter coaleſcat ſolum ex materia, & anima vnitis, vt conſtat ex dictis diſp. 6. ſect. 2. licet ergo potentia ſenſitiua nõ poſſit percipere ea, quæ ſunt de conceptu formali illius, quia hoc quod eſt, reflectere ſupra ſe ipſam, aut ſuos actu-

Digitized by Google

tactus excedit perfectionem potentiæ ſenſitiuæ; tamẽ nulla eſt ratio propter quã non poſsit percipere ea, quæ ad naturale temperamẽtum, & diſpoſitionẽ illius ſpectant, ſi hæc ſecundum ſe contineantur intra latitudinem obiecti talis potentiæ, vt cõtingit in præſenti, quia qualitates conſtituentes naturale temperamentum potentiæ tactiuæ ſunt eiuſdem ſpeciei cum alijs qualitatibus tangibilibus. Id confirmari poteſt ex potentia viſiua, ad cuius naturalem diſpoſitionem pertinet talis figura, ac talis diſpoſitio partium; & nihilominus hæc percipitur ab ipſo viſu per reflexionem in ſpeculo factam: cur ergo non dicemus ſentiri à tactu eas qualitates, quæ ad naturalem eius diſpoſitionem ſpectant? An vero tales qualitates debeant percipi per ſpeciem impreſſam in potentia? Conſtat ex dictis diſp. 7. num. 43.

103 Secunda conditio, quam nõ pauci, ex authoribus requirunt eſt. *quod obiectum tangibile, antequam ſpeciem intentionalem ſui producat in potentia tactiua, debeat iſtam phyſice immutare per productionem alicuius qualitatis phyſicæ.* Ex. gr. vt calidum percipiatur à tactu, eſt neceſſarium, quod in ſenſorio producat aliquem gradum caloris, vt poſteà ſuccedat productio ſpeciei intentionalis determinãtis potentiam ad ſenſationem.

104 Hæc conditio abſque vllo prorſus fundamento exigitur. Eam impugno 1. quia in inſtanti, in quo ingens ignis applicatur manui, ſentit magnum calorem, & tamen in eo inſtanti non producitur magnus calor in manu: ergo ad hoc, vt manus ſentiat calorem ignis applicati, non eſt neceſſarium, quod prius calefiat ab illo. Dices, in eo inſtanti produci in manu aliquem ſaltem gradum caloris, & hoc ſufficere, vt ipſa manus percipiat totam intenſionem caloris exiſtentem in igne. Sed contrà: gradus ſuperiores caloris exiſtentes in igne percipiuntur, quin alios ſibi ſimiles in manu producant: ergo & primus gradus poterit percipi, etiamſi non producat alium ſibi ſimilem in manu.

105 Secundò: vel ea productio eſt conditio requiſita ex parte obiecti ad producendam ſpeciem ſui; vel ex parte potentiæ ad recipiendam ipſam ſpeciem: Non ex parte obiecti; quia, quum partes ſubiecti calidi habent æqualem calorem, pars remotior traijcit ſpeciem ſui ad potentiam per partem propinquiorem, quin in hac aliquid caloris producat, cum non poſſit agere in ſibi ſimile: ergò idem poterit facere in potentiam. Deinde non ex parte ipſius potentiæ; tum quia, ſicut pars calidi propinquior ipſi potentiæ recipit ſpeciem partis remotioris, quin præuium calorem ab ea recipiat, ita etiam potentia poterit recipere ſpeciem to-

tius

tius calidi, quin prævium calorem ab eo recipiat: ergo nullatenus requiritur productio caloris prævia ad productionem ſpeciei.

106 Obijcies: experientiâ cõſtat, tangentibus ſe quantitatiuè manu, & obiecto calido ſenſationẽ tactus fieri maiorem tempore procedente: ergo cum primùm factus eſt contractus quantitatiuus, neque eſt producta ſpecies, neque elicita ſenſatio caloris in totâ ſuâ intenſione. Patet conſequentia: quia, ſi in tota ſua intenſione eſſet elicita, nõ augeretur poſteà. Diſtinguo antecedens: procedẽte tempore fit maior ſenſatio caloris exiſtentis in calido contiguo, nego; fit maior ſenſatio caloris exiſtentis in manu, concedo antecedens: quia, cum ſucceſsiue intẽdatur calor productus in manu, ſucceſsiue percipitur intenſio huius caloris. Et ideo diſtinguo etiã conſequens; in primo contactu neque eſt producta ſpecies, neque elicita integra ſenſatio caloris afficientis manum, concedo; caloris afficientis corpus contiguum manui, nego conſequentiam.

107 Obijcies 2. calor ex primario inſtituto eſt productiuus potius caloris, quam ſpeciei intẽtionalis: ergo in ſubiecto applicato prius producet calorem, quam ſpeciem ſui. Mala argumentatio; quia, ſi calor ex primario inſtituto eſt productiuus caloris, lux etiam ex primario inſtituto erit productiua lucis; & nihilominus poteſt producere ſpeciem in medio, in quo lucem non produxit, quia, vt diximus ſuprà n. 3. poteſt videri per medium obſcurum: ergo etiã ſi calor primario ordinetur ad productionem caloris, poterit producere ſpeciem in ſubiecto, in quo non produxit calorem. Deinde, adhuc quando partes ſubiecti ſunt æquè calidæ, pars remotior calidi traijcit ſpeciem ad potentiam per propinquiorem, & tamẽ tunc nihil caloris producit in ea parte cum non poſsit agere in ſimili: ergo productio ſpeciei intẽtionalis in aliquo ſubiecto non debet ſupponere productionem phyſicam caloris in eodem ſubiecto.

108 Ad obiectionem ergo in primis nego antecedens; neque enim vlla eſt ratio, quæ probet, calorẽ primariò ordinari ad productionem alterius caloris, & ſecundariò ad productionem ſpeciei; ſed æque primo ordinabitur ad vtrunque tanquam ad effectus omnino diſparatos, cum nullum ſit indicium, ex quo colligi poſsit ſubordinatio aliqua inter illos. Secundò: dato, quod calor primariò ordinetur ad productionem caloris, neganda eſt conſequentia: quia is primatus non eſſet deſumendus ex eo, quod priùs naturâ producendus eſſet calor, quàm ſpecies; ſed ex eo, quod præcipuè eſſet à natura datus in ordine ad producendum alium calorem; & minus præcipue ad producendam ſpeciem: ad eum modum, quo lux non eſt primario ordinata ad productionem lucis ex eo, quod debeat eam priùs naturâ producere,

Digitized by Google

re, quàm ſpeciem intentionalem ſui; ſed ſolum ex eo, quod præcipuè ſit poſita ad illum effectum, & minus præcipuè ad hunc.

109 Tertia conditio, quæ cõmuniter circumfertur, eſt, quod tactus non ſentiat, niſi exuperantias qualitatũ, hoc eſt, qualitates ſecundũ eos gradus, quibus obiectum applicatũ ſuperat qualitatẽ exiſtentẽ in organo tactus. Ita P. Rub. hic q. 4. cum multis, & credi tur eſſe ſententia Ariſt. hic c. 11. tex. 118. Oppoſitũ tamen tenendum eſt cũ multis recentioribus. Itaque potentia tactiua habens quatuor gradus caloris, v. g. non ſolum ſentit obiectum calidum vt quinque, ſeu ſex, &c. ſed etiã calidum vt quatuor, imô & vt duo, & vt vnum.

110 Probatur quia obiectum ſecundũ omnes ſuas partes calidum ut quatuor, applicatũ potẽtiæ calidæ etiam vt quatuor producit in ea ſpeciẽ intentionalem ſui: hâc poſitâ in potentia, habet ipſa potentia omnia requiſita ad ſenſationem illius obiecti: cur ergo eam nõ eliciet? Maior probatur: quia ad hoc, vt partes remotiores calidi vt quatuor traijciãt ſuam ſpeciẽ ad potentiã calidam vt duo, debent eam producere in partib⁹ eiuſdẽ calidi propinquioribus tali potentiæ, vt conſtat ex ſuperius dictis in hac ſectione: ergo, cum eæ partes calidi habeant æqualẽ intẽſionẽ, vt ſupponimus, neceſſariũ eſt, quod vna pars producat ſpeciẽ ſui in parte habente æqualem intenſionẽ: ergo eodem modo producet ſuã ſpeciẽ in potentia habente æqualẽ intenſionẽ. Patet conſequentia: quia ſi propter aliquã rationẽ non poſſet talem ſpeciẽ producere in potẽtia, maximè, quia habet æqualẽ intenſionẽ: ergo, cum hoc non obſtet, vt probatum eſt, eam producet.

111 Iam, quod, ſpecie poſitâ, habeat potentia omnia requiſita ad eliciendã ſenſationẽ illius obiecti, probatur: quia potentia rectè diſpoſita per propriũ tẽperamentũ non eſt cẽſenda indigere aliquo alio præter ſpeciẽ ſui obiecti ad illud percipiendũ, niſi oppoſitũ certo conſtet, quia, cum firmatum ſit apud philoſophos, quod *ex obiecto & potentia paritur notitia*, non eſt addenda noua cauſa, aut noua cõditio, niſi ratio, aut experientia cogat ad illã admittendã: atqui potẽtia calida vt quatuor (ponamus, hoc eſſe proprium, & cõnaturale temperamẽtum ipſius potentiæ) eſt rectè diſpoſita per cõnaturale tẽperamentum ex vnâ parte; & ex aliâ nihil eſt, quod nos cogat ad admittendam præter ſpeciẽ obiecti aliam cauſam, aut conditionẽ vt neceſſariam ad eliciendã ſenſationem: ergo, hâc poſitâ, elicietur ſenſatio tactus circa tale obiectum. Cum autem probatum ſit, ſpeciẽ produci ab obiecto habente æqualem intenſionẽ cum potẽtia, euincitur, potentiam poſſe percipere obiectũ æquè intenſum, & idẽ debet eſſe de obiecto minus intenſo.

112 Obijcies 1. organum potẽtiæ ſenſitiuæ debet eſſe realiter

Q diſsi-

diſsimile obiecto, vt illud percipiat ipſa potentia: ergo, ſi in potentia datur æqualis intenſio, ac in obiecto, non percipiet illud, cũ ſint omnino ſimilia. Antecedens probatur à paritate viſus, qui, ſi habeat in ſe colorẽ, nullũ colorẽ percipiet; & propterea dictum eſt *Intus exiſtens probibet extraneũ.* Nego primum antecedens, ſi vniuerſaliter extendatur ad omnes ſenſus. Ad probationẽ reſpõdeo, id eſſe propriũ, & peculiare viſus, & non reſpectu omniũ obiectorũ, quia videt lumẽ exteriùs exiſtens, etiamſi ipſe æquali lumine perfuſus ſit, vt experientiâ conſtat; & ideo id habet viſus reſpectu coloris tantũ. Neque id oritur ex ſimilitudine, quia viſus habens colorem non ſolùm non videret alium ſimilem; ſed neq; alium diſsimilẽ colorẽ. Ex eo ergo id oritur, quod diſpoſitio requiſita ad colorẽ, vtpotè inuoluens aliquã opacitatẽ, eſt oppoſita diſpoſitioni requiſitę in potentia viſiua ad eliciendam viſionẽ, & ideo illa diſpoſitio vel deſtruit hanc, vel ſaltẽ taliter imminuit, vt nõ permittat elici perfectam viſionem aliorũ obiectorum, ſiue ſimilia ſint, ſiue diſsimilia, & in hoc ſenſu, ac non in alio eſt verum, quôd *intus exiſtens prohibet extraneum.*

113 Obijcies 2. ſi tactus perciperet qualitates æque, aut minus intenſas, eſſemus ſemper in cõtinua ſenſatione, cũ nulla pars ſit in viuente, quæ non habeat ſibi proximã alteram æqualis, vel minoris intenſionis alicuius qualitatis: atqui hoc videtur non eſſe admittendũ. ergo neq; illud. Hęc ratio æquè militat contra authores oppoſitæ ſententiæ, aſſerẽtes, tactum percipere qualitates excellentes exiſtẽtes in ſubiecto ſibi continuo: quia in viuẽte ſunt aliquæ partes, in quib⁹ viget frigus, & alię in quib⁹ calor: ergo ſaltẽ hę partes ſentient continuo qualitates excellẽtes in partibus vicinis.

114 Reſpondeo ergo, omnes partes eſſe in cõtinua ſenſatione; eam tamẽ nõ facile diſcerni: tum quia, cum tactus ſit potentia imperfecta, imperfectã ſenſationem elicit, niſi obiectũ propter nimiã intenſionem intenſam ſui ſpeciem producat in potentia: tum etiam quia ſenſus cõmunis, ad quẽ pertinet diſcernere inter obiecta ſenſuum externorũ, & eorum ſenſationes, diſtractus in plura parum intendit ad ſenſationes potentiæ tactiuæ, quæ & propter ſui imperfectionem, & propter cõſuetudinem, difficile ad ſe aduocant attentionem ſenſus communis, quia *ab aſſuetis non fit paſsio.* Ariſt. autem, dum inſinuat, tactũ non percipere niſi excellẽtias qualitatũ, manifeſte loquitur de ſenſatione diſcretiuã, hoc eſt, quę ſufficiat ad hoc, vt ſenſus internus illã diſcernat ab alijs ſenſationibus.

115 Hic eſt difficultas: an in animali, cuius anima eſt diuiſibilis, ſint tactus ſpecie diuerſi? Reſpondeo affirmatiuè iuxta ea, quę diximus ſuprà diſp. 3. n. 62. quia vna pars eſt perceptiua alicuius obiecti, quod ab alia non poteſt

per-

percipi, neque enim potentia tactiua manus poteſt ſentire dolorē ortum ex fame & ſiti, quem quidē percipit potentia tactiua ſtomachi, &c. deinde diuerſum temperamentū exigunt ad ſuas ſenſationes obeundas: cur ergo non dicemus, diſtingui ſpecie? Hæ tamen ſpecies erunt inadæquatæ, quia ordinantur ad vnum animal componendum. Vide, quæ diximus loco citato circa diſtinctionem ſpecificam partium animæ.

DISPVTATIO XI.

De Senſu interno, & Appetitu ſenſitiuo.

1 Certū eſt, præter ſenſus externos dari alios, ſiue aliū internum, cuius muneris ſit diſcernere inter obiecta, & ſenſationes ſenſuum externorū, ac recordari eorum, quæ antea per externos ſenſus percepta fuerant: quia canis memor beneficiorū, quæ à Domino accepit, illi cauda blāditur, & catulos quærit in loco, vbi eos antea reliquit: atqui res præteritæ, ſeu abſentes non percipiuntur ſenſibus externis, hi enim ſolū verſantur circa obiecta præſentia: ergo percipiuntur alio ſenſu. Qui quidem dicitur internus, quia in parte interiori, ſeu in centro animalis reſidet: vnde definiri poteſt, *Senſus internus eſt potentia vitalis materialis reſidens in interiori parte animalis vt percepti ua eorum, quæ ſenſibus externis percepta ſunt.*

SECTIO I.

De Operationibus ſenſus interni, & eius organo.

2 Varij numerātur actus ſenſus interni apud philoſophos. Primus eſt ſenſatio obiecti ſenſati per ſenſus externos exiſtētis, & præſentis. & potētia elicitiua huius act⁹ dicitur *Senſus cõmunis*, quia ad illū pertinet attingere obiecta omniū ſenſuū externorū, & inter ea diſcernere. Secūdus eſt ſenſatio obiecti exteriùs ſenſati ſimplicis, & abſentis: & potētia elicitiua huius actus dicitur *Phātaſia*. Tertius eſt ſenſio obiecti exteriùs percepti ſiue præſentis, ſiue abſentis, cõpoſiti tamen ex alijs ſimplicibus; vt, quùm ex mõte, & auro fingitur mons aureus: & potentia elicitiua huius actus dicitur *Imaginatrix*, ſeu *Imaginatiua*. Quartus eſt ſenſio obiecti exterius ſenſati cõmodi, aut nociui; iucūdi, aut iniucūdi ipſi animali: & potētia huius actus elicitiua dicitur *Æſtimatiua*, quia quaſi apprehendit, & æſtimat prætia rerū; & propterea ad hanc potētiā pertinet excitare appetitū ſenſitiuū ad proſecutionē, ſeu amorē boni, & fugam, ſeu odium mali. Quintus eſt ſenſio obiecti exteriùs ſenſati vt conuenientis, non exiſtentis, & præteriti, quę ſenſio dicitur recordatio: & facultas eam eliciens dicitur *Memoria ſenſitiua*.

3 In homine verò datur ſenſio circa ſingularia ſenſibilia præſentia comitans intellectū ratiocinātem, ſeu diſcurrentē circa eadem: & facultas elicitiua huius ſenſionis

nis dicitur *Cogitatiua*. Deinde datur alius actus circa ſingularia ſenſibilia præterita comitans intellectum illorum recordantem: & potentia effectiua huius dicitur *Reminiſcentia.*

4. Circa organum ſenſus interni eſt magna controuerſia inter Ariſt. & Galenum: ille enim lib. 2. de Gen. anim. cap. 4. & lib. 5. c. 3. lib. 3. de Part. anim. cap. 3. & lib. 4. de Iuuēt. & ſeneſt. c. 1. & lib. 2. de Somn. & vigil. c. 2. affirmat, eſſe in corde, cui conſentiunt Comment. Auic. & Iand. adducti à P. Rub. infra. Probat Ariſt. quia ſenſus internus non poteſt eſſe in cerebro: ergo debet eſſe in corde. Conſequentia videtur bona, quia in vna ex iſtis duabus partibus, vt potè præcipuis inter reliquas debet eſſe. Antecedens probat: tum quia cerebrū eſt diſcontinuū à reliquis partibus corporis, atque adeò, ſi in cerebro eſſet iſte ſenſus, non poſſet deſeruire ad gubernationē, & directionē reliquarum partium: tum etiā quia eſt frigidiſſimum, & valde humidū, ac percōſequens ineptum ad operationes ſenſus interni, & cōſeruandas ſpecies rerum perceptarū. Secundò: quia cor eſt in centro corporis, & pars præcipua inter omnes, quæ primò viuit, & mouetur, & à quâ tota virtus animę deriuatur in reliquas partes: ergo in eo debet eſſe ſenſus internus. Adde, appetitū ſenſitiuū, qui proximè mouetur à ſenſu interno, eſſe in corde (vt oſtendunt paſſiones iræ, amoris, & odij, quę in corde fieri videtur, & ſunt actus appetitus) ac percōſequens in corde etiā debet eſſe ſenſus internus: alioqui, ſi in cerebro eſſet, non poſſet tam longè diſſitus appetitum mouere.

5 Galen. verò lib. 8. de Vſu partium c. 3. & 4. & lib. 7. de Decretis docet, ſenſum internū reſidere in cerebro. Illi ſubſcribūt S. Tho. 3. p. q. 8. art. 1. & 66. & q. 66. ar. 7. ad 3. Albert. P. Tolet. PP. Conim. quos ſequitur P. Rub. hic q. 7. & hæc ſententia mihi placet. Probatur 1. quia in ea parte debet eſſe ſenſus internus, ad quā ex omnibus ſenſibus externis deriuātur nerui, per quos ſpecies rerum exteriùs ſenſatarū deferantur, vt ſenſus internus inter res ipſas diſcernat: ſed tales nerui protēduntur ad cerebrū ex omnibus ſenſibus externis, vt conſtat ex anatome: ergo in eo debet reſidere ſenſus internus. Secundò; quia læſio in capite impedit ſenſationē ſenſus interni, illæſo corde, vt experientiâ conſtat: deinde diuturna attentione ſenſus interni ad obiecta defatigatur caput, & non cor: præterea rerum imagines, phantaſmata, & ſomnia fiunt in cerebro, vt experientia conſtat, vnde Dan. 2. dictum eſt Nabucodonoſori, *ſomniū tuum, & viſiones capitis huiuſmodi ſunt, &c.* ergo in cerebro eſt ſine dubio ſenſus internus. Eædem experientiæ oſtendunt, eſſe in anteriori parte cerebri; quia ibi datur defatigatio proueniens ex nimiâ attentione, & ibi fiunt ſomnia, imagines, & phātaſmata.

6 Ad

6 Ad 1. Ariſt. argumentum nego, quod ſenſus internus non poſsit eſſe in cerebro. Ad 1. probationem nego, quod non ſit continuum cum reliquis partibus, quia mediis neruis, & cartilaginibus continuatur cum carne, & reliquis partibus mollibus animalis. Ad 2. probationem fateor, cerebrum eſſe frigidiſsimum, & humidum; id tamen eſt neceſſarium ad ſenſationem: quia ex corde aſcendunt ſpiritus quidam vitales calidiſsimi, qui niſi frigiditate capitis temperarentur, neque apti eſſent ad ſenſationem præ nimio calore, neque conſiſtentiam aliquam haberent ad recipiendas, & retinendas ibi rerum ſpecies, quia facile mobiles propter nimium calorem facile aliò auocarentur. Propterea dicuntur generari in capite ſpiritus animales; quia videlicet ſpiritus vitales illuc emiſſi à corde, admiſsâ aliqua frigiditate, qua nimius eorum calor têperatur, tranſeunt in ſpiritus animales deſeruiêtes ad ſenſationes: cuius non leue indicium eſt, quod ibi ſunt ſenſus externi, ad quorum operationes præcipue cõducunt ſpiritus animales: ſi autem ij deberent eſſe calidiſsimi ad ſenſationes, non eſſent ſenſus in capite, in quo nimium calorem non poſſunt conſeruare ſpiritus illis deſeruientes.

7 Ad 2. reſpondeo, cor dici præcipuam partê inter reliquas, & à quâ virtus animæ deriuatur: quia in eo generantur ſpiritus vitales, qui neceſſarij omnino ſunt ad vegetationê reliquarũ partiũ corporis, quia nimio calore ſuo illas fouent, & alimentũ diſponũt ad conuerſionê: præterea ex his proxime generantur ſpiritus animales, ſine quibus non recte fiunt ſenſiones, & ideo dicitur principium vitæ eſſe in corde, & ipſum primo viuere, nõ verò quia ipſum prius tempore informetur animâ, vt conſtat ex dictis in lib. de Gen. Ad id, quod additur, reſpondeo, appetitũ non eſſe in corde, vt dicemus infra. Quod verò ex paſsionibus iræ, amoris, &c. cõmoueatur cor, oritur ex ſympatia, quam humores corporis habent cũ affectibus appetitus, ratione cuius ſanguis, exiſtente actu timoris, concurrit ad cor, exiſtente affectu iræ, ibi ebullit, &c. nec inde licet inferrê eſſe in corde eos actus, ſeu affectus: quia, exiſtête affectu verecundiæ, cõcurrit ſanguis ad faciê, & tamê inde nõ licet inferre, affectum verecundiæ eſſe in facie.

SECTIO II.

Quotuplex ſit ſenſus internus.

8 QVinque munera, ſeu operationes ſenſus interni recêſuimus ſect. præced. quib⁹ duas alias annumerauimus proprias hominis. Inueſtigandũ modo: an hæ operationes pertineant ad potentias realiter diſtinctas, vel vna ſolùm, quæ pro diuerſis muneribus diuerſa nomina ſortiatur, eas omnes eliciat? Et certũ eſt apud omnes, Cogitatiuã, & Reminiſcentiã in homine non diſtingui ab Æſtimatiua, & Memoria; ſed Æſtimatiuam dici Cogitatiuã ex co..ſiũ,

quod intellectum comitatur, dum circa res præſentes ratiocinatur, & memoriã dici reminiſcentiam, quia ſpecies miniſtrat, ſeu excitat in intellectu, dum rerum præteritarum reminiſcitur.

9 Circa reliquas variæ ſunt Doctorum opiniones. Alij enim aſſerunt, quinq; enumeratas operationes pertinere ad tot alias potentias realiter diſtinctas eo modo, quo ſect. præcedente enumeratæ ſunt. Pro hac ſententia refertur Auicen. lib. 6. Natur. p. 4. cap. 2. Alij dicunt, eſſe solũ quatuor realiter diſtinctas, quia imaginatiuã non diſtinguunt à phantaſia. Ita Comment. lib. 3. de An. comm. 6. Caiet. Bañ. in 1 p. q. 78 art. 4. & refertur S. Tho. ibi. Alij dicunt, eſſe tantũ tres potentias, nempè ſenſum cõmunem (ad quẽ reuocant phantaſiam, & imaginatiuam) æſtimatiuã, & memoriam. Ita Galen. cui ſubſcribit Valles, lib. 2. cont. Med. cap. 22. & 23. cum quibus cõuenit P. Tolet. quoad numerum trium potentiarum; phantaſiã verò, & imaginatiuam reuocat ad æſtimatiuam, non ad ſenſum communem. Alij denique duas ſolùm diſtinguunt, nempè ſenſum cõmunem (ad quem reducunt imaginatiuã) & phantaſiam (cum qua dicunt identificari æſtimatiuam, & memoriam.) Ita P. Fonſec. 5. Met. cap. 28. q. 7. ſect. 4. & PP. Conimb. 3. lib. de An. c. 3. q. 1. ar. 3.

10 Dicendũ tamen eſt, vnicũ tantum eſſe ſenſum internum, cui omnes prælatæ operationes reſpõdent ſub diuerſis denominationibus pro diuerſitate operationũ. Ita P. Rub. hic q. 1. & P. Hurt. diſp. 17. de An. ſect. 7. & 8. & P. Arriag. diſp. 5. ſect. 4. & eſt communis hæc ſententia inter noſtros recentiores. Probatur 1. quia, ſi propter aliquã rationem tot illæ potentiæ diſtinguẽdæ eſſent, maxime, quia dantur diuerſi actus; atqui ex hoc non rectè probatur, diſtinguendas eſſe tot potentias: ergo, &c. Minorẽ probo: quia vni, & eidẽ potẽtiæ tactiuæ reſpõdent actus omnino diuerſi, vt ſunt ſenſio primarũ qualitatũ, ſenſio impulſus, & ſenſio qualitatum doloriferarum: ergo vnico ſenſui interno, cum ſit potẽtia longe perfectior tactu, poſſunt reſpondere diuerſæ operationes.

Probatur concluſio de ſenſu communi, & phantaſia ſigillatim.

11 SEcundo probatur ſigillatim de omnibus potentijs, quas authores aliarũ ſentẽtiarũ realiter diſtinguunt: quia in primis eadem potentia, quæ percipit obiecta abſentia, debet percipere præſentia: ergo ſẽſus cõmunis, ad quẽ pertinet ſenſio præſentiũ, & phãtaſia, cuius eſt propria ſenſio abſentiũ, nõ diſtinguuntur realiter. Antecedens probatur: quia, vt phantaſia poſsit res abſentes percipere, eſt neceſſariũ, quod earum ſpecies accipiat, vel à ſenſu externo, vel à ſenſu cõmuni percipiẽtibus res, dum ſunt præſentes; neq; enim phantaſia poteſt ab vllo alio ſpecies obiectorũ recipere, vt ex ſe cõſtat; atqui nõ poteſt phantaſia

ſiâ recipere ſpecies rerũ, quæ ſunt præſentes, quin tunc tēporis eas percipiat: ergo percipit res præſentes. Minor eſt certa, quia poſitâ ſpecie in potētia ſenſitiua, debet dici, ſtatim pullulare ſenſationē, ſi non deficiat aliqua ex conditionibus, quas certo nouimus requiri ad ipſam ſenſationē: atqui nullũ eſt fundamentũ ad aſſerendum, poſitâ ſpecie obiecti in phātaſia rectè diſpoſita, requiri aliam conditionem ad eliciendam ſenſationem: ergo non eſt, cur eam tunc temporis non eliciat.

12 Dices 1. ſenſum cōmunem eſſe ſolũ perceptiuũ rerũ præſentium; phantaſiā verò rerũ præſentium, & abſentiũ, & ideo diſtingui realiter. Sed contrà: nullo alio fundamento ducimur ad ponendũ ſenſum cōmunē, & phantaſiā, niſi quia experientiâ nouimus, bruta percipere obiecta præſentia, & abſentia: ergo, ſi neceſſariũ eſt, quod vnus ex illis vtrunque munus obeat; ſine fundamento additur alius realiter diſtinctus.

13 Dices 2. Senſus communis exigit diuerſum tēperamentũ, ac phantaſia, & ideò debet diſtingui realiter ab illa. Quod autē exigāt diuerſum tēperamentũ, ex eo cōſtat, quod ſenſus communis, cum percipiat res præſētes, debet eſſe facilis in acquirendis ſpeciebus illarũ, ad quod requiritur tēperamentum, in quo excedat humiditas; phantaſia verò, cũ percipiat res abſentes, debet eſſe tenax ſpecierum, ad quod requiritur tēperamentũ, in quo excedat ſiccitas. Et proptereà iuuenes, qui vigent humiditate, facilè acquirunt rerũ ſpecies, & difficile eas retinent; contrà verò ſenes, qui ſiccitate pollēt, difficile ſpecies acquirũt, ſemel tamē admiſſas, diu retinēt, & cōſeruant: atqui vna, & eadem potentia nō poteſt exigere ſimul exceſſum humiditatis, & ſiccitatis: ergo debent aſsignari duæ potentiæ, quarũ vni reſpōdeat intēſa ſiccitas, & alteri intēſa humiditas.

14 Sed contrà: Potentia, quæ eſt facilis in admittēdis ſpeciebus, aliquādo retinet ſpecies: ergo ad eandem potentiam realem debet pertinere, ſpecies admittere, & retinere: ſed vt admittens ſpecies eſt ſenſus cōmunis, vt fateris; &, vt retinens eſt phātaſia, cum tendat in res abſentes: ergo eadē potentia realis eſt ſenſus communis, & phātaſia. Primũ antecedens probatur: quia homines faciles in mādandis memoriæ multis obiectis ea repetunt, & meminere aliquādiù, licèt non diù, poſtquā ea mādarunt: ergo ea potentia, quæ præ humiditate facile admittit ſpecies, eas poſtea conſeruat. Dices conſeruari à phantaſia tales ſpecies. Sed cōtra: phātaſia per te eſt inepta facili receptioni ſpecierũ: atqui in caſu poſito cōſeruātur ſpecies à potētia facili in recipiendo: ergo cōſeruātur ſpecies a potētia diſtincta à phātaſia, quā tu ponis: atqui hæc nulla alia eſt, niſi ſenſus cōmunis: ergo ad illum pertinet admittere ſpecies, & retinere, ac per cōſequens verſari circa obiectum præſens, & abſens.

 15 Ea-

15 Eadem ergo potentia ratione diuerſarũ diſpoſitionum eſt facilis,& difficilis in admittendis ſpeciebus,& in eis conſeruandis: nam ſpecies recipiuntur in ſpiritibus animalibus, & in organo potentię taliter, vt humiditas ſit diſpoſitio idonea ad hoc, vt ſpecies recipiãtur; vnde, ſi organũ ſenſus cõmunis humiditate viget, ſpiritus illud circunſtantes humorem facile induunt,& ideo tàm hi, quã illud ſunt rectè diſpoſita, vt ſpecies recipiant in ea intenſione, quæ ſufficit ad perfecte percipiẽda obiecta præſentia, imò & abſentia toto eo tempore, quo durant ſpecies in eadem intenſione; ſed cum ſpiritus animales prę humiditate ſint valde fluidi; & obnoxij corruptioni, facile aut auocãtur aliò, aut deſinunt in excremẽta, & ideo ſpecies in illis exiſtentes, vel corrumpuntur ex defectu diſpoſitionis, vel ita ſeparãtur ab organo potentiæ, vt non poſsint deſeruire ſenſationi. Et idem eſt de partibus, ex quibus cõflatur organum potentiæ: quia hæ præ humiditate facile tranſeunt in alias ſubſtantias ſeu humores, qui non ſunt apte diſpoſiti ad conſeruandas ſpecies, quas antea habebãt, & ideo, licèt aliæ partes ſuccedant, cum hæ adueniant expertes ſpecierum, breui expoliatur potentia ſpeciebus requiſitis ad repetitionem eorum, quæ antea perceperat, & aliquandiu retinuerat.

16 At verò, quando potentia ſiccitate pollet, facile ſiccitatem comparant ſpiritus animales illi adhęrẽtes, qua male diſponuntur ad receptionem ſpeciérũ, & ideo ita remiſsas eas accipiũt, vt mox ac obiectũ tranſit, è memoria excidat: cæterum cum tam organũ, quã ſpiritus circunſtantes ratione ſiccitatis duritiem aliquam, & ſoliditatem contrahant, difficile tranſeunt in aliam ſubſtantiã, nec inde facile remouentur, quo ſit, vt ſpecies licet initio remiſſæ, frequenti obiecti repetitione diuturnam comparent intenſionem, qua & diu memoria retineat animal, quæ antea percepit; & facile præteritorum meminerit.

17 Aliquando verò contingit ita eſſe diſpoſitũ organum, & ſpiritus animales, vt nõ ſolum res facile percipiantur; ſed etiã ſemel percepta diu retineãtur, ad quod non parum conducit temperatura totius cerebri, præcipuè partium immediatè circunſtantium ſenſum cõmunem, quæ ſæpè maximè conducunt ad conſiſtentiam ſpirituum animalium, & ad eorum & organi diuturnã conſeruationẽ in eodẽ eſſe. Ex dictis facile erit rationẽ aſsignare, cur aliqui certũ genus rerum, vt carmina, &c. facilè memoria teneant, & alia difficilè: id enim, & alia ſimilia referenda ſunt in diſpoſitionẽ tam organi ſenſus interni, quam reliquarum partium cerebri.

18 Obijcies 1. cõtra doctrinam traditam: ſpecies pertinentes ad ſenſum internum ſunt productiuæ aliarum ſibi ſimiliũ, ſicut de ſpeciebus ſenſuum externorum

rum diximus diſp. 7. n. 56. neque enim eſt ratio, cur illæ non producant alias ſibi ſimiles, ſicut hæ: ergo, licèt aliquæ partes organi corrumpantur, & ſpiritus circunſtantes alio deferantur, reliquæ partes ibi permanentes, ſpecies, quas in ſe habent, producent in partibus, & ſpiritibus denuo aduenientibus, & illæ in alijs, & ſic ſpecies ſemel productæ in organo, diu ibi conſeruabuntur. Reſpondeo, eas partes producere ſpecies in partibus denuo aduenientibus; ſed remiſſas: tum quia ſpecies non habent tantam virtutem, quantam obiectum, vel ſenſatio externa illius; tum etiam quia partes denuo aduenientes non ſunt frequenter tam bene diſpoſitæ erga eas ſpecies, ſicut præexiſtentes erant: tum denique quia frequenti applicatione aliorum obiectorum aliæ ibi producuntur intenſiores, quæ rapiunt potentiam ad cognitionem ſuorum obiectorum: & propterea breui excidunt è memoria antiqua obiecta.

19 Obijcies 2. quando obiectum præſens applicatur ſenſui interno, in quo viget ſiccitas, producit ſpeciem ſufficientem adhoc, vt ipſe ſenſus illud bene percipiat: ergo, cum hæc ſpecies diu ibi conſeruetur iuxta dicta, abſente obiecto determinabit etiam potentiam ad bene illud percipiendum. Nego conſequentiam: quia, vt experientiâ conſtat, minor intenſio requiritur in ſpecie ad hoc, vt dum primo producitur, ſeu cõſeruatur ab obiecto, aut à ſenſatione externa præſenti, ſenſum internum determinet ad ſenſationem, quàm vt illud determinet tranſacto obiecto, & ſenſatione externa illius. Quod quidem referendum eſt in naturam ipſarum ſpecierum. Et quidem certum eſt, quòd, licèt ſpecies diu retineantur in memoria, non ſemper illam excitant ad operationem, niſi ab obiecto denuo applicato intendâtur, vel ab alio, cum quo habeant connexionem excitentur: ergo ex eo, quod obiecto præſente ſenſum determinent ad operationem, nõ bene infertur, quod, ſi intenſio earum non augeatur, poſsint eodem abſente, potentiam determinare. Ex dictis pro ſenſu communi, & phantaſia facile deducitur æſtimatiuam, & memoriam non diſtingui realiter inter ſe, cum earum operationes eo ſolùm modò differant inter ſe, quo inter ſe differunt operationes ſenſus communis, & phantaſiæ.

Phantaſia eſt idem realiter cum imaginatiua.

20 DIco 2. Phantaſia non eſt potentia realiter diſtincta ab imaginatiua. Probatur: nam, ſi diſtinguerentur, maximè, quia illa attingit res ſimplices, vt, montem, & aurum; hæc vero aliquid compoſitum ex ſimplicibus, nempe montem aureum: atqui imaginatiua vel non percipit res compoſitas ex ſimplicibus; vel, ſi percipit debet etiam per-

percipere ſimplicia, ex quibus componuntur: ergo non eſt, cur diſtinguatur à phantaſia. Minor probatur quoad primam partem: quia illam compoſitionem debe-ret percipere vel per ſpecies acceptas à ſenſibus externis; vel per ſpecies productas ab ipſa imaginatiua: non per ſpecies à ſenſibus acceptas, quia vt fatentur omnes, hæ nulla alia obiecta externa repræſentant, niſi ea, quæ repræſentata ſunt ſenſibus externis, quibus ſolum repræſentantur obiecta ſimplicia abſque compoſitione ſuprà adductâ; neque per ſpecies productas à potētia, quia nulli potentiæ cognoſcitiuæ datū eſt, quod immediatè producat in ſe ſpecies non acceptas â ſenſibus illi ſubordinatis; & propterea intellectus vtitur diſcurſu ad percipienda ea, quorum ſpecies nō accepit à ſenſibus: ergo, cum imaginatiua ſit multo imperfectior intellectu, non poterit immediatè producere in ſe ſpecies non acceptas à ſenſibus: &, cum ſit ita imperfecta, vt non poſſit vti diſcurſu, vt infra dicemus, nullatenus poterit percipere cōpoſitionem, cuius ſpeciem non accepit à ſenſibus.

21 Iam, quod, ſi percipit talē cōpoſitionem debet etiam percipere res ſimplices, ex quibus coaleſcit ipſum compoſitum, facile probatur: quia imaginatiua nō poteſt tertiū aliquod ex ſimplicibus componere, niſi adiuta vel ſpecie aliquâ immediate repræſentante ipſam compoſitionem, vel ſpeciebus ipſorum ſimplicium: atquì nō habet ſpeciem repræſentantē immediatè compoſitionem, vt probatum eſt. n. præcedente: Deinde, ſi adiuuetur ſpeciebus ſimplicium, ab illis determinabitur ad eorundem cognitionem; neque enim eſt, cur, ſi ſint in ipſa potentia, illam non determinent ad cognitionem ſuorum obiectorum eo modo, quo repræſentantur ab illis: ergo non ſolum attinget cōpoſitum ex ſimplicibus reſultans; ſed etiam ipſa ſimplicia.

22 Confirmatur: quia intellectus non componit hominem ex animali, & rationali per ſpecies animalis, & rationalis, niſi prius ſeorſim apprehendat ipſum animal, & ipſum rationale, vt fatentur omnes: ergo neque imaginatiua percipiet compoſitū ex mōte, & auro, niſi prius ſeorſim apprehēdat ipſum montē, & ipſum aurū. Patet conſequentia: quia alioqui perfectiori modo, quam intellectus attingeret phantaſia rem cōpoſitam, cum ad eius perceptionem non indigeret tot adminiculis, ac intellectus. Si autē imaginatiua debet attingere res ſimplices, non eſt, cur diſtinguatur alia potentia, ad quam pertineat res ſolum ſimplices percipere.

Æſtimatiua non diſtinguitur ab imaginatiua, & phantaſia.

23 Dico 3. Æſtimatiua nō diſtinguitur realiter ab imaginatiua, & phantaſia. Æſtimatiua dicitur diſtingui a phantaſia, quia attingit conuenientiam, ſeu diſconuenientiam obiecti, quas non

Digitized by Google

poſſunt reliqui ſenſus anteriores percipere, & ideo dicitur operari per ſpecies inſenſatas: quia, videlicet, ad conuenientiam, ſeu diſconuenientiã obiecti percipiendã vtitur ſpeciebus non acceptis à ſenſibus. Probatur ergo, quod nõ diſtinguatur realiter â reliquis potentijs anterioribus, phantaſiâ videlicet, imaginatiuâ, &c. Primo; quia nihil poteſt percipere æſtimatiua in obiecto, quod non ſit perceptũ à phantaſiâ: ergo non diſtinguitur ab illa. Conſequentia eſt bona: quia nulla alia aſsignatur ratio diſtinctionis harum potentiarum, niſi quod aliquid diſtinctũ percipiat æſtimatiua. Antecedens probatur: quia non poteſt id percipere per ſpecies à ſe ipſâ productas, cum ipſa non poſsit tales ſpecies producere, vt probatũ eſt de imaginatiua; neque per ſpecies à Deo infuſas, quia ſi homini nõ infundũtur ſpecies intellectuales ex natura rei, vt fatentur omnes, cur infundẽtur bruto ſpecies ſenſitiua? neque poteſt illã rationẽ percipere per diſcurſũ, quia talis modus attingendi excedit vires potẽtiæ ſenſitiuæ materialis, ſaltem earum, quas hucuſque nouimus: ergo nullatenus cognoſcit æſtimatiua obiecta non percepta per ſenſus anteriores.

24 Dices: brutum, ouis v.gr. non cognoſcit per ſenſus externos lupum, vt inimicũ, neq; cibũ vt conuenientẽ: ergo, vt proſequatur hunc, aut iſtum fugiat per appetitũ, eſt neceſſariũ, quod aliquo ſenſu inimicitiã, & conuenientiã percipiat: nõ alio niſi æſtimatiuâ: ergo, &c. Conceſſo antecedente, nego conſequentiã: quia, vt appetitus brutorũ fugiat nociua; & iucunda, ſeu cõuenientia proſequatur, ſufficit illi cognitio rerũ, quæ nociua, aut iucunda ſunt, quin formalem diſconuenientiam, ſeu conuenientiam agnoſcat.

25 Id autẽ ita euenit, vt aliquãdo ex ſola ſenſatione qualitatũ rei nociuæ, ſeu conuenientis, moueatur appetitus ad illã fugiendã, ſeu proſequendã. nã ſicut ſanguis habet talẽ connexionẽ cũ appetitu, vt poſito affectu verecundiæ aſcẽdat ad faciẽ & poſito affectu timoris concurrat ad cor, ita appetitus habet talẽ connexionẽ cũ ſenſationibus ſenſus interni, vt, poſitâ hâc, fugiat rem propoſitam, &, poſitâ illâ, eam proſequatur. Aliquando vero, re viſâ, recordatur brutum doloris alicuius præteriti ab ea ſibi illati, vel delectationis ex ea captæ, & eâ recordatione determinatur appetitus ad fugiẽdã, vel proſequendã ipſam rẽ. Aliquando deniq; viſâ vnâ re excitatur in memoria ſpecies alterius incutientis timorẽ, & ideo pluries terretur brutũ vel ab vmbra ſua, quia, videlicet, dũ eã videt, excitatur in memoria ſpecies alicuia rei determinantis appetitum ad timorẽ. Ex his facile colligitur, nõ eſſe in bruto neceſſarias ſpecies repræſentantes conuenientiam, ſeu diſconuenientiam formalem obiecti, ac perconſequens adſtendam non eſſe potentiam à phantaſia diſtinctam, cuius muneris

ſit

fit talẽ conuenientiã, ſeu diſcõuenientiam appetitui proponere.

26 Sed age iam, demus, æſtimatiuam percipere obiecta, quæ vocant inſenſata, hoc eſt, conuenientiam, ſeu diſconuenientiam formalem obiectorum: adhuc in hoc caſu non eſſet diſtinguenda à phantaſia; quia æſtimatiua ad cognitionem huius rationis determinari debet per aliquid præuiũ ad ipſam cognitionem: atqui id nihil aliud eſſe poteſt, niſi cognitio rei, quæ poſtea attingitur vt conueniens, vel diſconueniens: ergo æſtimatiua attingit obiectum, quod tu dicis eſſe ſenſus cõmunis, & phantaſiæ; ac perconſequens non eſt, cur diſtinguatur ab illis. Confirmatur: quia intellectus ad cognitionem rerũ inſenſatarum determinatur per apprehenſionem rerum ſenſatarum; ex cognitione enim eorum, quæ per ſenſus nouimus, deducimus per diſcurſum cognitionem eorum, quæ ſenſibus non ſubijciuntur, vt in confeſſo eſt apud omnes: ergo idem continget in æſtimatiua, nempe quod per cognitionem eorum, quæ percepta ſunt per ſenſus externos, determinatur ad cognitionem rationum inſenſatarũ.

27 Ex dictis conſtat, vnam tantum dari potẽtiam ſenſitiuam internam, quæ comparata ad diuerſas operationes, diuerſas ſortitur denominationes ſenſus communis, phantaſiæ, imaginatiuæ, &c. Sicut vnus, & idem intellectus realis comparatus ad apprehenſionem dicitur apprehenſiuus; ad iudicia iudicatiuus; ad praxim practicus; & ad ſpeculationem ſpeculatiuus, &c. Vnde conſtat, ſenſum internum eſſe formaliter multiplicem, quia in ordine ad diuerſas operationes diſtingui poſſunt in eo formalitates diuerſæ, quarum vna ſortiatur rationem ſenſus communis, alia phantaſiæ, &c. Sicut in homine diſtinguimus plures formalitates, quarum vna ſit ratio viuentis, alia ſenſibilis &c.

28 Eſt tamen aduertendum, quod iuxta ſententiam, cui ſubſcripſimus, negantem, imaginatiuam attingere res ſimplices vt compoſitas; & æſtimatiuam cognoſcere rationes aliquas inſenſatas; non eſſe adhuc formaliter diſtinguendas imaginatiuam, & æſtimatiuam, ac memoriam à ſenſu communi, & phantaſia: quia, cum nihil aliud attingant præter illa, quæ à ſenſu communi, & phantaſia cognoſcuntur, non dantur operationes, ſeu connotata, per ordinem ad quæ diuerſas formalitates diſtinguamus.

29 Obijcies: ſæpe læditur vnus ſenſus internus altero non læſo: ergo diſtinguuntur realiter. Conſequentia videtur bona. Antecedens probatur: quia ſæpe quis elicit ſenſationes ſenſus cõmunis, quin elicere valeat ſenſationes phantaſiæ: ergo læditur vnus illæſo alio. Diſtinguo antecedens: læditur vnus ſenſus altero nõ læſo quoad entitatem intrinſecam, nego: quoad exercitium ſui actus, cõcedo antecedens. Ex hoc autem

Digitized by Google

autem ſolũ infertur vnũ, & eumdē ſenſum poſſe admittere diuerſas diſpoſitiones, ratione quarum modo ſit aptus ad exercendam vnam operationem; modo ad aliam; modo ad omnes.

SECTIO II.

Expediuntur aliqua de ſenſu interno.

30 DIximus, ſenſum internum percipere, & diſcernere inter obiecta ſenſuum externorum. Et ſane experientia oſtendit, brutum non ſolum recordari eorum, quæ vidit; ſed etiã eorum, quę tetigit, audiuit, &c. ſępe enim canis fugit hominem, à quo maleficium aliquod perſenſit; & currit ad locum vbi cibum guſtare ſolitus eſt; id autem non faceret, niſi meminiſſet mali ſibi illati, & ſaporis, quem guſtauit antea. Præterea ſæpe appetitus præfert bonũ abſens præſenti; quia canis memor beneficiorum ab hero acceptorum per ſingulos ſenſus illum reperit, relicto homine, à quo, oblato pane mulcetur: ergo debet dari aliquis ſenſus, qui diſcernat inter obiectum abſens vnius ſenſus, & præſens alterius: atqui hic non poteſt eſſe ſenſus externus, cum ille nõ ſe extendat ad abſentia: ergo datur aliquis internus, qui diſcernat inter obiectum abſens, & præſens, & inter obiecta omnia ſenſuũ externorũ: & propterea dicitur ſenſus communis quia videlicet illi ſunt communia, omnia obiecta particularia ſenſuum externorum.

Eſt tamen difficultas 1.

31 AN ſenſus internus percipiat non ſolum obiecta, ſed etiam ſenſationes ſenſuum externorum? Nonnulli aiunt, ſenſum internum non percipere ſenſationes ſenſuum externorum. Dicendum tamē eſt, eas percipere. Ita expreſſe S. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. ad 2. & q. 87. art. 3. ad 3. & lib. 2. contra gent. cap. 6. Scot. in 4. d. 45. q. 3. P. Tolet. libr. 3. de An. q. 3. & P. Rub. hic q. 3. & eſt expreſſa Ariſt. ſententia lib. 3. de An. cap. 1. vbi ex profeſſo probat, ſenſationes externas nõ percipi à proprijs ſenſibus; ſed à ſenſu interno. Probatur: quia canis repetit locũ, vbi vidit cibum; & fugit à loco, vbi dolorem aliquem perſenſit: ergo recordatur viſionis cibi, & ſenſationis doloris.

32 Dices, recordari obiecti antea viſi, & doloris illati; non vero ſenſationis: Sed contrà: iſta recordatio eſt præteritæ rei: ſed res ſenſata, ſæpe non eſt præterita ſecundum ſe, ſed prout ſubeſt ſenſationi, vt conſtat in cibo, quem canis vidit in aliquo loco, qui ſecundum ſe non eſt præteritus; ſed vt viſus: ergo non datur in bruto recordatio obiecti ſecundum ſe; ſed prout ſubeſt ſenſationi; ergo non ſolum percipit ſenſus internus obiectum; ſed etiam ſenſationem externi. Secundò: quia ſæpe brutum arrigit aures, & conatur aperire oculos ex appetitu audiēdi, & videndi: ergo debet ſup-

ſupponi aliqua cognitio proponens, ſeu repræſentans appetitui auditionem, & viſionem: atqui hi actus non poſſunt repræſentari appetui niſi per ſenſum internũ, vt conſtabit ex dicendis: ergo ſenſus internus attingit ſenſationes ſenſuum externorum.

Secundò eſt difficultas.

33 AN ſenſus internus percipiat ſenſationem externi per eandem, vel per diuerſam ſpeciem ab ſpecie obiecti? Aliqui putant, ſenſationem & obiectum percipi per eandem ſpeciem. Ratio eorum eſt: quia, ſicut ſe habet ſenſibile proprium, & commune reſpectu ſenſus externi, ita ſe habent obiectum ſenſus externi, & huius ſenſatio reſpectu ſenſus interni: ſed illa duo obiecta percipiuntur à ſenſu externo per eandem ſpeciem, vt diximu diſp. 9. nu. 31. ergo & hæc duo percipiuntur ab interno per eandem ſpeciem. Secundò: quia, ſi ſenſatio externa perciperetur per diuerſam ſpeciẽ, perciperetur eius magnitudo, diſtantia, figura, &c. atqui hæc non percipiuntur à ſenſu interno: ergo non percipiuntur per diuerſam ſpeciem.

34 Dicendum tamen eſt, prædicta obiecta percipi à ſenſu interno per diuerſas ſpecies. Moueor ad id aſſerendum: quia ſpecies obiecti externi intenditur in memoria, quin intendatur ſpecies ſenſationis externæ: ergo diſtinguuntur realiter hæ ſpecies. Conſequentia eſt bona; quia, ſi eſſent vnum quid realiter, eo ipſo quod intẽderetur realiter vna, deberet intendi alia. Antecedens vero probatur quoad priorem partem: quia, ſi pluries reperatur viſio, aut auditio obiecti, augetur memoria ipſius obiecti, vt experientiâ conſtat: atqui memoria non alia de cauſa augeri poteſt crebra repetitione obiecti, niſi quia intenditur ſpecies illius exiſtens in memoria: ergo dicendum eſt intendi talem ſpeciem.

35 Secunda vero pars, quod non intendatur ſpecies ſenſationis externæ, facile ſuadetur: quia intenſio non datur niſi per accretionem partium qualitatis in eodem ſubiecto circa idem omnino obiectum, ſi enim partes qualitatis ad diuerſa obiecta referantur, non tam dicentur partes intenſionis, quam extenſionis obiectiuæ, vt conſtat ex diſp. 7. n. 64. atqui ſpecies quæ accreſcunt memoriæ ex crebra auditione obiecti, non repræſentant eandem auditionem; ſed diuerſas, quia quotieſcunq; denuo auditur obiectũ, datur noua auditio, cũ nõ poſſit naturaliter reproduci antiqua: ergo nõ poſſunt intendere ſpeciẽ auditionis antea exiſtentem in memoria. Hinc eſt, quod ſæpius recordemur obiecti viſi, aut auditi, quin recordemur viſionis, aut auditionis illius, quia, videlicet, cum ſpecies obiecti ſit intenſior, quam ſpecies ſingularũ auditionũ, aut viſionũ, facilius excitari poteſt ſpecies illius, quàm illarum.

Di

56 Dicendum eſt 2. has ſpecies diſtingui realiter tanquā rem à re. Moueor: quia ſæpe recordamur obiecti, quin recordemur viſionis illius v.g. ergo recordatio illius poteſt eſſe ſine recordatione huius: ergo & ſpecies, quia nō eſt maior ratio vnius quā alterius: ac per conſequens ſpecies obiecti nō erit modus ſpeciei viſionis; quia modus non poteſt eſſe ſine re, cuius eſt modus. Deinde aliquando recordamur uiſionis, v.g. quin directe ſaltem recordemur obiecti, vt experientiâ cōſtat: ergo recordatio directa viſionis poteſt dari ſine recordatione directa obiecti; ac per conſequens ſpecies directa viſionis ſine ſpecie directa obiecti: ergo ſpecies viſionis nō eſt modus ſpeciei directæ obiecti.

57 Dixi: *recordatio directa viſionis poteſt dari ſine recordatione directa obiecti*: quia, cum viſio (& idē eſt de reliquis ſenſationibus) eſſentialiter ſit repræſentatio obiecti, non poteſt hæc per ſenſum internum attingi, vt viſio eſt, quin per eādem ſenſationem indirecte attingatur ipſum obiectum: bene tamen attingi poteſt, quin directe attingatur obiectum: & ideô, licèt ſenſatio interna viſionis ſit ſenſatio indirecta obiecti, dinſtinguitur tamen à ſenſatione directa ipſius obiecti taliter, vt ſine illa inueniri poſsit; neq; enim vlla eſt ratio cōuincens, quod quotieſcunque attingitur viſio, debeat directè attingi eius obiectum.

58 Dices: ſpecies, & ſenſatio interna viſionis repræſentat obiectum: ergo nō eſt neceſſaria in ſenſu interno alia ſpecies, quæ repræſentet obiectum ipſum. Diſtinguo antecedens: ſpecies interna viſionis repræſentat obiectum indirecte, concedo: directè, nego antecedens. Et ſimiliter diſtinguo cōſequens: non eſt neceſſaria alia ſpecies, quę repræſentet obiectum ipſum indirecte, concedo: directe, nego conſequentiam. Quod autem detur hæc ſpecies, conſtat experientiâ; quā nouimus, nos ſæpe recordari directe obiecti, quin recordemur viſionis illius.

59 Ad 1. rationē oppoſitæ ſententię nego minorem, nēpe quod, ſicut ſe habēt ſenſibile proprium, & cōmune reſpectu ſenſus externi, ita ſe habent obiectū, & ſenſatio externa reſpectu ſenſus interni. Diſparitas eſt: quia ſenſibile cōmune non pertinet ad obiectū ſenſus externi, niſi prout afficiens ſenſibile proprium illius, vt probauimus loco citato; vnde collegimus, ſenſibile proprium eſſe rationem formalem attingendi ſenſibile commune', ac per conſequens debere attingi vtrunque per vnam, & eandem ſpeciem: at vero tam obiectum, quam ſenſatio ſenſus externi pertinent per ſe ad obiectum ſenſus interni, vt conſtat ex dictis, & ideo debent directe percipi per diuerſas ſpecies.

60 Ad 2. rationem nego antecedens: quia per olfactū percipitur odor, & nihilominus nō percipitur eius magnitudo, diſtantia &c. ergo idem poterit contingere

in

Digitized by Google

in ſenſu interno reſpectu ſenſatio nis externæ: quod referendum eſt in imperfectionem eſſentialem ſpeciei illam repræſentantis. Et quidem idem argumentum poſſet fieri ad probandum, non poſſe cognoſci ſenſationem externam adhuc per eadē speciē cum obiecto, quia, ſi non poſſet percipi ſenſatio externa ſine præſentia, &c. idem haberet, ſiue per eandem ſiue per diuerſam ſpeciem, ac obiectum perciperetur.

Tertiò eſt difficultas.

61 AN ſenſus internus percipiat ſuam ſenſationem? Nonnulli putarunt eam percipere per aliam ſenſationem reflexā. Alij vero non per aliam; ſed per ipſam. Dicendū tamen eſt, nullatenus percipere ſuam ſenſationem. Ratio eſt: quia non percipit illam per ipſam, ita vt ipſa ſit repræſentatio ſui ipſius; ſiquidem hoc, quod eſt ſe ipſam repręſentare eſt perfectio, quæ vix à Theologis tribuitur cognitionibus ſupernaturalib⁹ perfectiſsimis, qualis eſt viſio beatifica: qua ergo ratione tribuetur ſenſationi materiali multo imperfectiori omnibus intellectionibus? Neque ſenſus percipit ſuam ſenſationem per aliam reflexam; quia hoc, quod eſt ſupra ſe ipſam reflectere, videtur eſſe perfectio excedens perfectionem potentiæ materialis. Et quidem, cum nullum ſit vel leue argumentum ſuadens bruta percipere ſuas ſenſationes internas, non eſt, cur hanc perfectionem tribuamus ſenſibus, qui de facto dantur in brutis, atque adeo in homine perceptio talis ſenſationis referenda eſt in intellectū. Hinc facile colligitur, ſenſus externos non percipere ſuas ſenſationes; quia ſi ſenſui interno, cum ſit perfectior externis, hæc perfectio non conceditur, multo minus cōcedenda erit ſenſibus externis.

Quarto eſt difficultas.

62 AN ſenſus internus percipiat negationes, aut carentias? Ratio dubitandi eſt: quia viſá vmbrâ terrentur bruta: ergo quia ſentiunt aliquid in vmbra, quod illis terrori ſit: at non aliud niſi carentiam lucis: ergo illam percipiunt. Secundò canis non tētat eggredi per murum; ſi tamen ianuam, aut feneſtram in eo apertam ſentiat, illuc accurrit ad exeundum: atqui nihil eſt, in quo poſsit diſcernere ianuam à pariete, niſi in eo, quod ianua careat corpore impediente eggreſſum: ergo dicēdus eſt cognoſcere carentias.

63 Nihilominus dicendum eſt, ſenſum internum non percipere negationes, aut carentias; quia eas perciperet aut per ſpecies proprias, aut per alienas: non per alienas, quia nulli ſenſui conceditur vti ſpeciebus vnius obiecti ad cognoſcendum aliud diſtinctum; ſed ſolum intellectui id tribuitur: non per ſpecies proprias, quia ſpecies, quæ dātur in ſēſu propriæ obie-

obiectorum à nullo alio accipiũtur niſi ab ipſis obiectis: cum autem carentiæ, cum nihil ſint, non poſsint producere ſpecies proprias ſui in ſenſibus; neceſſarium eſt, quod non poſsint inueniri in iſtis ſpecies propriæ illarum.

64 Ad 1. rationem dubitandi reſpondeo, brutum viſâ vmbrâ terreri, quia percipit lucem remiſſam cum figura aliqua difformi, quæ vel per ſe ipſam cognitã cauſat terrorem, vel ſaltem excitat aliquam ſpeciem ex his, quæ in memoria reſeruantur, quæ proponendo ſuum obiectum appetitui, terrorem illi incutiat. Ad 2. rationem dico, canem nõ egredi per murum; ſed per ianuam, quia in ea videt pauimẽtum, per quod poſsit exire; ſecus in muro. Neque ad hoc eſt neceſſarium, quod carentiam corporis interpoſiti percipiat.

Quinto eſt difficultas.

63 AN ſenſus internus verum, & proprium iudicium habeat, & diſcurrat? Pro cuius enodatione aduerto, dupliciter ſumi iudicium apud ſanctos Patres, & Philoſophos: vno modo improprijſsime pro quacunque cognitione repræſentante obiectum potentiæ: altero proprijſsime pro cognitione affirmante, ſeu negãte vnum de alio. Certum ergo eſt apud omnes, in ſenſu interno dari iudicium primo modo, quia illi repræſentatur obiectum per ſuam ſenſationem. Difficultas ſolùm eſt de iudicio ſecundo modo ſumpto.

64 Circa quam nonnulli aſſerunt, in ſenſu interno hominis dari verum iudicium, & aliquale diſcurſum. Alij id etiam concedunt ſenſui interno brutorum. Et videtur fauere ſacra Pagina. Nam Iob. 12. dicitur: *Nonne auris verba diiudicat, & fauces comedentis ſaporem?* Vbi tribuitur iudicium ſenſibus externis, quanto magis ſenſui interno: & Prouerb. 6. *Vade ad formicam ò piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam*: vbi formicæ conceditur ſapientia, quæ non habetur ſine iudicio: & denique Ariſt. 1. Met. cap. 1. tribuit prudentiam formicis: & 6. Ethi. cap. 11. ſenſum internum hominis vocat rationem particularem. Idem conſtare videtur experientiâ, quâ nouimus, bruta apponere media proportionata ad finem, quem intendunt conſequi: nam canis iam ſatur abſcondit cibum, quem poſtea famelicus requirit; &, hirundo lutum quærit, ac defert ad locum, vbi decreuit nidum cõſtruere, & alia his ſimilia videmus quotidie in brutis: hoc autem fieri nequit ſine collatione medij cum fine, quæ pertinet ad iudicium proprium: ergo datur proprium iudicium in brutis.

65 Vera tamen ſententia aſſerit, ſenſum internum nullum elicere iudicium proprium, nec vllatenus diſcurrere. Ita P. Tolet. lib. 3. de An. quæſt. 7. P. Rub. quæſt. 5. Probatur: ſi bruta haberent iudicium, aut diſcurſum, poſſent vnum alteri conferre, &

R deb-

deinde cognoſcere proportionē, aut improportionem vnius cum alio, & hâc cognitâ vnum ex altero diſcernere, ac melius eligere relicto minori bono, quod fieri non poteſt ſine aliquo vſu rationis, qui quidem nullatenus concedendus eſt brutis: alioqui bruta inter rationalia recenſenda eſſent.

66 Secundò: quia nihil ex his, quæ experimur in brutis, probat ea habere verum iudicium, aut diſcurſum: ergo non eſt illis concedenda talis perfectio. Conſequentia eſt bona: quia non ſunt multiplicandæ perfectiones ſine vrgenti fundamento. Antecedens probatur: quia in cauſis naturalibus ſenſu expertibus inueniuntur mirabiles effectus, qui quidem tribuuntur earum naturis ſine aliquo iudicio, aut diſcurſu in eis exiſtente: ignis enim in paſſo indiſpoſito producit diſpoſitionem, priùs quam formam in illo producat; ſin autem applicetur illi iam diſpoſito, nullam diſpoſitionem in eo producit; ſed immediatè introducit formam ſubſtantialem. Deinde virtus ſeminalis partes nimis diuerſas organizat tribuēdo ſingulis diſpoſitiones nimis diuerſas. Preterea virtus nutritiua alimēta diuerſa diuerſis partibus ſubminiſtrat; ſanguinem venis, ac alijs partibus carneis; lac vberibus; medullam oſsibus, &c. & tamen nullum inuenitur iudicium, aut diſcurſus in his cauſis, quo diſcernant, quando hos effectus, & quando illos producturæ ſint; ſed propria & natiua vi determinatæ ſunt ad producendos hos cum iſtis circunſtantijs, & illos cum illis: ergo idē dici poteſt in brutis, nempe quod appetitus eorū cum talibus circunſtantijs eſt determinatus ad appetenda hęc obiecta, & illa fugienda, &c. etiamſi nullam proportionē vnius cum alio cognoſcat. Circunſtantiæ autem ſolent eſſe memoria præteritorū, diſpoſitio corporis, conuentus aliorum obiectorum, & alia huiuſmodi, quibus poſitis eſt determinatus appetitus ad fugienda hæc obiecta; illa amplectenda: proſequenda hæc media conducentia in illum finem, &c. ex ſola apprehenſione talium circunſtātiarum abſque vlla collatione vnius cum aliâ: & propterea dicūtur bruta gubernari inſtinctu, non ratione. Ex his conſtat ad argumentum deſumptum ab experiētia pro oppoſita ſententia.

67 Ad verba adducta ex cap. 12. Iob, quibus videtur tribui iudicium ſenſibus externis, reſpōdeo, ibi eſſe ſermonem de iudicio latiſsimè, aut improprijſsimè ſumpto. Ad aliud adductum ex Prouer. 6. dico, ibi pigrum mitti ad formicam, vt diſcat ſapientiā, non quia in illa ſit vera ſapientia; ſed vel quia in eius operibus ſplēdet ſapientia Dei, à qua regitur formica, vel quia opera eius ſunt talia, quæ videantur dirigi prudenti iudicio, cum ſolo inſtinctu gubernentur. Et in hoc ſenſu tribuit Ariſt. formicis prudentiam: dum

dum autem ſenſum internum hominis vocat rationem particularem, intelligendus eſt de ratione per denominationem ſolum extrinſecam ab intellectu, quem in ſuis ratiocinationibus comitatur appreh:dendo obiecta, circa quę intellectus ipſe diſcurrit, vel alia ſimilia, per quorum ſpecies intellectus attingit ea, quæ ſenſibus non percipiuntur.

68 Hinc colligo, qua ratione ſenſus internus diſcernat inter obiecta, & ſenſationes ſenſuū exteriorum, neq; enim interea diſcernit, quia iudiciū aliquod eliciat, quo vnum cum altero comparet, & eorum diſtinctionem expendat; ſed ſolū quia ſingula attingit ſub ea ratione, qua ab alijs diſtinguuntur.

Sexto eſt difficultas.

69 AN omnia bruta habeant ſenſum internum? Reſpódeo affirmatiue: quia imperfectiſſima animalia, qualia ſunt conchilia, habent duplicē ſenſum externum, guſtū videlicet, & tactū: ergo debet dari aliquis ſenſus internus, qui diſcernat inter obiecta, & ſenſationes horum ſenſuū. Et quidem, cum probatum ſit, in brutis perfectis dari ſenſum, ſub cuius obiectum cadant ſenſationes ſenſuum externorum, neſcio cur imperfectis denegandus ſit ſenſus, ſub cuius obiectum cadant ſenſationes eorum ſenſuum externorum, qui in illis inueniūtur. Eſt tamen aduertendum, ſenſum internum eſſe inæqualis perfectionis in animalibus; quia quorundam ſenſus ad plura extenditur, quam ſenſus aliorum, vt experientiâ conſtat: ergo perfectior erit in aliquibus pro maiori, aut minori perfectione obiectorum, ad quæ extenditur.

Septimo eſt difficultas.

70 AN ſenſus internus attingat præterita vt præterita; & futura, vt futura? Pro enodatione aduerto, præteritum vt pręteritum duo inuoluere, nempe exiſtentiam rei, quę denominatur præterita, & negationem, ſeu carentiam exiſtentiæ eius pro eo ſigno, in quo vere dicitur eſſe præterita. Dico ergo, ſenſum internū cognoſcere rem, quæ præterita eſt; non tamen vt præteritā; quia vt talis inuoluit negationem, ſeu carentiam, quæ non intrat latitudinem obiecti ſenſus interni, qui nihil percipit, vt dictum eſt ſupra, niſi ſenſata per ſenſus externos, & eorum ſenſationes: atqui carentia exiſtentiæ rei, neque eſt ſenſatio alicuius ſenſus externi, vt conſtat, neque per illum ex illis percipitur, cum illi ſolum percipiant ea, à quibus ſpecies accipiunt, ſeu accipere poſſunt: ergo, &c. Idem dicito de futuris vt futuris; percipit enim ea, quæ ſunt futura, ſiquidem bruta percipiunt guſtationem cibi, quam appetunt; non tamen negationem exiſtentiæ eius in hoc ſigno cum ſit carentia iuxta dicta.

Octauo eſt difficultas.

71 QVa ratione memoria ſenſitiua vtatur ſpeciebus, quas apud ſe reſeruat? Reſpondeo, ad hoc, vt eis vtatur, eſſe neceſſarium, quod excitentur. Eæ autem excitantur vel per nouam ſenſationem externam eiuſdem obiecti, aut alterius ſimilis: vel quia denuo accedunt ad potentiam aliqui è ſpiritibus animalibus, in quibus initio productæ fuerunt tales ſpecies: vel quia obiecta occurrũt, quę ſimul cum illis, quorum datur recordatio, percepta fuerunt in prima ſenſatione: vel alia ſimili de cauſa. De natura, cauſis, & proprietatibus ſpecierum ſenſus interni, diximus ſupra diſp.7.ſect.4.

SECTIO IIII.

Expediuntur aliqua de appetitu ſenſitiuo.

72 SEnſum internum comitatur appetitus ſenſitiuus, cuius eſt proprium proſequi bona conuenientia naturę ſenſitiuę; & eidẽ diſconuenientia fugere: duciturque cognitione ſenſus interni proponente illi malum, & bonum, vt illud fugiat, & iſtud proſequatur. Dari in nobis hunc appetitum, & Fides docet, & experientia comprobat. Eſt enim lex illa membrorum, quam Paulus ait *ſe ſentire repugnantem legi mentis*: quia obiecta delectabilia ſenſu percepta appetitum delectatione pulſant, & alliciunt, ita vt rationem anteuertens motibus primo primis conetur poſt ſe rapere voluntatem: & propterea à SS. Patribus dicitur fomes peccati, quem ſanxit Tridentinũ nobis ad agonem relictum. Deinde experientiã conſtat, bruta quærere res ſibi delectabiles, ac iucundas, & fugere nociuas, ſi eas per ſenſus percipiant: ergo debet dari in illis facultas ea inclinans ad bonum propoſitum conſequendum, & malum fugiendum. Hanc ergo inclinationem vocamus appetitum; qui quidem per actum à ſe elicitum tendit in bonum naturæ ſenſitiuæ conueniens, & vitat malum diſconueniens.

73 Obiectum huius appetitus eſt bonum vtile, & delectabile, ſeu iucundum: & deinde malum nociuum, aut iniucundum, & inutile. Ratio huius eſt: quia illud debet eſſe obiectum appetitus ſenſitiui, quod eſt conueniens, & diſconueniens naturæ ſenſitiuæ: ſed bonum delectabile, & vtile eſt conueniens; &, malum nociuum, ſeu iniucundum, & inutile eſt diſconueniens naturæ ſenſitiuæ, & non aliud: honeſtum enim & inhoneſtum ſolum comparantur naturæ rationali, illud vt conueniens, & hoc vt diſconueniens illi vt rationali, vt in confeſſo eſt apud omnes. ergo hæc ſunt obiecta appetitus ſenſitiui, & non alia.

74 Circa bonum vtile, & delectabile verſatur appetitus per actum amoris, ſeu proſecutionis: circa

circa malum verò inutile, & iniucundum per actum odij, ſeu fugæ. Cæterum amor, qui datur circa bonum conſequendum, appellatur deſiderium; amor verò, qui datur circa bonum iam conſecutum, dicitur complacentia, ſeu gaudium; deinde odium de malo imminente dicitur timor; & odiũ de malo præſenti, ſeu habito dicitur triſtitia. Eſt tamen aduertendum, quod ſicut ſenſus internus non apprehendit bonum vt conueniens, aut vtile formaliter; neque malum vt inutile, ſeu diſconueniens formaliter; ſed ſolum materialiter, hoc eſt, illud; quod hic & nunc eſt vtile, ſeu delectabile; aut nociuum, ſeu iniucundũ, vt dictum eſt ſupra; ita etiam appetitus non fertur in bonum, ſeu malum formaliter vt tale, hoc eſt, ſecundum relationem conuenientiæ, vtilitatis, ſeu diſconuenientiæ, ſed materialiter tantum, in illud videlicet, quod hic & nunc eſt conueniens, ſeu diſcõueniens, &c. propter rationes ſupra traditas circa ſenſum.

75 Eiuſmodi appetitus, qui ſequitur ſenſum internũ, eſt vnus realiter habens plures, & varios actus. Ratio eſt: quia ſenſus internus, licèt plures, & diuerſos actus habeat, eſt vnus realiter, vt dictum eſt ſupra: ergo idem dicẽdum eſt de appetitu ſubordinato ſenſui interno. Cõfirmatur: quia intellectum, cuius varij ſunt actus, ſequitur vnus appetitus rationalis, ſcilicet voluntas, quæ varios etiam actus comprehendit circa varia obiecta: ergo idem dicendum eſt de appetitu ſenſitiuo ſequente ſenſum internum. Cæterum, licèt hîc appetitus ſit vnus, ex diuerſis actibus diuerſas ſortitur denominationes: dicitur enim *concupiſcibilis*, prout tendit in obiectum naturæ ſenſitiuæ delectabile, aut commodum ſecundum ſe; dicitur præterea *iraſcibilis*, prout tẽdit in bonum ſenſibile arduum, hoc eſt, defenſabile à contrario; vt, cum canis defendit cibum ab alio intendente rapere. Hæc potentia eſt maxime neceſſaria ad conſeruandã vitam animalis, ſiquidem illâ mouentur animalia ad quærenda ſibi neceſſaria, vt cibum & potum; & fugienda nociua, & ideo inuenitur in omnibus animalibus.

Hic eſt difficultas 1.

76 AN appetitus conſequens ſenſum internum reſideat in cerebro; an in corde? Ariſt. Protag. Chryſip. cum omnibus Stoicis, quibus conſentit Galen. lib. 2. de Placit. cap. 3. & lib. 3. cap. 8. aſſerunt, appetitum ſenſitiuum ſitum eſſe in corde. Ariſt. probat: quia in corde eſt ſenſus communis: ergo & appetitus ſenſitiuus. Cæterum iam ſupra probaui, antecedens eſſe falſum. Secundo probant omnes: quia anxietas, iracundia, melancholia, & mæſtitia ſentiuntur in corde: ergo ibi ſunt actus appetitus, per quos iraſcimur, angimur, & mæremus.

 77 Si

77 Si hoc argumentum aliquid probaret ex eo facile deduci poſſet appetitũ eſſe in maxillis: quia in illis oſtenditur erubeſcentia; ſeu verecundia, quæ inter actus appetitus recenſeri ſolent. Ad argumentum ergo reſpõdeo, iram, mæſtitiam, verecundiam, & triſtitiam formaliter eſſe in appetitu, quem dicemus eſſe in cerebro; in corde verò, ſtomacho, & facie eſſe vel obiecta illorum actuum, vel aliquos effectus ex illis reſultantes: & ideo dici, eas partes iraſci, triſtari, &c. obiectiue tantum, ſeu cauſaliter. In ſtomacho enim eſt dolor cauſatus ex defectu cibi, & potus, qui dolor eſt obiectum triſtitiæ naſcentis in appetitu ex ſenſatione interna talis doloris. In facie verò apparet ſanguis vt effectus ortus ex verecundia per quandam ſympatiam, & idem eſt de ſanguine ferueſcente in corde præ ira, & fugiente faciem præ timore.

78 Tertiò argui poteſt ex Deuteron. 6. n. 9. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: non autẽ diceretur *ex toto corde tuo*, ſi facultas dilectiua non reſideret in corde. Cæterum, cum ibi etiã dicatur, *& ex totis viſceribꝰ tuis*, non concluditur, appetitum eſſe in corde magis, quam in viſceribus. Ibi ergo exprimitur intenta ſolicitudo, qua toti debemur amori Dei, ita vt nec cordis operatione, nec viſcerum vſu fruamur niſi ad obſequium Dei. Quartò probant: quia Chriſtus Dominus dixit, *de corde exire malas cogitationes*: ergo appetitus reſidet in corde. Reſpondeo, ibi, ſicut in pluribus alijs Scripturæ locis, nomine cordis ſignificari animam.

79 Dicendum ergo eſt, appetitum ſequentem ſenſum internum reſidere in cerebro. Ita cõmuniter recẽtiores. Probatur 1. quia ſenſus internus ſitus eſt in cerebro: ergo & appetitus. Probo conſequentiam: quia appetitus per ſenſationem mouetur in ſuum obiectum: atqui, ſi ſenſatio eſſet in cerebro, & appetitus in corde, non poſſet hic per illam moueri: ergo, &c. Minorem probo: quia ſenſatio non aliter mouet appetitum, niſi repræſentando illi formaliter obiectum: atqui, ſi ſenſus eſſet in cerebro, ſenſatio eſſet ibidem, cum reddat illum formaliter ſentientem: ergo non poſſet repræſentare obiectũ formaliter appetitui, ſi hic eſſet in corde. Patet conſequentia: quia forma repræſentans formaliter aliquid ſubiecto debet illud informare, ac perconſequens eſſe in eodem loco. Vide, quæ adduximus diſp. 6. à num. 11. ad probandum, idem eſſe principium cognitionis, & amoris. Bene video, appetitum mouere potentiam locomotiuam diſtantem, ſed id contingit efficienter per imperium ratione ſympatiæ, quã habet potentia locomotiua cum appetitu, vt poſito actu huius ſequatur effectus illius: at appetitus non aliter mouetur per cognitionem, niſi tanquam per formalem

malem repræſentationem obiecti; & ideo ille debet eſſe in eadem parte, in qua eſt iſta.

Secundò eſt difficultas.

80 AN præter appetitum, qui ſequitur ſenſum internum, dentur alij, qui ſequantur externos, ſinguli ſingulos? Nonnulli affirmarunt. Sed immeritò: quia vnus appetitus ſufficit ad appetenda omnia bona, & fugienda omnia mala cognita per ſenſus externos: ad quid ergo alios addemus appetitus? Antecedens eſt certum: quia ſenſus internus attingit, & diſcernit omnia obiecta, & ſenſationes ſenſuum externorũ: ergo appetitus ſequens ſenſum internum poterit tendere in obiecta omnia, & ſenſationes ſenſuum externorum. Confirmatur: quia appetitus eo fine eſt conceſſus animalibus, vt ab illo inclinentur in bona ſibi conuenientia, & diuertantur à nociuis: at vnus appetitus ſufficit ad hæc omnia præſtanda, quandoquidem omnia bona, & mala percepta per ſenſus externos proponuntur illi per internum: ergo, &c.

81 Obijcies: potentiam cognoſcitiuã ſequitur potentia appetitiua: ergo diuerſas potentias cognoſcitiuas, quales ſunt ſenſus externi, ſequuntur diuerſæ potentiæ appetitiuæ. Diſtinguo antecedens: potentia appetitiua ſequitur potentiam cognoſcitiuam non ſubordinatam alteri cognoſcitiuæ in eodem gradu viuendi, concedo: ſubordinatam alteri in eodem gradu viuendi, nego antecedens. Et deinde nego conſequentiam. Licet ergo dentur plures potentiæ cognoſcitiuæ externæ; hæ tamen ſubordinantur ſenſui interno, ſiquidem omnes mittunt ad illum ſpecies ſuorum obiectorum; ſenſus autem internus eſt in eodem gradu viuendi, ac potentiæ ſenſitiuæ externæ, cum omnes pertineant ad gradum viuentis ſenſitiui.

82 Inſtabis: in homine ſubordinatur ſenſus internus intellectui, cum ille miniſtret huic ſpecies obiectorum; & nihilominus datur appetitus reſpondens ſenſui interno diſtinctus à voluntate, quæ eſt appetitus reſpondens intellectui: ergo, licèt ſenſus externi ſint ſubordinati ſenſui interno, poterunt habere appetitus diſtinctos ab appetitu ſenſus interni. Diſtinguo primam partem antecedentis: in homine ſubordinatur ſenſus internus intellectui tanquam potentiæ cognoſcitiuæ exiſtenti in diuerſo gradu viuendi, concedo: exiſtenti in eodem gradu viuendi, nego antecedens: quia intellectus pertinet ad gradum viuendi rationalis; ſenſus verò internus ad gradum viuendi ſenſitiui. Et ideo habent diuerſos appetitus. Adde, certum eſſe de Fide in homine dari appetitum ſenſitiuum, & rationalem: imò & experientia ipſa id ſuadet, cum appetitus ſæpius

reſiſtat voluntati: at verò neque Fides, neque experientia ſuadet, dari appetitus externos diſtinctos ab appetitu ſenſus interni: & ex alio capite non ſunt neceſſarij tales appetitus ad conſeruationem vitæ animalis: vt quid ergo admittemus tales appetitus?

83 Obijcies 2. obiectum delectabile vt viſum eſt bonum: ergo vt tale eſt appetibile: ergo reſpõdet illi ſuus appetitus. Diſtinguo primum conſequens: vt tale eſt appetibile, ſi proponatur per aliam cognitionem ſenſus interni, concedo: ſi nõ proponatur per aliam, nego conſequentiam. Et deinde nego ſecundã conſequentiam. De influxu ſenſationis internæ in actum appetitus idem cenſendum eſt, ac de influxu intellectionis in actum voluntatis, de quo agemus infra.

84 In animalibus datur motus progreſsiuus, qui quidẽ ſupponit per ſe actum ſenſationis internæ, & appetitus; actum huius vt imperantem motum; & illius vt dirigentem ad motum: quia ſenſus internus proponit appetitui conuenientiam talis motus, quâ inducitur appetitus ad motum, elicitque deſiderium illius, quod dicitur imperium, quia, eo poſito, potentia locomotiua ratione connexionis, ſympatiæ, & ſubordinationis, quam habet erga appetitum, determinatur ad motum eliciendum: qui quidem reſpondet potentiæ locomotiuæ vt cauſæ phyſicæ; ſenſationi verò internæ, & actui appetitus vt cauſæ morali ſuadenti, ſeu incſinanti ad ipſum motum. Hæc autem potentia locomotiua reſidet in muſculis, & in neruis. An verò hęc potentia ſit vitalis? dictum eſt diſp. 5. num. 67.

LIBER TERTIVS ARISTOTELIS DE ANIMA.

De huius libri exordio non parua eſt inter expoſitores Ariſtotelis diſſenſio. Quidam enim incipiendum putant ab ea parte, in qua Philoſophus incipit agere de ſenſibus internis. Alij ea, quæ ad ſenſus attinent, referunt ad ſecundum librum, & ideo putant initium ſecundi ſumendum eſſe à po-

potentijs animæ rationalis Intellectu videlicet & Voluntate. Horum ſecutus diuiſionem egi de ſenſibus in ſecundo libro, acturus in hoc tertiò de potentijs animæ rationalis.

DISPVTATIO VII.

De Intellectu, & eius obiecto.

1 EGimus de potentijs animæ corporeis. Agendũ modo eſt de ſpiritualibus, interquas primũ in dignitate, & ordine operationis locum ſibi vendicat intellectus: & propterea primo loco inueſtiganda eius natura, & ea, quæ pertinent ad illum. Eſt autem intellectus potentia ſpiritualis per ſe conueniens naturæ rationali ad eliciendam cognitionem ſpiritualem. Solet diuidi in *Agentem, & Poſsibilem. Agens* appellatur, qui efficienter concurrit ad ſpeciem intelligibilem producendam, ex cuius productione denominationem ſumpſit *Agentis*. *Poſsibilis* dicitur, qui, recepta ſpecie intelligibili ab agente, intellectionem in ſe ipſo producit. Dicitur autẽ *poſsibilis* (quod in præſenti eſt idem, ac paſsibilis) à receptione, ſeu paſsione ſpeciei intelligibilis, quam recipit ab intellectu agẽte. De vtroque procedit diſputatio preſens.

SECTIO I.

De Intellectu agente.

2 AGendum nobis eſt in hac ſectione de exiſtentia, natura, & muneribus intellectus agentis, cuius meminit Ariſt. 3. de An. cap. 5. tex. 18. & D. Tho. 1. p. q. 16. art. 2. & in Diſp. q. vn. de An. art. 13. & 5. & interpretes Ariſt. ad citatum textum. Eſt ergo certum 1. ex interna ſenſatione, ſeu phantaſmate (ſic appellatur actus phantaſiæ) obiecti cogniti per ſenſus exteriores excitari in intellectu poſsibili intellectionem eiuſdem obiecti. Id eſt ab omnibus admiſſum.

3 Certum eſt 2. ad hoc, vt intellectus eliciat intellectionẽ obiecti ſenſati per ſenſus exteriores, & phantaſiam, neceſſarium eſſe, quod in illo præcedant ſpecies impreſſæ ſpirituales talis obiecti, quas vocãt intelligibiles. Eſt hoc aſſertum fere omnium authorum. Ratio deſumitur ex dictis diſp. 7. quia intellectus non poteſt obiectum attingere per intellectionem, quin hoc prius applicetur illi intentionaliter per repræſentationem aliquam formalem ipſius obiecti: ſed ante intellectionem, quam excitat phantaſma, nihil eſt quod intellectui poſsit applicare formaliter obiectum, niſi ſpecies intelligibilis: ergo debet admitti talis ſpecies. Minorem probo: quia obiectum non poteſt ſufficienter applicari intellectui ad intellectionem ſpiritualem, niſi per re-

repręſentationem ſpiritualem ipſius obiecti: applicatio enim intentionalis obiecti debet eſſe proportionata, & eiuſdem ordinis cum actu, ad quem præſupponitur, vt conſtat in voluntate, cui ad eliciendum amorem ſpiritualem ſui obiecti, non proponitur ipſum obiectum ſufficienter per phantaſma; ſed ſolum per intellectionem (etiamſi idem obiectum repræſentet phantaſma, & intellectio) vt concedunt omnes, non alia de cauſa; niſi quia illud eſt materiale, & hæc ſpiritualis: ſed ante primam intellectionem obiecti ſenſati nulla datur repræſentatio ſpiritualis ipſius obiecti, ſi non ponatur ſpecies intelligibilis: ergo &c. Minor conſtat: quia ante primam intellectionem nulla alia repræſentatio intentionalis obiecti præcedit, niſi ſenſatio externi ſenſus, & interni, quæ quidem omnes materiales, & corporeæ ſunt: ergo admittenda eſt ſpecies intelligibilis ſpiritualis, quæ modo proportionato applicet obiectum intellectui ad cognitionem ſpiritualem eliciendam.

4 Certum eſt 3. phantaſmata concurrere ad productionem ſpecierum intelligibilium repræſentantiũ obiecta ſenſata. Probatur: quia ſpecies intelligibiles talium obiectorum nunquam producuntur, niſi præcedant phantaſmata eorundem obiectorum, vt concedant omnes, & oſtendit experientia: ergo aliquis concurſus cõcedendus eſt phantaſmatibus circa eas ſpecies. Certũ eſt 4. phantaſmata non eſſe cauſas adæquatas talium ſpecierũ, quia cum hæ ſpecies ſint ſpirituales, ſunt perfectiores phantaſmatibus, quæ materialia ſunt: ergo non poſſunt hæc eſſe cauſæ efficientes adæquatæ illarũ. Patet conſequentia: quia, cum cauſa efficiens det eſſe actiue effectui, debet in ſua virtute continere omnia prędicata ipſius effectus: alioqui qua ratione daret actiue id, quod in ſe nõ habet? ſed id, quod perfectius eſt, non poteſt adæquate contineri in virtute imperfectioris, cum ſit ſupra vires illius: ergo aſsignãda eſt alia cauſa, quæ, cum ſit ſpiritualis, virtualiter contineat ſpiritualitatem ſpeciei intelligibilis.

5 Dico ergo 1. dari intellectũ agentẽ, qui efficienter concurrat ad productionem ſpeciei intelligibilis. Ita Ariſt. & D. Thom. ſupra adducti cũ fere omnibus philoſophis, quos referunt, & ſequuntur PP. Conn. 3. de An. cap. 5. q. 1. art. 2. contra Dur. & alios, quibus ſubſcripſit. P. Hurt. hic. Probatur: quia ſpecies intelligibilis eſt ſpiritualis: ergo ex parte cauſæ efficientis debet dari virtus productiua talis ſpiritualitatis: at hæc nõ poteſt eſſe ſolum phantaſma, vt probatũ eſt numero præcedenti; neq; Deus vt author naturæ, quia nunquã confugiendum eſt ad Deum in productione effectuũ naturaliũ, quũ aliàs aſsignari poteſt cauſa aliqua ſecunda abſq; aliquã repugnancia: ergo cũ nulla detur repugnantia in eo, quod intellectus agẽs cõcurrat efficiẽter

ad

ad ſpeciẽ ſpiritualẽ producendã, admittendus eſt talis intellectus.

6 Dices: proprium eſt obiecti ſpeciẽ ſui producere in intellectu, ſicut eã producit in ſenſu, atque adeo, ſi ob perfectionẽ ſpeciei intelligibilis non poteſt illã adæquate producere, confugiendũ eſt, ad Deũ vt authorem naturæ, cuius propriũ eſt ſupplere defectus cauſarũ ſecundarum; non vero ad potentiã intellectiuã: alioqui iã confunderentur munera propria obiecti, & potentiæ; quæ quidẽ diuerſa eſſe debent, vt admittunt omnes. Sed contra: duo inueniuntur in ſpecie intelligibili, & eſſe imaginẽ, ſeu repræſentationẽ ſui obiecti, & eſſe ſpiritualẽ. Ratio imaginis pertinet tanquã ad propriam cauſam ad ſuũ obiectũ, vel ad quid aliud ſe habens ex parte ipſius obiecti: quia, cũ ſpecies, vt imago eſt ſui obiecti, ſit vicaria, ſeu inſtrumentũ illius ad eius cognitionem excitandã in potentia; ad ipſum pertinere debet productio talis ſpeciei, quatenus imago eſt ipſi, atq; adeo, ſi in eo deficeret virtus ad eã rationẽ imaginis producẽdã, recurrẽdũ eſſet ad Deũ, qui vt author naturæ eã produceret.

7 At vero ratio ſpiritualitatis ſpeciei intelligibilis nullatenus pertinet ad obiectũ tanquam ad propriã cauſam; ſed ad animã, in qua ea ſpecies producenda eſt: quia ad illud debet pertinere productio ſpiritualitatis ſpeciei intelligibilis, quod primario petit talẽ ſpeciẽ eſſe ſpiritualem: atqui obiectũ nõ exigit per ſe, eã ſpeciẽ eſſe ſpiritualem; ſed anima: neque enim ex eo eſt ſpiritualis quia repræſentat tale obiectũ (cum hoc repræſentetur per ſpecies materiales ſenſuũ) ſed ſolũ, quia anima non poteſt elicere intellectionem eius obiecti; quin hoc prius ſpiritualiter applicetur illi, vt numero 3. probauimus: ergo anima eſt, quæ exigit immediate, eam ſpeciem ſpiritualem eſſe: ergo ad animam pertinet productio ſpiritualitatis talis ſpeciei.

8 Obijcies 1. non datur ſenſus agẽs, ad quẽ pertineat productio ſpeciei ſenſibilis: ergo neq; debet dari intellectus agens, ad quẽ pertineat productio ſpeciei intelligibilis. Conceſſo antecedente, nego cõſequentiam. Diſparitas eſt clara, quia ſpecies ſenſibilis (vt pote, quæ materialis eſt) ſi ſit ſenſus externi, poteſt adæquate produci ab obiecto, cuius eſt imago; quia ex vna parte, hoc eſt illa perfectius, & ex alia poteſt ſufficiẽter applicari ſenſui externo ad illã producẽdã. Si vero ſit ſenſus interni, poteſt adæquate produci à ſenſatione ſenſus externi: quia, cum hæc ſit imago vitalis obiecti, ex vna parte eſt perfectior ſpecie non vitali ſenſus interni, & ex alia, poteſt vices obiecti agere ad productionẽ talis ſpeciei: vnde neceſſarius nõ eſt ſenſus agens, qui ad ſpeciẽ ſenſibilẽ concurrat. At ſpecies intelligibilis obiecti, quod percipitur per ſenſus, cum ſit ſpiritualis, non poteſt adæquate produci ab ipſo obiecto, neq; à ſenſationibus illius, cũ hæc omnia materialia ſint;

ac

Digitized by Google

ac proinde aſsignari debet ex parte animæ, vt probatum eſt, virtus aliqua concurrens ad productionem tatis ſpeciei; quam virtutem intellectum agente appellamus.

9 Obijcies 2 ſi in nobis daretur intellectus agens, deberet etiam Angelis concedi: at Angelis nõ conceditur: ergo neque nobis concedendus eſt. Duplex datur inter Theologos ſententia circa ſpecies Angelorum. Alij dicunt produci efficienter ab obiectis ipſis. Et iuxta hanc admittẽdus eſt intellectus agens, ſaltem ad producendam ſpiritualitatem ſpecierum obiectorum materialium. Alij vero dicunt, ad ſolum Deum pertinere productionem prædictarum ſpecierum. Et iuxta hanc non eſt neceſſarius intellectus agens, quia ipſi Deo reſpõdere poſſunt omnia prædicata ipſarum ſpecierum.

10 Dico 2. Phantaſma concurrit efficienter ſimul cum intellectu agente ad productionem ſpeciei intelligibilis. Ita PP. Cõnimb. 3. de An. cap. 5. q. 2. art. 1. §. vlt. P. Rub. ibidem cap. 4. & 5. q. 3. num. 51. vbi præter alios adducit D. Thom. 3. p. q. 9. art. 4. ad 2. & q. 10. de Ver. art. 6. ad 7. Itaque, poſitâ in ſenſu interno, ſeu phantaſia ſpecie expreſſâ albedinis (quæ quidem ſpecies expreſſa phantaſma dicitur,) ipſa ſimul cum intellectu agente immediate concurrit ad efficiendam ſpeciem intelligibilem in intellectu poſsibili. Probatur concluſio: quia ſpecies intelligibilis eſt imago virtualis, ſeu habitualis obiecti; ergo ex parte cauſæ debet aſſignari aliquod influens, cui reſpondeat hæc formalitas ſpeciei intelligibilis: ſed hoc non poteſt eſſe intellectus agens: ergo erit phantaſma, quia non poteſt aſsignari aliud. Minorem probo: quia ex eo ſolum probatur, intellectũ agentem concurrere ad ſpeciem intelligibilem, quia eſt ſpiritualis, ſi enim ſpiritualis nõ eſſet, adæquate produceretur à phantaſmate, ſicut ſpecies ſenſus interni adæquate producitur â ſenſatione externi: ergo concurſus intellectus agentis neceſſarius ſolum eſt ad ſpiritualitatem ſpeciei, & non ad alias formalitates, ac per conſequens nullum fundamentũ eſt ad hoc, vt reliquæ dicantur illi reſpondere: ergo reſpondebunt de facto illi cauſa, quæ eas produceret adæquate, ſi cum ſpiritualitate coniunctæ non eſſent, ea autem cauſa eſt phantaſma: ergo illud de facto concurrit efficienter ad reliquas formalitates ſpeciei.

11 Confirmatur: quia, vt admittunt omnes, ſpecies impreſſa eſt quaſi ſemen, & inſtrumentum obiecti, medio quo ipſum obiectũ concurrit cum potentia ad producendam cognitionem ſui, vnde ortum eſt commune proloquium ab Auguſtino traditum, & ab omnibus philoſophis admiſſum: *Ex obiecto, & potentia pariter noti-tia*: ergo ad ipſum obiectum pertinet talem ſpeciem phyſice producere vel ſe ipſo immediate, vel medio aliquo ſe tenente ex parte ip-

Digitized by Google

ipſius. Conſequentia patet : quia phyſica productio ſeminis, aut inſtrumenti phyſici ad illud pertinet; cuius ſemen, & inſtrumentum eſt. Pergo: ſed obiectum non poteſt ſpeciem intelligibilem producere in intellectu, niſi medio phãtaſmate, vt conſtat: ergo, ſi aliunde non implicet, phantaſmati tribuendi eſt immediate productio talis ſpeciei: atqui nulla repugnãtia eſt in eo, quod phantaſma cõcurrat, tanquam cauſa inadæquata ad immediate efficiendam ſpeciem intelligibilem, vt imaginem ſui obiecti: ergo dicendum eſt concurrere de facto.

12 Obijcies 1. phantaſma eſt materiale, & corporeum : ergo non poteſt efficienter concurrere ad ſpeciem intelligibilem, quæ eſt ſpiritualis. Confirmatur ex Aug. lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 15. in fine, & in principio capitis 16. vbi ait, ſpiritum non poſſe ſubijci corpori, vt hoc in illo aliquid efficiat: ergo ſentit, animam ſpiritualem nõ poſſe aliquid recipere à phantaſmate materiali tanquam à cauſa efficiente. Ad obiectionem diſtinguo cõſequens: Non poteſt efficienter concurrere ad ſpeciem intelligibilem tanquam cauſa totalis, cõcedo: tanquam cauſa partialis, nego conſequentiam, quia, ſicut intellectus naturalis ordinis poteſt tanquam cauſa inadæquata concurrere ſimul cum lumine gloriæ ad productionem viſionis beatificæ, quæ, cum ſit ſupernaturalis, ſuperioris eſt ordinis; ita etiam poterit phantaſma corporeum ſimul cum intellectu agente efficiẽter concurrere ad ſpeciem ſpiritualem tanquam cauſa inadæquata illius. Eodem modo explicandus eſt Aug. loco citato, vbi non negat, rem materialem poſſe aliquid efficere in ſubiecto ſpirituali, tanquam cauſam inadæquatam eleuatam ab alia concauſa ſpirituali; ſed ſolum negat, id poſſe efficere, tanquam cauſam totalem, & adæquatam.

13 Obijcies 2. ſpecies intelligibilis ſolum exercet munus conditionis applicantis obiectum intellectui poſſibili, vt iſte tanquam cauſa adæquata efficiat intellectionem, vt probatum eſt; diſp. 7. ergo & phantaſma exercebit munus ſolum conditionis applicantis obiectum intellectui agenti, vt iſte tanquam cauſa adæquata efficiat ſpeciem intelligibilem in intellectu poſſibili. Conceſſo antecedente, nego cõſequentiam. Ratio diſparitatis eſt: quia intellectus poſſibilis in ſententia omniũ eſt productiuus intellectionis formaliter, vt talis; deinde in ipſa intellectione nulla eſt formalitas exigens aliam concauſam efficiẽtem, vt probauimus in prædicto loco, & ideo neceſſarium eſt, quod intellectus poſſibilis ſit cauſa adæquata intellectionis : at vero intellectus agens non diceretur eſſe cauſa ſpeciei intelligibilis, ſi hæc eſſet ſpiritualis, & propterea non eſt fundamentum, vt tribuatur virtus adæquate productiua reliquarum forma-

talis ſpeciei; ſed hæ pertinebunt ad phantaſma, cuius muneris eſſet ſpeciem adæquate producere, ſi non eſſet ſpiritualis.

14 Dico 3. phantaſma concurrit ad ſpeciem intelligibilem vt cauſa principalis inadæquata. Hæc concluſio conſtat ex dictis in Phyſ. diſp. 13. ſect. 5. vbi probauimus, eam eſſe cauſam principalē inadæquatam, quæ ita concurrit immediate ad effectum, vt aliqua formalitas huius illi reſpōdeat: ſed phantaſmati reſpondet aliqua formalitas ſpeciei intelligibilis, vt probatum eſt: ergo ea eſt cauſa principalis inadæquata talis ſpeciei. Quod ſi D. Tho. aliquibus in locis dixit, phantaſma concurrere ad productionem ſpeciei intelligibilis, vt inſtrumentū intellectus agentis, explicandus eſt de inſtrumento, nō ſtricte ſumto, quia hoc in ſententia Angelici Doctoris, vt ibidem probauimus, eſt id, quod producitur præuium ad effectum principalem: ſed illud vocat inſtrumentum late, quia videlicet concurrit ad effectum ſuperioris ordinis.

Nonnulla conſectaria.

15 EX dictis infero 1. quo ſenſu communiter dicatur intellectus agens tum illuminare phantaſmata, tū ſpecies ex phantaſmatibus abſtrahere? Primum dicitur, non quia intellectus lumen aliquod in phantaſmatibus producat neque enim [illegible]gi poteſt, quale eſſet hoc lumen, aut quod munus exerceret; ſed ideo dicitur, quia dum intellectus agens cum phantaſmatibus concurrit ad productionem ſpeciei intelligibilis, eſt in cauſa, vt phantaſma manifeſtet intellectui ſuum obiectum media ſpecie intelligibili: quod quidem præſtare nō poterat per ſe ipſum. Et in hoc ſenſu explicandus eſt Ariſt. 3. de An. tex. 18. vbi ait, intellectum agentem ſe habere ad obiectum, ſicut lumen ad colores: nam ſicut colores non poſſunt ſpeciem ſui producere in potentia, niſi lumine adiuti, vt dictum eſt diſp. 10. n. 34. ita neque obiectum intelligibile poteſt medio phantaſmate ſpeciem ſui producere in intellectu poſsibili, niſi adiutum ab intellectu agente. Secundum vero dicitur, quia intellectus agens producit ſpecies intelligibiles ſimiles quidē phantaſmatibus in repræſentādo, quia repræſentant idem obiectum; diſſimiles tamen in materialitate, quia ſunt ſpirituales, ac per conſequens à materiâ abſtractæ.

16 Infero 2. intellectum agētem non diſtingui realiter à poſſibili; tum quia potentiæ ſpirituales, quales ſunt intellectus agens, & poſsibilis non diſtinguūtur realiter ab anima, vt probatum eſt diſp. 6. ſect. 2. ergo neque diſtinguuntur realiter inter ſe iuxta commune principium; *quæ ſunt eadem vni tertiò, ſunt eadem inter ſe*: tum etiam, quia, licèt potentiæ diſtinguantur realiter ab anima, intellectus agens ad

ad id ſolum admittitur, vt detur cauſa ſpiritualis ex parte animæ, cui reſpondere poſsit ſpiritualitas ſpeciei intelligibilis: ſed intellectus poſsibilis eſt ſpiritualis: ergo illi reſpondebit ſpiritualitas ſpeciei, & non erit neceſſarium addere aliam cauſam.

17 Infero 3. intellectum agẽtem, & poſsibilem, vt tales diſtingui formaliter tanquam conceptus mutuo ſe excludentes: quia intellectus agens formaliter vt talis eſt productiuus ſpeciei intelligibilis; intellectus vero poſsibilis eſt productiuus intellectionis: ergo habent diuerſos effectus, per ordinem ad quos formaliter diſtingui poſsint. Deinde mutuo ſe excludunt hæ formalitates: quia poteſt concipi intellectus vt productiuus ſpeciei intelligibilis, quin concipiatur vt productiuus intellectionis; & è contrà poteſt concipi vt productiuus intellectionis, quin concipiatur vt productiuus ſpeciei intelligibilis: ergo mutuo ſe excludunt iſti conceptus. In hunc ſenſum explica Ariſt. & S. Tho. dum dicunt, intellectum agentem, & poſsibilem eſſe potentias diuerſas: intelligendi enim ſunt de diuerſitate non reali; ſed rationis.

18 Infero 4. quo ſenſu ſit verum id, quod docet Ariſtot. 3. de An. text. 30. & 39. nempe, *animam non poſſe intelligere, aut intellectu aliquid ſpeculari, niſi dependenter à phantaſmatibus*: & enim, ſi ſermo ſit de prima intellectione alicuius obiecti, albedinis v. gr. eatenus eſt verum id, quod dicit Ariſtot; quatenus intellectus non poteſt ſpeciem intelligibilem habere, niſi dependenter à phantaſmate, quod ſimul cum intellectu agente talem ſpeciem producit in ipſo intellectu poſsibili (de quo loquitur Ariſt. citatis locis) vel aliam alterius obiecti ita connexi cum albedine, vt ex eius cognitione deueniat intellectus per diſcurſum in cognitionem ipſius albedinis. Si vero ſermo ſit de intellectione, per quam intellectus recordatur albedinis antea cognitæ, eatenus eſt verum id, quod dicit Ariſtot. quatenus intellectus non poteſt albedinis antea cognitæ recordari, niſi excitetur ſpecies intelligibilis ipſius albedinis reſeruata in memoria intellectiua.

19 Talis autem ſpecies excitari nequit pro hoc ſtatu, niſi per phantaſmata. Quod quidẽ ex eo colligitur, quod, ſi organum phãtaſmatis læditur, nullatenus, vel ſaltem ægre, & inordinate præteritorum recordamur, quod ita non contingeret, ſi ſpecies in memoria intellectuali reſeruatæ excitari poſſent pro hoc ſtatu independenter à phantaſmatibus, vt ex ſe conſtat. Poſſunt tamen ſpecies intelligibiles albedinis antea cognitæ excitari dupliciter per phantaſmata. Primò, ſi detur iterum phantaſma eiuſdem albedinis; hoc enim denuo intendit ſpeciẽ intelligibilẽ ipſius albedinis antea productam

in

in intellectu, qua noua intenſione excitatur, vt ſimul cum intellectu iterum eliciat cognitionem ipſius albedinis, Secundò, ſi detur phantaſma alterius obiecti ita connexi cum albedine, vt ex illius cognitione ſpecies albedinis excitetur propter connexionem talis obiecti cogniti cum albedine.

20 Obijcies: non habet maiorem connexionem intellectus cũ phantaſia, quam hęc cum ſenſu externo: ſed phantaſia poteſt recordari obiecti anteá cogniti abſque nouo actu ſenſus externi: ergo & intellectus ſine nouo phantaſmate, quod eſt actus phantaſiæ. Diſtinguo maiorem: non habet maiorem connexionem intellectus cum phantaſia, quoad primam cognitionem obiecti, cócedo: quoad recordationem obiecti antea cogniti, nego maiorē. Itaq; intellectus quoad primam cognitionem obiecti non habet maiorem cónexionem, ſeu dependentiam, imo minorem habet à phantaſia, quam hæc á ſenſu externo, cum phantaſia non poteſt obiectum aliquod primo attingere, niſi prius ſenſatum hoc ſit per ſenſum aliquẽ externum: at vero intellectus poteſt attingere obiectum non cognitũ per phantaſiam, quia ex his, quæ præuio phantaſmate inſorum nouit, poteſt per diſcurſum deueni re in cognitionem aliorum, quæ ſub phantaſiæ obiectum cadere non poſſunt.

21 Cæterum circa recordationem obiecti antea cogniti maiorem connexionem habet intellectus cum phantaſia, quam hæc cum ſenſu externo; quia, cum ſpecies phantaſiæ non ſolum ſubiectentur in organo ipſius phantaſiæ; ſed etiam in ſpiritibus animalibus, quæ per totum cerebrum diuagantur, (vt diximus diſp. 11. n. 15.) poteſt ſpecies reſeruata in phantaſia excitari non ſolum per iteratam ſenſationem externam ſui obiecti; ſed etiam per ſpiritus animales, in quibus reſeruantur etiam ſpecies eiuſdem obiecti: quia hi, dum innata vi, vel ab agẽte aliquo externo concitati impinguntur in organum phantaſiæ, excitant in ipſa phantaſia ſpeciẽ obiecti, quam antea in ſe ſuſceptam reſeruarunt: at vero ſpecies intelligibiles vt pote ſpirituales recipiũtur ſolum in anima, & ideo non poſſunt aliter excitari, niſi vel per phantaſma ſui obiecti, vel alterius cum illo connexi: & propterea nunquam datur in intellectu recordatio obiecti, quin præcedat phantaſma eiuſdem, vel alterius cum illo connexi.

22 Dices: anima in ſtatu ſeparationis per ſpecies, quas acquiſiuit in corpore recordatur obiectorum, quæ nouit in ipſo corpore, & tamen nullum ibi præcedit phantaſma talium obiectorum: ergo non pendet intellectus à phantaſmate, quoad recordationem obiecti antea cogniti. Concesso antecedente, diſtinguo cóſequẽs: non pendet à phantaſmate in ſtatu ſeparationis animæ à corpore, concedo: in ſtatu coniunctionis cum corpore, nego conſequentiam,

tiam; quia ſicut anima in ſtatu ſeparationis loco vnionis, quam habebat cum corpore, habet quendam modum perſeitatis, quo completur in ſuo eſſe in ordine ad operationes eliciendas in eo ſtatu, vt dicemus infra; ita etiam loco phantaſmatis excitantis ſpecies animæ in ſtatu cōiunctionis habet in ſtatu ſeparationis alium modū excitandi tales ſpecies ſimilem modo, quo ſpecies Angelorū excitantur, de quo in materia de Angelis.

SECTIO II.
De Intellectu poſsibili.

23 Intellectus poſsibilis eſt, qui ſimpliciter, & abſolute ſignificari ſolet nomine *Intellectus*, & definitur *Potentia cognoſcitiua ſpiritualis.* Per τὸ *cognoſcitiua*, differt à potentijs appetitiuis, voluntate videlicet, & à ppetitu ſenſitiuo. Per vltimam particulam differt ab omnibus ſenſibus tam internis, quam externis, qui licet ſint cognoſcitiui; non tamen ſunt ſpirituales; ſed materiales: vnde repugnat intellectus, qui non ſit immaterialis. Intellectus datur in Deo, Angelis, & hominibus. In præſenti verò noſtri muneris eſt agere ſolū de intellectu hominis.

24 Et 1. certum eſt, in ſingulis hominibus dari ſingulos intellectus, etiamſi potentiæ ab anima diſtinguātur: videmus enim hunc hominem aſſentire huic obiecto; alium verò eidem obiecto diſſentire; quod eſſe non poſſet, ſi vtrique idem ineſſet intellectus, quia aſſenſus, & diſſenſus circa idem obiectum ſunt contrarij; & ideo non poſſunt ſaltem naturaliter ſimul oriri ab eodē intellectu. Secundò: quia intellectus eſt paſsio animæ: ergo multiplicari debet ad multiplicationē animæ. Certū eſt 2. intellectū comitari animā in quacunq; corporis parte. Ratio eſt: quia intellectus eſt paſsio per ſe ex natura rei conſequens animam ſecundum ſe independēter à quauis corporis diſpoſitione, ſeu ab aliquo alio extrinſeco: ergo vbicunque ipſa anima fuerit ex natura rei, habebit intellectum, etiamſi iſte diſtinguatur realiter ab anima. Confirmatur: quia anima ſe ſola producit in ſe ipſa ſuas potentias, ſi hæ realiter diſtinguantur ab illa: ſed vbicunque eſt anima ex natura rei, habet virtutem productiuam potētiarum cum omnibus requiſitis ad illas producēdas: ergo vbicūque fuerit, eas producet ex natura rei.

25 Sed rogas: an etiam intellectio detur in quauis corporis parte, ſicut intellectus? Reſpōdeo ſolum in cerebro. Eſt communis philoſophorum ſententia; & nititur experientiâ, qua nimus, quod dum nimio conatu intendimus ad aliquod obiectum, caput ſolum fatigatur; non verò reliquæ partes corporis: ergo in ſolo capite exercetur intellectio, & non in reliquis partibus. Patet conſequentia: quia ſi in reliquis exerceretur, nō eſſet, cur nimiâ attentions

tione non laborarent, ſicut caput laborat?

26 Et ratio à priori eſt: quia intellectio in ea ſolùm parte datur, in qua datur ſpecies intelligibilis à phantaſmate producta; ſed ſpecies intelligibilis datur ſolùm in cerebro: ergo & intellectio. Maior eſt certa: quia, ſicut intellectio non producitur, niſi præuiâ ſpecie intelligibili tanquam conditione applicante obiectum intellectui, ita neque produci debet, niſi vbi eſt ipſa ſpecies applicans tale obiectum. Minor probatur: quia ſpecies intelligibilis in ea ſolum parte datur, in qua producitur à phantaſmate: hoc autem ſolum illam producit in cerebro, nam agens corporeum, licet poſſit diuerſas partes ſui effectus producere in diuerſis partibus ſpatij, etiamſi non ſit omnibus immediatè applicatum, vt conſtat ex dictis in lib. de Gen. diſp. 3. ſect. 4. tamen concedendum non eſt, poſſe vnũ, & eundem omnino effectum repetitâ actione producere in pluribus ſpatijs, ita vt totum producat in ſingulis, ſeu in ſingulis partibus vnius ſpatij, niſi ſingulis immediatè applicatum ſit; id enim vires agentis corporei excedere quis non videat? ſed phantaſma non eſt immediatè applicatum ſingulis partibus corporis, cum in ſolo cerebro detur diſpoſitio ad illud requiſita: ergo concedendum non eſt producere in omnibus ſpeciem intelligibilẽ, quæ vt eandem intellectionem in ſingulis produceret, deberet eſſe ſecundum ſe totam in ſingulis.

27 Hinc ſumitur ratio, cur intellectus comitetur animam in quauis corporis parte, ſecus ſpecies intelligibilis, & intellectio: quia videlicet intellectus, cum à ſolâ animâ producatur independenter à quocunque extrinſeco; & ipſa anima, vbicunque eſt, habeat virtutem ad intellectũ producendum, nihil eſt, quod impedire poſſit, ne intellectum producat, vbicunque fuerit ex natura rei: at verò ſpecies intelligibilis producitur à phantaſmate, quod, cum non ſit in omnibus partibus corporis; ſed ſolũ in cerebro, ibi ſolùm illam producit, & mediâ illâ intellectionem, vt dictum eſt.

28 Obijcies: intellectio eſt in intellectu, ſed intellectus eſt in omnibus partibus corporis: ergo & intellectio. Mala conſequentia: alioqui ſimili argumento probaretur humanitatẽ Chriſti Domini eſſe vbique: quia humanitas Chriſti Domini eſt vnita Verbo Diuino: ſed Verbum Diuinum eſt vbique: ergo & humanitas Chriſti Domini. Conſequens autem eſt hæreticum: ergo non bene infertur ex antecedente. Ad obiectionem ergo, conceſſa maiori, & minori propoſitione, nego conſequentiam: quia intellectio pendet à phantaſmate mediâ ſpecie intelligibili: cum autem phantaſma non poſſit concurrere ad productionem ſpeciei intelligibilis in quauis corpo-

corporis parte, vt probatum eſt num. 27. ſit, vt neque intellectio poſsit eſſe in quauis corporis parte.

29 Inſtabis: phantaſmata, licet ſint corporea, concurrunt ſimul cum intellectu agente ſpirituali ad producendam ſpeciem ſpiritualem: ergo, licet non ſint, niſi in vna parte corporis, poſſunt ſimul cum intellectu agente, qui eſt in omnibus partibus corporis, concurrere ad producendam ſpeciem intelligibilem in ſingulis. Conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt: quia intellectus agens non cõcurrit de facto, niſi ad ſpeciem, ad quam phantaſmata intellectum determinant: phantaſmata autem intellectum determinant ad ſpeciem ſui obiecti, quæ, cum eſſe debeat ſpiritualis, non poteſt produci ſine conſortio intellectus ſpiritualis; non verò determinant intellectum ad producendam ſpeciem talem in omnibus, & ſingulis partibus corporis: quia, cum ex ſe non petant eam producere in partibus, quibus immediate non ſunt applicata, non eſt, cur tribuendus ſit illi concurſus ipſius intellectus ad eam in ſingulis partibus producendam.

30 Vrgebis: ſpecies intelligibilis neque pendet in conſeruari à phantaſmate, hoc enim pereunte conſeruatur illa; neque ab aliqua corporis diſpoſitione, corruptâ enim vnione animæ cum corpore perſeuerat ſpecies intelligibilis in anima ſeparata: ergo nihil eſt, quod impedire poſsit, ne ſpecies intelligibilis, corrupto phantaſmate, comitetur animam, vbicunque fuerit. Nego conſequẽtiam; quia, licet ſpecies non dependeat in conſeruari à phantaſmate, aut ab aliquo alio corporeo, dependet tamen ab illo in operari, dum anima eſt coniuncta corpori, quia pro hoc ſtatu ſpecies intelligibilis ſemel acquiſita non poteſt excitari ad operandum, niſi præuio aliquo phantaſmate, vt dicebamus ſection. 1. Hinc eſt, quod, ſicut non poteſt ſpecies primò produci, niſi in ea parte, in qua eſt phantaſma propter rationem traditam num. 26. ita neque excitari, aut operari poteſt in poſterum, niſi in eadem parte propter eandem rationem: ac per conſequens neque eſſe, aut conſeruari poteſt, niſi in ea parte, quandoquidem eſſe, & conſeruari eſt propter operari. Si verò anima ſeparata à corpore in pluribus locis poneretur, in omnibus haberet ſpecies intelligibiles: quia, cum in eo ſtatu non pendeant tales ſpecies in conſeruari, aut in operari à phantaſmate, aut ab aliquo alio extrinſeco exiſtente in vno tantum loco, non eſſet, cur non comitarentur animam in omnibus locis iuxta doctrinam traditam in Phyſic. diſp. 22. ſectio. 7.

De Obiecto intellectus.

31 QVod ad obiectum intellectus attinet, certum eſt, obiectum *terminatiuum* intellectus adæquatum (obiectum *terminatiuum* intellectus voco, quidquid repræſentatur per actus ipſius intellectus, id enim dicitur eſſe obiectum *terminans* ipſum intellectum) eſſe ens in tota ſua latitudine, prout comprehendit ens reale, & rationis; ſpirituale, & corporeum; ſubſtantiale, & accidentale; ſingulare, & vniuerſale, imò & negatio entis includitur intra latitudinē obiecti terminatiui intellectus. Hoc aſſertum conſtat experientiâ: quia de his omnibus habemus apprehenſiones, formamus iudicia, & deducimus concluſiones, quandoquidem de his omnibus diſputamus, quod præſtare non poſſemus, niſi per tales actus ea attingeremus. Communiter verò dici ſolet, *ens vt verum* eſſe obiectum intellectus: poteſt tamen *verum* ſumi fundamentaliter, & formaliter. Fundamentaliter ſumptum nihil aliud eſt, niſi ipſa entitas, quæ ex ſe eſt cognoſcibilis per cognitionem veram: formaliter verò eſt ipſa entitas prout cognoſcibilis per veram cognitionem, hoc eſt, prout extrinſece denominata à cognitione verâ *vere cognoſcibilis*, in quo autem conſiſtat veritas cognitionis, dicemus infra.

32 Certum autem eſt, obiectum, quod hic dicitur terminatiuum intellectus, non eſſe verum formaliter ſumptū: alioqui, cum *verum* hac ratione ſumptū inuoluat cognitionem tanquam formam, vel connotatum conſtituens ens formaliter verum, nunquam intellectus cognoſceret obiectum, quin ſimul cum illo cognoſceret cognitionem, per quam conſtituitur, formaliter verum, & cognoſcibile: quod quidem eſt contra experientiam, & aperte falſum. Obiectum ergo intellectus terminatiuum eſt verum fundamentaliter ſumptū, hoc eſt, ens, quod ex ſe eſt cognoſcibile per actus veros, quia id eſt, quod repræſentatur per intellectum, & in quod terminatur eius actio. Hæc doctrina expreſſe traditur à S. Thoma 1. part. quæſtion. 16. artic. 3. ad 3. & ſubſcribunt Caietan. ibi, & P. Vazquez circa eam quæſtion. diſput. 77. capit. 5. numer. 14. imò & quando ens vt cognitum per cognitionem veram cognoſcitur per aliam cognitionem reflexam, licet, prout eſt cognitum per primam cognitionem, ſit verum formaliter, at concretum illud ex ipſo ente, & prima cognitione reſultans, ſi comparetur cum ſecunda cognitione reflexa, eſt verum fundamentaliter ſumptum, quia eſt id, quod vere poteſt attingi per talem cognitionem reflexam.

33 Hinc

33 Hinc colliges 1. quod, dũ communiter dici ſolet, obiectum terminatiuum intellectus eſſe *verum*, nihil aliud ſignificatur, niſi quod ſit ens ſecũdum ſe, quia ens ſecundum ſe eſt, quod reuera dici tur *verum* fundamentaliter ſumptum; id, quod clare tradit Aug. in lib. Sol. vbi agens de vero trã ſcendentali, reprobatis alijs eius definitionibus, hanc ſolam approbauit, *verum eſt id, quod eſt*. Colliges 2. veritatem, & bonitatem tranſcendentalem entis non diſtingui formaliter per actus intellectus, & voluntatis, per quos directe cognoſcitur, & amatur ipſum ens; ſed per actus quoſdam reflexos intellectus, quibus ens cognoſcitur vt cognoſcibile, & amabile per actus directos. Vnde actus directi intellectus, & voluntatis non ſupponunt veritatem, & bonitatem entis formaliter diſtinctas, vt ferantur in illas prout formaliter diſtinctas; ſed ſunt fundamentum ad hoc, vt intellectus per actus reflexos illas diſtinguat per ordinem ad ipſos actus directos tanquam ad connotata diuerſa. Colliges 3. ex parte entis terminantis cognitionem veram, non eſſe neceſſariò diſtinguendas entitatem, & veritatem, quarum illa ſe habeat, vt obiectum materiale, & iſta vt obiectum formale terminatiuum: quia, vt ex dictis conſtat, ipſa entitas formaliter ſecundum ſe eſt veritas fundamentalis, quæ immediatè terminat actus directos intellectus.

34 Obijcies: ex eo ens vt verum fundamentaliter eſt obiectũ terminatiuum intellectus, quia ex ſe eſt cognoſcibile per actus veros; ſed etiã eſt cognoſcibile per actus falſos: ergo vt falſum fundamentaliter eſt etiam obiectum terminatiuum intellectus. Minor probatur: quia homo non ſolùm poteſt cognoſci per actum verũ, quo repræſentetur eſſe animal; ſed etiam per actum falſum, quo repræſentetur eſſe equũ: ergo, &c. Nego minorem. Ad probationẽ dico, quod, quando affirmatur, *hominem eſſe equum*, ea cognitio non terminatur ad entitates hominis, & equi ſecũdũ ſe, ſed prout identificatas realiter inter ſe: idẽtitas autem realis non datur in illis entitatibus; ſed fingitur ab intellectu, & ideo ea cognitio nõ terminatur ad cognoſcibilitatẽ, quæ datur ex parte ipſarũ entitatum realium; ſed ad eam, quam fingit intellectus in illis. En qua ratione ens, quatenus eſt ex parte ſui, non ſit cognoſcibile per actus falſos; ac per cõſequens, neque fundamentaliter, aut radicaliter falſum.

35 Et ratio à priori eſt: quia cognoſcibilitas intrinſeca cuiuſlibet entis nihil aliud eſt, niſi ſua met entitas: ergo, ſi iuxta ſuam cognoſcibilitatem cognoſcatur, nihil aliud cognoſcetur, niſi ſua entitas: ſed, ſi nihil aliud cognoſcatur, niſi ſua entitas, erit ſemper cognitio vera; quia conformabitur ſuo obiecto, vt eſt à parte rei: ergo ens reale, quatenus eſt

ex parte ſui, nõ poteſt cognoſci, niſi per cognitionẽ veram. Quod verò aliquãdo per falſam cognitionem attingatur, prouenit ex defectu potẽtię intellectiuæ, quę, cum decipiatur circa ſuum obiectũ, fingit in illo, quod reuera nõ eſt. Vnde colliges, *auricbalcum* non dici aurũ falſum, quia ipſum ex ſe eſt cognoſcibile per actũ falſum; ſed quia intellect⁹ frequẽter decipitur circa illud putans eſſe aurũ, cum reuera aurum non ſit.

36 Duo hic aduerterim. Primum eſt duplicem actum diſtingui poſſe in intellectu, aſſenſum videlicet, & diſſenſum. *Aſſenſum* hic voco actum, quo res cognoſcitur eſſe; *Diſſenſum* verò actum, quo res cognoſcitur non eſſe, de quorum natura agemus infra. Intellectus autem tendit in verum nõ per diſſenſũ; ſed per aſſenſum: quia, cum verum iuxta ſupra dicta ſit ens, quod terminare poteſt cognitionem veram, ille ſolum actus tendet in verum, qui cognoſcit ens, ſeu rem eſſe: atqui talis actus eſt aſſenſus: ergo, &c. Diſſenſus verò dicitur tendere in falſum, quia, cum neget rem eſſe, verſatur circa negationem, quæ quidem falſa dicitur, vel quia eſt deſtructio entis, quod eſt verum (ad eum modum, quo negatio dicitur malum naturæ, quia deſtruit entitatem, quæ eſt bonum naturæ) vel quia decipitur intellectus circa illam, dum illam apprehendit, ac ſi eſſet forma poſitiua: ad eum modum, quo aurichalcum dici ſolet aurum falſum, quia, cum non ſit vere aurum, decipitur intellectus circa illud dũ putat eſſe verum aurum. Id traditur ab Ariſt. apud P. Vazq. 1. p. diſp. 77. cap. 4. num. 12. vbi ſic verba Philoſophi adducit ex 5. Meta. cap. 29. *Res itaque falſæ dicuntur, aut, eo quod non ſunt* (hoc eſt quia datur negatio, ſeu deſtructio illarum) *aut, eo quod phantaſia ab eis facta non entis eſt*, hoc eſt, quia phantaſia decipitur circa illas, dum eas conſiderat ad modum entis.

37 Secundò aduerto, intellectum adhuc per aſſenſum non ſemper tendere in verum realiter; ſed in verum realiter, vel apparenter, quia quando decipitur intellectus præbẽdo aſſenſum obiecto apparenti eſſe, quod nõ eſt, reuera non cognoſcit id, quod realiter eſt verũ; ſed id quod illi apparet verum: ergo non ſolum aſſenſum præbet obiecto realiter vero; ſed etiam illi, quod apparenter eſt verum. Eſt tamen neceſſarium ad aſſenſum, quod obiectum appareat verum, vt intellectus tendat in illud ratione veritatis, quæ eſt proprium obiectũ aſſenſus: ſicut ad hoc, vt voluntas tendat per actum proſecutionis in aliquod obiectum, eſt neceſſarium, quod hoc ſit bonum, vel ſaltẽ vt tale appareat, quia bonitas eſt obiectum proſecutionis. Hinc intelliges, qua ratione comparentur ad noſtrum intellectũ ens reale, & ens rationis: illud enim cum reuera habeat entitatẽ realem, reuera habet ratione ſui veritatem

Digitized by Google

ritatem fundamentalem, & propterea directè, & ratione ſui eſt obiectũ intellectus; at verò ens rationis, cum non habeat entitatẽ realem, non habet reuera veritatem; ſed apparenter, & ideo indirectè ſolum, & ſecundario pertinet ad obiectũ intellectus ratione ſimilitudinis, & analogiæ, quam habet cum veritate entis realis.

SECTIO III.

De Specificatione actuum intellectus.

38 DIximus diſput. 6. ſect. 4. quamlibet potentiam vitalem extrinſece ſpecificari (iam ibi explicuimus, quid ſit vnum ſpecificari extrinſece ab alio) immediatè ab actibus adæquatis, hoc eſt, à collectione omnium actuum, quos poteſt elicere; & mediate ab obiecto adæquato, hoc eſt, à collectione omniũ obiectorũ, quæ poteſt attingere per ſuos actus. Hinc conſtat 1. potentiã intellectiuam immediatè ſpecificari à collectione omnium ſuorũ actuum, & mediatè ab ente in tota ſua latitudine, & à negatione entis. Conſtat 2. qua ratione intelligendum ſit id, quod docent communiter philoſophi, nempè intellectum ſpecificari ab ente vt intelligibili, & verò: vel enim loquuntur de intelligibili, & vero fundamentaliter ſumpto, vel formaliter ſumpto. Si loquãtur primo modo, intelligẽdi ſunt de ſpecificatiuo remoto: quia intelligibile, & verum ſic ſumptum, nihil aliud eſt, quam ipſa entitas obiecti, in quam tẽdit intellectus per ſuos actus; ſpecificatur autem intellectus remote ab obiecto, vt dictum eſt. Si verò loquantur ſecundo modo, intelligendi ſunt de ſpecificatiuo proximo: quia intelligibile, & verũ formaliter ſumptum eſt ipſum obiectum prout denominatum ab intellectionibus, ſeu actibus intellectus veris, à quibus proximè ſpecificatur intellectus iuxta dicta.

39 In præſenti ergo inueſtiganda ſunt ſpecificatiua extrinſeca actuum intellectus, vt inde clarius nobis innoteſcat natura ipſius intellectus. Cæterũ in actibus intellectus duo inueniuntur (vt probabimus diſp. ſeq.) Species videlicet expreſſa, quæ eſt qualitas quędam, per quam intellectui expreſſe repræſentatur obiectum: deinde inuenitur actio, per quam talis qualitas producitur in ipſo intellectu. In præſenti ergo nõ loquimur de ſpecificatiuo actionis; ſed de ſpecificatiuo ſpeciei expreſſæ, quæ communiter appellari ſolet actus intellectus. Specificatiuũ autem appellamus totũ illud, à quo extrinſece ſumitur prædicatũ aliquod eſſentiale, ſiue ſit ſpeciei infimæ, ſiue ſubalternæ. Quod verò dixerimus de ſpecificatione actuum intellectus, dictum puta de ſpecificatione actuum voluntatis, & aliarum potentiarum, de quibus non nihil etiam attingemus.

40 Pro deciſione obſeruo 1. quemlibet actum intellectus ex natura ſua verſari circa aliquod obie-

obiectum: eſt enim ex natura ſua repræſentatio actualis obiecti. Porro obiectū poteſt eſſe duplex materiale, videlicet, & formale. *Materiale* eſt, quod attingitur ratione alterius: *Formale* vero eſt ratio attingendi aliud. Exemplū vtriuſque inuenitur in aſſenſu Fidei, quo propter teſtimoniū Dei credo Chriſtum eſſe mortuū: obiectū enim materiale huius actus eſt, *Chriſtum eſſe mortuum*; quia credo hanc veritatē propter Diuinum teſtimoniū: obiectum verò formale eſt ipſum *teſtimonium Diuinum*; quia eſt ratio attingendi talem veritatem.

41 Rurſus obiectum materiale poteſt eſſe *proximum*, & remotum. *Proximū* eſt, quod licet ratione alterius attingatur; immediatè tamen attingitur per actū: vt cōtingit in prædicto aſſenſu Fidei, quo propter teſtimoniū Dei credo Chriſtum eſſe mortuū; talis enim aſſenſus non ſolum repræſentat immediatè teſtimonium Dei; ſed etiam mortē Chriſti Domini, quia ea eſt, quæ expreſſe creditur propter teſtimoniū Dei. *Remotum* eſt, quod non attingitur immediatè ab actu; ſed ſolum dicitur attingi, quia immediatè attingitur aliud, quod eſt coniunctum cum illo: talis eſt paries reſpectu viſionis albedinis in illo exiſtentis, neque enim viſio attingit immediatè parietem; ſed ſolùm dicitur paries videri, quia albedo immediatè repræſentata per viſionem eſt in ipſo pariete. Idem eſt de apprehenſione albedinis, quæ immediatè excitatur in intellectu per phantaſma cauſatum à viſione ipſius albedinis.

42 Præterea obiectū formale eſt etiam duplex. Aliud eſt motiuum, ſeu impulſiuum ſolum; aliud terminatiuum. *Terminatiuum* dicitur, quod non ſolum eſt ratio attingendi aliud; ſed ipſum etiam immediatè attingitur per actum, vt contingit in teſtimonio Diuino reſpectu actus Fidei, quod quidem non ſolum eſt ratio credendi myſteriū reuelatum; ſed ipſum etiam immediatè attingitur, ſeu repræſentatur per actū Fidei. Obiectum formale *motiuum ſolum*, eſt, quod ita mouet ad aliud attingendum, vt ipſum non attingatur immediatè per eundem actū; ſed ſupponatur attactum per aliud: tale eſt obiectum præmiſſarū reſpectu concluſionis, quod quidem cognitum per præmiſſas determinat intellectum, vt aſſentiatur obiecto concluſionis, per quā ipſum obiectum præmiſſarum non attingitur immediatè, vt dicemus infra. Præter hæc eſt aliud genus obiecti, quod ita attingitur per actum, vt neque attingatur ratione alterius, neque ipſum ſit ratio attingendi aliud; & propterea dici non poteſt materiale, aut formale, quia nullius definitio illi conuenit; ſed dicitur obiectum ſimplex. Huiuſmodi obiecta habent ſimplices apprehenſiones, quibus prædicata ſuperiora præſcindimus à ſuis inferioribus; vt, hominem, equum, &c.

43 Ob-

Digitized by Google

43 Obſeruo 2. inter actus, qui verſantur circa idem obiectum, poſſe dari aliquos, qui ex natura ſua exigant oriri ab vno principio; & alios, qui exigant oriri ab alio diuerſæ ſpeciei: v. gr. idem color repræſentari poteſt per ſpeciem expreſſam potentiæ viſiuæ petentem oriri ab ipſa potentia viſiua; & per ſpeciem expreſſam ſenſus interni petentem oriri ab ipſo ſenſu interno, qui in animalibus ſaltem conſtantibus animâ diuiſibili, ſpecie diſtinctus eſt à potentia viſiua. Obſeruo 3. ab eadem potẽtia, & circa idem obiectum poſſe oriri actus diuerſo modo tendentes in ipſum obiectum. Id conſtat in intellectu, qui circa hoc obiectum, *Petrus eſt animal*, poteſt habere apprehenſionem, per quam illud cognoſcat ſine affirmatione, & negatione; & præterea poteſt habere iudicium, per quod illud idem attingat, affirmando prædicatum de ſubiecto. His poſitis.

44 Certum eſt 1. actus intellectus non ſpecificari ab obiecto materiali remoto: quia hoc obiectum non aliter attingi dicitur à cognitione, niſi quia de facto coniunctum eſt cum obiecto mediato ipſius cognitionis: ſed quod de facto coniunctum ſit cum obiecto immediato cognitionis eſt per accidens ad hoc, vt cognitio feratur in ſuum obiectum immediatum: ergo & per accidens attingitur à cognitione, ac per conſequens non poterit ſpecificari ab illa, quia quod ab altero ſpecificatur, per ſe connectitur cum illo. Minorem probo: quia viſio, & apprehenſio albedinis eodem modo feruntur in ipſam albedinem, ſiue hæc ſit in ſubſtantia, ſiue ſeparata ab ipſa ſubſtantia, vt conſtat in albedine hoſtiæ conſecratæ, quæ eodem modo videtur, imo & ſæpe per eandem viſionem, ante conſecrationem, quando coniuncta eſt cum ſubſtantia panis, & poſt conſecrationem, quando ſeparata eſt ab ipſa ſubſtantia panis: ergo viſio, & apprehenſio albedinis omnino per accidẽs feruntur in ſubſtantiam, in qua eſt ipſa albedo.

45 Certum eſt 2. actus intellectus habentes obiecta formalia ſpecificari ab illis, ita vt quotieſcunque obiecta formalia fuerint ſpecie diſtincta, actus in illa tendentes debeant eſſe ſpecie diſtincti. Id eſt ab omnibus admiſſum. Ratio eſt: quia ex diuerſitate ſpecifica obiectorum formaliũ colligere ſolemus diuerſitatem ſpecificam actuum in illa tendentium: ergo ſpecificantur extrinſece ab illis. Patet conſequentia; quia nihil aliud eſt ſpecificari vnum extrinſece ab alio, niſi, quod ita cõnectatur cum illo, vt, ſi hoc ſit ſpecie diſtinctum, illud etiam affirmari debeat ſpecie diſtinctum ab altero, quod connectitur cum alio extremo ſpecie diſtincto. Et ratio à priori eſt: quia res ſpecificãtur extrinſece ab his, ad quæ per ſe ordinantur: ſed actus intellectus habentes obiecta formalia ordinantur per ſe ad illa; imò & primario, tanquam ad terminos,

ratione quorum terminantur ad obiecta materialia: ergo ſpecificantur ab illis. Hinc colliges, actus tendentes in obiecta ſimplicia, quæ non coaleſcunt ex materiali, & formali; vt apprehēſiones hominis, & equi &c. ſpecificari etiam ab illis: quia ea obiecta ſunt id, ad quod perſe, & primario ordinantur tales actus.

46 Certum eſt 3. actus intellectus ſpecificari à modo tendendi in ſua obiecta. Ratio eſt: quia apprehenſio, qua apprehendo hāc propoſitionem, *Quodlibet eſt, vel non eſt*, ſpecie diſtinguitur à iudicio, quo eandem propoſitionem affirmo, vt concedunt omnes, non alia de cauſa, niſi quia illa attingit tale obiectum ſimpliciter ſine affirmatione, aut negatione; hoc vero attingit idem obiectum affirmando prædicatum de ſubiecto: ergo diſtinguuntur ſpecie ex diuerſo modo attingendi, ſeu tendendi in ipſum obiectum.

47 Eſt tamen difficultas: an actus ſpecificētur ab obiectis materialibus proximis, & à principijs producentibus? Circa quam Dico 1. Actus ſpecificantur ab obiectis materialibus proximis, ita vt quotieſcunque obiecta materialia proxima fuerint ſpecie diſtincta, actus in illa tendentes ſint etiam ſpecie diſtincti, licet habeant idem obiectum formale: v.g. habeo vnum actum, quo propter teſtimoniū Dei credo Chriſtum mortuum fuiſſe, & alium quo propter idem teſtimoniū credo, Iudā peccaſſe: iſti actus ſpecie diſtincti ſunt, quia habent obiecta materialia ſpecie diſtincta. Ita P. Suar. in Met. diſp. 48. ſect. 3. nu. 16. vbi ait, actus vitales ſumere ſpeciē ex obiecto, in quod immediate tendunt. Idē docet. Grabr. in Prol. Sent. q. 8. in initio. & OKam. item P. Hurt. hic diſp. 5. n. 41. vbi pro ſe adducit P. Mol. 1. p. q. 1. art. 3. diſp. 3. Probatur concluſio: quia prædicti actus nō ſolū ſunt repręſentationes actuales ſui obiecti formalis, teſtimonij videlicet Diuini; ſed etiā obiecti materialis proximi, nēpe rei reuelatæ: ergo non ſolum dicunt ordinem, & reſpectū intrinſecum ad obiectū formale, ſed etiam ad materiale proximum. Id eſt certum apud omnes: ſed reſpectus tendētes ad terminos ſpecie diſtinctos ſunt ſpecie diſtincti: ergo & actus continentes reſpectus intrinſecos ad obiecta materialia proxima ſpecie diſtincta, ſunt ſpecie diſtincti.

48 Dices, reſpectus eſſe ſpecie diſtinctos, quando tendunt in terminos formales ſpecie diſtinctos; non vero quando tendunt in terminos materiales ſpecie diſtinctos. Sed cōtrà: in primis id gratis omnino dicitur, quia reſpectus tendentes in obiecta materialia ſpecie diuerſa ita ſe habent, vt vnus reuera aliquid attingat ſpecie diſtinctum, ac alius: cur ergo, non diſtinguentur ſpecie? Confirmatur: quia reſpectus tendentes in obiecta materialia ſpecie diuerſa magis diſsidēt inter ſe, quā qui tēdunt in obiecta materialia nu-

me-

mero diuerſa: ſed hi differũt numero; ergo illi differre debẽt ſpecie.

49 Secundo: quia obiectũ materiale, & formale comparantur ad extrinſecã ſpecificationẽ entitatis reſpicientis talia obiecta, ſicut materia, & forma cõparantur ad intrinſecã ſpecificationẽ compoſiti ſubſtãtialis ex illis reſultãtis: ſed cõpoſitũ includens materiã ſpecie diſtinctã à materia alterius eſt ſpecie diſtinctum ab illo, etiamſi vtrunque habeat formam eiuſdẽ ſpeciei: ergo & reſpectus ordinati ad terminos materiales ſpecie diſtinctos erunt ſpecie diſtincti. Minorẽ probo: quia eſſentia cõpoſiti ſubſtãtialis nõ eſt ſola forma; ſed coaleſcit ex materia, & forma vnitis, vt docet S. Tho. opuſc. de ente, & eſſentia cap. 1. & ex ſe patet: quia eſſentia hominis non eſt ſola anima rationalis; ſed etiã materia; alioqui anima ſeparata eſſet homo: ergo cõpoſita includentia materias ſpecie diſtinctas habẽt aliqua prædicata ſpecie diſtincta; ergo ſpecie diſtinguuntur. Patet hæc vltima conſequentiã: quia vt duo aliqua ſpecie differant ſufficit, quod in aliquo prædicato eſſentiali diſsideant, etiãſi in aliquibus conueniant, vt inductione cõſtat. Quod ſi Ariſt. frequenter dicit formã eſſe *quod quid erat eſſe*, ſeu, *quidditatem* cõpoſiti, non ideo dicit, quia ea ſit tota eſſentia compoſiti; quis hoc diceret? ſed quia eſt præcipua pars eſſentiæ, & quæ materiã ex ſe indifferentẽ determinat ad hãc eſſentiã potiùs, quã ad aliã. Eodem modo explica authores, qui abſolute dicunt, ſpecificatiuũ extrinſecũ actuũ eſſe obiectũ formale.

50 Obijcies: ex doctrina tradita infertur, dari actus fidei Diuinæ ſpecie diſtinctos: hoc non eſt admittendũ: ergo neq; illud. Diſtinguo maiorẽ: infertur dari actus fidei Diuinæ ſpecie diſtinctos ratione obiecti formalis, negò: ratione obiecti materialis, concedo maiorẽ. Hoc autẽ nullum eſt inconueniens. Inſtabis: ergo dãtur etiã habitus Fidei ſpecie diſtincti, qui terminẽtur ad actus ſpecie diſtinctos ratione obiecti materialis. Mala conſequentia: neq; enim pro ſingulis actibus diſtingui debẽt ſingula principia, vt experiẽtia conſtat. Et ratio eſt facilis in præſenti: quia habitus Fidei datur intellectui, vt illũ eleuet, & confortet in ordine ad aſſentiendum reuelatis propter Diuinũ teſtimoniũ: cũ autẽ Diuinũ teſtimoniũ ſit idẽ circa omnia reuelata, nõ eſt neceſſariũ multiplicare habitus pro diuerſitate reuelatorum. Dixi Diuinum teſtimoniũ eſſe idẽ circa omnia reuelata; nõ quia Deus vno actu ſingula reuelet; ſed quia omnes reuelationes habent eandem authoritatem, & infallibilitatem.

51 Dico 2. actus exigẽtes principia ſpecie diſtincta ſunt ſpecie diuerſi, etiamſi habeãt idẽ omnino obiectum: v. gr. actus, quo potentia viſiua attingit lucem, & actus, quo ſenſus internus eamdem lucem attingit, ſunt ſpecie diſtincti, non alia de cauſa, niſi quia vnus petit oriri à ſenſu in-

interno, & alius à potentia viſiua, quæ vel ſpecie diſtinguitur à ſenſu interno, vt contingit in animalibus conſtantibus anima diuiſibili in partes hæterogeneas; vel ſaltē determinatur ad productionem actus per ſpeciem impreſſam diuerſæ rationis ab ſpecie impreſſa ſenſus interni. Hæc concluſio eſt communiter recepta inter philoſophos. Probari poteſt rationibus præcedentis concluſionis. Deinde confirmatur: quia omnes philoſophi dicunt, actum, quo ſenſus internus percipit lucem, eſſe ſpecie diſtinctum ab actu, quo potentia viſiua eandem lucem percipit: ſed non eſt, vnde diſtinguantur iſti actus, niſi ex principijs: ergo &c.

52 Dices: prædicti actus habent diuerſa obiecta formalia, quia viſio tendit in lucem vt viſibilem, & actus ſenſus interni in lucem vt ſenſibilem per ipſum ſenſum internum: ergo dantur diuerſa obiecta formalia, à quibus ſpecificari poſsint. Sed contrà: vel iſti actus feruntur in lucem, vt viſibilem, & ſenſibilem formaliter: vel fundamentaliter. Primum dici non poteſt: alioqui viſio videret ſe ipſam, & ſenſatio interna ſe ipſam ſentiret (vt in ſimili dicebamus ſectione præcedente nu. 31. & 32. vbi egimus de obiecto terminatiuo intellectus) quod quidem eſt & contra experientiam, & ſupra perfectionem ſenſationis materialis, vt fatentur omnes. Si dicatur ſecundum? obiectum formale illorum actuum nihil aliud erit, niſi ipſa entitas lucis ſecundum ſe, vt conſtat ex eadem ſectione præcedente: ergo idem erit obiectum formale vtriuſque actus.

53 Obijcies: potentiæ ſpecificantur à ſuis actibus, vt ſupra diximus, & concedunt omnes: deinde actus per nos ſpecificantur à potentijs: ergo admittimus circulum vitioſum in ſpecificatione potentiarum, & actuum. Nego cōſequentiam: quia ad hoc, vt detur circulus vitioſus, nō ſufficit, quod duo mutuo ſe reſpiciant, id enim neceſſarium eſt in omnibus relatiuis mutuis, ſaltem tranſcendentalibus; ſed requiritur, quod reſpectus, ſeu eſſentia vnius explicetur per ordinem ad aliud, cuius eſſentia non ſit aliunde explicata, niſi per ordinem ad illud primum; vt, ſi eſſentia materiæ explicetur per ordinem ad ſolam formam, & eſſentia formæ per ordinem ad ſolam materiam; in hoc enim caſu explicatur ignotū per æque ignotum, quod eſt vitium. At vero quando id, per quod aliquid explicatur eſt aliunde cognitum, ſeu explicatum, & non præciſe per illud, quod per ipſum explicatum eſt, non datur circulus vitioſus. Quod quidem ita contingit in præſenti, quia diſtinctionem ſpecificam potentiæ viſiuæ, & ſenſus interni colligimus ex eo, quod iſte verſatur per ſuos actus circa omnia obiecta ſenſuum externorum; illa vero circa lucem & colorem ſolum; deinde, ſemel cognitā hac diſtinctione ſpecifica po-

ten-

ſentiarum, ex ea colligimus, actus earum ſpecie diſtingui per ordinem ad ipſas, quando idem obiectum repræſentant; in quo nullum committitur vitium, cum eſſentiam potētiarum explicemus per ordinem ad collectionem omniū actuum prout tendentium in obiecta earum adæquata: eſſentiam vero actuum tendentium in idem obiectum non adæquatum; ſed inadæquatum, per ordinem ad potentias.

SECTIO IIII.

An poſſit dari actus naturalis ordinis circa obiectum formale ſupernaturale?

54 Certum eſt apud omnes, poſſe dari actum naturalis ordinis circa obiectum materiale ſupernaturale, ſi motiuum formale illius ſit ordinis naturalis; actus enim, quo credo Deū eſſe Trinū, quia Ioannes mihi dixit, eſt ordinis naturalis in ſententia omniū. Et ratio eſt: quia credere hoc myſterium propter humanum teſtimonium, quod ſecundum ſe eſt fallibile, non excedit vires potentiæ naturalis. Certum eſt 2. circa obiectum formale ſupernaturale dari de facto actum ſupernaturalis ordinis; habemus enim fidem Diuinam ſupernaturalem, qua credimus myſteria noſtræ Fidei ex teſtimonio Diuino: & actū charitatis Dei, quo iuſtificamur, vel ſaltē proxime diſponimur ad iuſtificationem, qui quidem non poteſt non eſſe ſupernaturalis ordinis, vt oſtendunt Theologi.

55 Eſt tamen difficultas; an fieri poſſit, quod de facto detur actus naturalis circa obiectum formale ſupernaturale? Circa quā P. Alarc. 1. part. tract. 1. de Viſ. diſp. 6. cap. 5. §. 3. vbi pro ſe adducit S. Thom. Bañ. Med. P. Vazq. P. Sua. P. Azor. P. Arrub. & P. Turr. docet id eſſe impoſſibile. Præcipua probatio eſt; quia actus ſumit ſuam ſpeciem, & eſſentiam ab obiecto formali: ergo, ſi obiectum formale fuerit ſupernaturale, actus erit ſupernaturalis: Antecedens probatur: quia ex diuerſitate ſpecifica obiecti formalis colligitur diuerſitas ſpecifica actuū. Propter eandem rationem dicit, actum ſupernaturalem non poſſe verſari circa obiectum formale naturale.

56 Hæc tamen ratio eſt infirma; quia actus ſpecificantur ab obiecto formali tanquam ab ſpecificatiuo extrinſeco: ſed non eſt de ratione ſpecificatiui extrinſeci, quod ſuammet ſpeciem communicet rei ſpecificatæ: ergo ex eo, quod obiectum formale ſpecificatiuum actus ſit ſupernaturale, non recte colligitur, actum eſſe ſupernaturalem. Minor eſt certa: quia viſio ſpecificatur à colore, & luce; & tamen non eſt eiuſdem ſpeciei cum ipſis: ergo &c. Confirmatur: quia cognitio, qua Angelus attingit quantitatem, ſpecificatur ab ipſa quantitate: ergo actus ſpiritualis ſpecificatur ab obiecto corporeo, quin corporeitatem ab illo accipiat: ergo non eſt, cur non poſſit actus naturalis

ſpe-

ſpecificari ab obiecto formali ſupernaturali, quin ſupernaturalitatem illius participet. Patet conſequentia: quia, ſi aliquid obſtaret, maxime, quod obiectum formale ſupernaturale eſt diuerſi ordinis, ac actus naturalis: ſed quãtitas naturalis eſt diuerſi ordinis, ac cognitio ſpiritualis Angeli, & nihilominus hæc ſpecificatur ab illa, quin participet eius materialitatem: ego idem poterit contingere in actu naturali reſpectu obiecti formalis ſupernaturalis.

57 Reſpõdet P. Alar. cognitionẽ ſpiritualẽ ſumere prædicatũ genericum ſpiritualitatis à potẽtia ſpirituali, quo impeditur ipſa cognitio, ne ſumat materialitatem à quãtitate, à quâ ſpecificatur: quia prædicatũ genericũ ſpirituale nõ poteſt contrahi ad ſpeciem materialem. Similem doctrinam tradit circa actus, quibus Angelus, & homo clare vident Deum: hi enim actus (ait) à potentijs intellectiuis, à quibus oriuntur, ſumunt diuerſitatem genericam, qua impediuntur, ne ſumant eandem ſpeciem ab eodem obiecto formali; quia quæ ſunt genere diuerſa, non poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei.

58 Hæc reſponſio vim noſtræ rationis non infringit. Primò: quia, ſi poteſt impediri, ne actus tendens in obiectum formale corporeum ſumat ab illo corporcitatem, cur non poterit etiam impediri, ne actus tendens in obiectum formale ſupernaturale ſumat ab illo ſupernaturalitatem? Secundò: quia ideo per te actus tendens in obiectum formale corporeum eſt ſpiritualis, quia à potentia ſpirituali ſumit prædicatum genericum ſpiritualitatis: ergo, ſi actus tendens in obiectum formale ſupernaturale ſumeret à principio naturali prædicatum genericum naturalitatis, poſſet eſſe naturalis ordinis: ſed nihil eſt, quod prohibeat, ne actus tendens in obiectũ formale ſupernaturale ſumat à principio naturali prædicatum genericum naturalitatis: ergo nihil eſt, quod prohibeat, ne detur actus naturalis circa obiectum formale ſupernaturale. Minor probatur: quia non minus diſtat corporeitas ab ſpiritualitate, quàm naturalitas à ſupernaturalitate: ſed per te poteſt actus tendens in obiectum formale corporeum ſumere à potentia ſpirituali prædicatum genericum ſpiritualitatis: ergo & actus tendens in obiectum formale ſupernaturale poterit ſumere à principio naturali prædicatum genericum naturalitatis.

56 Dicendum ergo eſt, actum naturalis ordinis poſſe verſari circa obiectum formale ſupernaturale: v. gr. poteſt quis per actum naturalis ordinis myſteriũ aliquod à Deo reuelatum credere propter Diuinum teſtimonium, quod eſt obiectum formale ſupernaturale. Ita P. Ægid. de Fide diſput. 5. dub. 5. num. 19. vbi adducit P. Mol. in Concord. diſp. 7. præſertim §. *Noſtram ſententiam* inſinit,

&

& diſp. 13. & 14. in qua ipſe P. Molin. fuſe probat, hanc eſſe ſententiam S. Thom. P. Ægidio cõſentiunt, Lorca 2. 2. diſp. 12. ad 4. & tom. 1. de Grat. diſp. 9. P. Salas. 1. 2. tract. 2. quæſt. 5. diſp. 12. ſect. 3. num. 23. P. Hurt. hic diſp. 5. ſect. 5. num. 26. P. Heric. 1. part. tract. 4. diſp. 28. cap. 2. & ſequentibus, Arag. 2. 2. quæſt. 1. art. 1. & P. Granad. 1. 2. contro. 2. tract. 8. diſp. 4. num. 4. in principio, vbi docet vnum, & idem obiectum formale poſſe attingi actibus ſpecie diuerſis, quod ex eo probat, quod eandem bonitatem Dei amare poſſumus amore naturali, & ſupernaturali.

60 Probâtur hæc ſententia: quia naturalitas, ſeu ſupernaturalitas actus ſumitur à principio eliciente talem actum: ergo poteſt dari actus naturalis circa obiectum formale ſupernaturale. Cõſequentia patet: quia ex eo per te poteſt dari intellectio ſpiritualis circa obiectum formale corporeum, quia ſpiritualitas actus ſumitur à potentia: atque adeo, ſi naturalitas actus ſumitur à principio eliciente, non erit, cur non poſsit dari actus naturalis circa obiectum formale ſupernaturale. Antecedens vero probatur: quia iuxta communem Philoſophorũ, & Theologorum ſententiam accidens ſupernaturale definitur, *quod eſt ſupra vires, & exigentiam naturæ*, hoc eſt, quod exigi non poteſt, neque adæquate produci à principio aliquo naturali; ſed neceſſario indiget ad ſui productionem principio aliquo ſupernaturali. Accidens vero naturale, prout diſtinguitur à ſupernaturali, definitur, *quod eſt iuxta vires, ſeu exigentiam naturæ*: hoc eſt, quod exigitur, vel poteſt adæquate produci à principio aliquo naturali: ergo iuxta communem Philoſophorum, & Theologorum ſententiam naturalitas, & ſupernaturalitas actuum ſumitur à principio producẽte. Patet conſequentia: quia ab illo deſumi debet naturalitas, & ſupernaturalitas actuum, per ordinem ad quod eſſentialiter definiuntur. Eodem argumento probatur, poſſe dari actum ſupernaturalis ordinis circa obiectum formale naturale. Alia argumenta omitto, quia Theologica.

61 Dices: actus naturalis ordinis non eſt proportionatus obiecto formali ſupernaturali: ergo non poteſt verſari circa illud. Diſtinguo antecedens: non eſt proportionatus proportione conſtituente illum in eodem ordine cum obiecto formali ſupernaturali, concedo: proportione præciſe requiſitâ inter actum, & obiectum, nego antecedens. Itaque ad hoc, vt actus aliquis cognitionis, verbi gratia verſetur circa aliquod obiectum formale, neceſſarium quidem eſt, quod talem habeat proportionem cum illo, vt illud repræſentet formaliter potentiæ cognoſcenti:

ti: alioqui ſi illud non repræſentaret, non eſſet cognitio illius. Cæterum neceſſarium non eſt, quod illud ita repræſentet, vt ſit eiuſdem ordinis cum illo; ſed poteſt fieri, quod actus inferioris ordinis repræſentet obiectum formale ſuperioris. Id conſtat: quia cognitio ſubſtantiæ, cum ſit accidens, repræſentat ipſam ſubſtantiam, & viſio beatifica hominum, & Angelorum, cum ſit finitæ, & limitatæ perfectionis, attingit tanquam obiectum formale proprium, Deum, vt eſt in ſe, qui eſt infinitæ, & illimitatæ perfectionis: ergo bene poterit actus naturalis ordinis attingere obiectum formale ſupernaturale.

62 Eſt tamen hoc diſcrimen inter actum naturalem attingentem obiectum formale ſupernaturale, & actum ſupernaturalem attingentem idem obiectum formale: v.gr. inter actum naturalem, quo credo propter Diuinum teſtimonium, Chriſtum Dominum mortuum fuiſſe, & actum ſupernaturalem, quo idem credo propter Diuinum teſtimonium, eſt hoc diſcrimen, quod actus fidei ſupernaturalis talem habet cōnexionem cum teſtimonio Diuino reuera exiſtente, vt ſi Deus reuera non reuelaſſet, Chriſtum Dominum fuiſſe mortuum, nullatenus dari poſſet actus ſupernaturalis Fidei circa hoc myſterium, quantumuis prudenter quis exiſtimaret, Deū eam rem teſtificatum fuiſſe: alioqui eſſet falſus talis actus ſupernaturalis, quod repugnat, vt docet commnnis Theologorum ſententia, & apperte ſupponit Tridentinum ſeſsione 6. cap. 9. vbi ait: *cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poſsit ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei conſecutum eſſe*: At vero actus naturalis, quatenus ex ſe eſt, poſſet dari circa tale obiectum formale, etiamſi Deus reuera nunquam tale myſterium reuelaſſet, dummodo is, qui credit, exiſtimaret Deū rē illam reuelaſſe quia actus naturalis nō neceſſario nititur teſtimonio Dei vere exiſtente; ſed vere, vel apparenter, & propterea nō repugnat tali actui, quatenus ex ſe eſt, non cōformari cum ſuo obiecto, vt eſt à parte rei.

63 Hinc fit, eum, qui cognoſceret talē actum naturalem nullatenus cogniturum, eſſe reuera poſsibile obiectum aliquod ſupernaturale; quia, cum talis actus nō connectatur cum obiecto formali ſupernaturali vere exiſtente, ſed ſolum cum obiecto vere, vel apparenter exiſtente, non poteſt ex eo determinate colligi vera exiſtentia, ſeu poſsibilitas talis obiecti; ſed ſolum vera, vel apparens. Fit 2. non poſſe dari cognitionem intuitiuam naturalem obiecti ſupernaturalis: quia, cum viſio intuitiua exigat exiſtentiam ſui obiecti, vt dixi diſp. 9. n. 73. iam in cognitione naturali daretur exigentia exiſtentiæ obiecti ſupernaturalis vt talis, quod pugnat cum ratione accidentis, & obiecti ſupernaturalis; quod quidem in ratione talis debet eſſe ſu-

pra

pra vires, & exigentiam cuiuſcunque entis naturalis. Vide, quę diximus ſupra loco citato.

64 Ad argumentum oppoſitæ ſententię reſpondeo, actum ſumere ſuam eſſentiam, & ſpeciem ab obiecto formali tanquam ab ſpecificatiuo inadæquato: non tamen tanquam ab ſpecificatiuo adæquato. Hinc eſt, quod ſi obiecta formalia ſint ſpecie diſtincta, actus eſſe debeant ſpecies diſtincti: quia in tali caſu iam diſsident in aliquo prædicato eſſentiali, quod ſufficit, vt ſpecie diſtinguantur. Cæterum non erunt eiuſdem ſpeciei ex eo ſolū, quod habeant idem obiectum formale: quia, cum præter obiectum formale ſpecificentur etiam ab obiecto materiali, & principio, ſi hęc ſint ſpecie diſtincta, erunt etiam actus ſpecie diſtincti. Adde, actū ſpecificari ab obiecto formali tanquam ab ſpecificatiuo extrinſeco, & ideo neceſſarium non eſſe, quod ab iſto participet eandem, quam habet, ſpeciem. Vnde ex eo, quod obiectum formale ſit ſupernaturale, non bene infertur, quod actus ab illo ſpecificatus debeat eſſe ſupernaturalis.

65 Obijcies: obiectum formale ſupernaturale eſt ſupra vires, & exigentiam potentiæ naturalis: ergo non poteſt hæc illud attingere per actum naturalem. Patet conſequentia: quia potentia naturalis poteſt proprijs viribus elicere actum naturalem, ac per conſequens poſſet proprijs viribus attingere obiectum formale ſupernaturale, ſi hoc poſſet attingi per actum naturalem: ergo iam tale obiectum non eſſet ſupra vires potentiæ naturalis. Diſtinguo primum antecedens: obiectum formale ſupernaturale eſt ſupra vires, & exigentiam potentiæ naturalis vt attingendum per actum proportionatum, & eiuſdem ordinis cum ipſo, concedo: vt attingendum per actum improportionatum, & inferioris ordinis, nego antecedens. Et deinde nego conſequentiam. Ad probationem, conceſsâ primâ parte antecedentis, diſtinguo id, quod dicitur in ſecunda: poſſet proprijs viribus attingere obiectum formale ſupernaturale per actum tali obiecto proportionatum, & eiuſdem ordinis cum illo, nego: per actum improportionatum, & inferioris ordinis, concedo antecedens.

SECTIO V.

Nonnulla diſcutiuntur circa ordinem, & modum quo intellectus ſua cognoſcit obiecta.

66 Inter obiecta, quæ ex natura rei poteſt intellectus noſter attingere; quædam ſunt ſpiritualia; vt, Deus, Angeli, animus rationalis: quædam corporea; vt, equus, leo. Rurſus tam ex ſpiritualibus, quam ex corporeis quędam ſunt ſubſtantiæ; vt, Angelus, equus: quædam accidentia; vt, intellectio creata, quantitas, color. Præterea ex accidentibus corporeis,

Digitized by Google

poreis alia ſunt ſenſibilia per ſenſus externos; vt, color, ſonus, odor, &c. alia inſenſibilia; vt, quantitas, ſpecies intentionales ſenſuum, &c. denique ex his omnibus, quædam ſunt vniuerſalia; vt, Angelus, equus, quantitas, albedo: quædã ſingularia; vt, Michael, Petrus, hæc numero quantitas, &c. Primo ergo certum eſt, intellectum noſtrũ pro hoc ſtatu prius attingere obiecta corporea, quã ſpiritualia, quia, vt experientiã conſtat, nunquam nouimus res ſpirituales, niſi per cognitionem deductã per diſcurſum ex cognitione rerum corporearum, vel ſaltem ad ſimilitudinem earum: ergo cognitio ſpiritualiũ ſupponit ſemper in nobis cognitionem rerum corporearum. Certum eſt 2. ad cognitionem accidentiũ, quæ per ſenſus percipiuntur, non ſupponi neceſſariò in intellectu noſtro cognitionem alterius obiecti, ex cuius cognitione deueniat in cognitionem illorum. Ratio eſt: quia intellectus immediatè accipit à phantaſmatibus ſpecies proprias horum accidentium, vt dicebamus ſect. 1. quibus proxime determinatur ad eliciendam cognitionem propriam illorum: ergo ad eliciendam horum cognitionẽ non indiget prævia intellectione alterius obiecti.

An intellectus cognoſcat immediatè ſubſtantias corporeas?

67 Ut tamen difficultas 1. An intellectus noſter cognoſcat immediatè non ſolum accidentia ſenſibilia; ſed etiam ſubſtantias corporeas, in quibus ſunt? Eſt dicere; an intellectus à phantaſmatibus accipiat non ſolum ſpecies proprias accidentium ſenſibilium; ſed etiam ſubſtantiarum corporearum, per quas ſpecies immediatè, & æque primo cognoſcantur ipſæ ſubſtantiæ cum prædictis accidentibus? Circa quam prima ſententia affirmat, dari non ſolum in intellectu; ſed etiam in phantaſia ſpecies proprias ſubſtãtiæ corporeæ, per quas immediatè attingatur ipſa ſubſtantia tam à phantaſia, quam ab intellectu: & idem docent de accidẽtibus corporeis non ſenſibilibus per ſenſus externos. Ita Sonzi. 7. Meta. q. 14. P. Fonſe. 2. Meta. cap. 1. q. 2. ſect. 6. & 5. Meta. capit. 28. q. 4. ſect. 4. PP. Connimb. 3. de An. cap. 5. q. 5. art. 1. concl. 2. & 3. & alij. Secunda ſententia affirmat, produci à phantaſmate in intellectu ſpeciem propriam non ſolius ſubſtantiæ, aut ſolius accidentis; ſed totius coniuncti ex vtroque coaleſcentis. Ita P. Tolet. apud P. Rub. infra referendum.

68 Dico 1. phantaſia non habet ſpeciem propriam ſubſtantiæ corporeæ, ſeu totius reſultantis ex ſubſtantia, & accidenti ſenſibili: ita Scot. in 1. diſt. 3. q. 1. & 3. & diſt. 8. q. 2. Hernæus quodlib. 3. quæſt. 12. Valles in lib. de Sacra philoſ. cap. 74. P. Rub. 3. de An. cap. 4 & 5. q. 4 Probatur 1. quia, ſi phantaſia haberet ſpecies proprias ſubſtantiæ corporeæ, ſiue ſumptæ ſeorſim, ſiue ſimul cum

albe-

albedine, v.g. haberemus conceptum proprium illius, ſicut habemus conceptum proprium albedinis; ſed non habemus conceptum proprium ſubſtantiæ, cum ſemper eam concipiamus ad modum alterius rei, vt conſtat experientiâ: ergo non datur in phantaſia ſpecies propria ſubſtantiæ. Secundò: quia eodem modo cognoſcimus albedinem hoſtiæ poſt conſecrationem, ac ante, vt conſtat experientiâ: ſed poſt conſecrationē non percipimus ibi ſubſtantiam hoſtiæ; quia perijt per ipſam conſecrationem: ergo neque eam percipimus ante conſecrationem; quando datur ſub albedine.

69 Confirmatur: quia diuerſum conceptum experimur, quando cognoſcimus lucem ſimul cum colore, ac quando lucē ſolā attingimus: ergo, ſi, quādo percipimus albedinem hoſtię non conſecratę, nō experimur diuerſum cōceptū, ac quando illam conſecratā percipimus, ſequitur manifeſte, quod ante conſecrationē non percipimus immediatè ſubſtantiam ſimul cum albedine; ſed ſolam albedinē. Et ratio à priori eſt; quia phantaſia nō habet alias ſpecies, niſi eas, quas accipit à ſenſationibus ſenſuum externorū; ſed ſenſationes ſenſuū externorū non producunt, niſi ſpecies obiectorum, quæ immediatè repræſentant: ergo non producunt in phantaſia ſpecies proprias ſubſtantiæ, quando quidem ſubſtātia non percipitur immediatè per cognitionem ſenſuū externorum, vt cōcedunt aduerſarij, & deducitur ex dictis.

70 Reſpōdent aduerſarij, phātaſiam receptis ſpecieb⁹ proprijs obiecti ſenſati per ſenſum externū determinari ad producendas in ſe ſpecies (quas vocant inſenſatas) proprias alterius obiecti connexi cum illo priori, etiāſi hoc vltimū nō ſit immediatè cognitū per ſenſum externū. Hæc tamen reſponſio falſam cōtinet doctrinā: quia, vt ipſi aduerſarij cōcedunt, intellectus agens nō poteſt producere in poſsibili ſpecies proprias obiecti nō cogniti per phantaſiā: ergo neq; phātaſia poterit producere in ſe ipſa ſpeciē propriam obiecti nō cogniti per ſenſus externos, cū ſit potentia multo imperfectior intellectu. Et quidē nullū eſt fundamentū ad tribuendā hanc virtutem phantaſiæ, imô eſt fundamentum ad oppoſitū, quia experientiâ cōſtat, cæcū nunquā formare cōceptum propriū coloris, quātumuis per alios ſenſus percipiat obiecta alia cōnexa cū colore: poſſet autē formare cōceptū propriū coloris, ſi per ſpeciē vnius obiecti determinaretur phantaſia ad producendā ſpeciē propriā alterius cū illo cōnexi; quandoquidē per alios ſēſus percipit ipſe cęcus alia obiecta per ſe cōnexa cū colore.

71 Dico 2. intellectus agens non producit in poſsibili ſpecies proprias ſubſtantiæ corporeæ, aut accidentium inſenſibilium. Ita authores adducti pro prima concluſione. Probatur: quia intellectus agens non requiritur

ad productionem ſpeciei intelligibilis, niſi ratione ſpiritualitatis ipſius ſpeciei, vt ſupra probauimus ſect. 1. num. 3. ergo, quod ſpecies ſit huius, vel illius obiecti, tribuendum eſt phantaſmati tanquam propriæ cauſæ: ſed phātaſma non poteſt concurrere ad producendam ſpeciem propriam illius obiecti, quod non repræſentat: ergo non poteſt concurrere ad producendam ſpeciem intelligibilem propriam ſubſtantiæ corporeæ, aut accidentium inſenſibilium. Conſequentia patet: quia ipſum phantaſma non repræſentat hæc obiecta, vt probatum eſt. Minor probatur, tum experientiâ, quâ conſtat, ſemper nos intelligere ſubſtantias corporeas ad modum obiectorum, quæ per ſenſus percipiuntur: ſi autem haberemus ſpecies proprias earum, perciperemus quidem eas, vt in ſe ſunt (ſicut percipimus colores) & non ad modum aliorū; tum etiam, quia non eſt, cur tantam perfectionē tribuamus phantaſmati, vt poſsit ſpecies proprias obiectorum, quæ non percipit, in intellectu producere, cū noſtræ potentiæ diſcurſiuæ, qualis eſt intellectus, non concedatur, quod ex cognitione vnius deueniat per diſcurſum in cognitionem propriam alterius repræſentantem illud, vt eſt in ſe.

72 Ex his colligo, intellectum cognoſcere ſubſtantias materiales, & accidentia earum inſenſibilia per diſcurſum: dum enim ipſe intellectus experitur, agens calidum, v. g. producere calorem in corpore applicato; & deinde remoto calido, ac applicato alio agente frigido, produci in eodem corpore frigus corrumpens calorem præexiſtentem, inde colligit intellectus, dari ibi aliquod ſubiectum commune horum accidentium, quod ab vno tranſire poſsit in aliud. Deinde ex alijs principijs colligit, debere dari aliquod ſubiectum, quod non ſit in alio, & propterea ſit primum in ratione ſubiecti: quod quidem eſt proprium ſubſtantiæ creatæ.

73 En, qua ratione intellectus ex cognitione accidentium ſenſibilium deueniat per diſcurſum in cognitionem ſubſtantiæ corporeæ: quia hæc eſt vis potentiæ diſcurſiuæ, qualis eſt intellectus, vt per cognitionem propriā vnius obiecti determinetur ad cognoſcendum alium, cum quo illud primum habet connexionem. Hinc oritur, quod intellectus non attingat ſubſtantiam per conceptum proprium repræſentantem illam, vt eſt in ſe; ſed ſemper eam concipiat ad modum alterius, quia videlicet ad cognitionem ſubſtantiæ non determinatur per ſpeciē propriam illius; ſed per cognitionem aliorum diuerſæ rationis ab ipſa ſubſtantia, quę quidem cognitiones non poſſunt determinare intellectum ad eliciendam cognitionē repræſentantem ſubſtantiam, vt eſt in ſe; ſed ſolū ad modum aliorum quorum ſpeciebus, aut cognitionibus de-

Digitized by Google

determinatur intellectus ad talem cognitionem eliciendam.

Quaenam primò attingat intellectus, ſingulariane, an vniuerſalia?

74 SEcundò eſt difficultas: An intellectus directè, & primario attingat ſingularia, vel ſolum vniuerſalia? Explico. Ex dictis concl. praeced. conſtat, intellectum primario attingere accidentia ſenſibilia, & inde prouenire in cognitionem ſubſtantiae corporeae, & aliorum accidentium. Praeterea certum eſt, intellectum nō ſolùm cognoſcere praedicata vniuerſalia talium accidentium, ſed etiam rationes ſingulares illorū: tum quia cognoſcit praedicata vniuerſalia vt apta eſſe in pluribus indiuiduis, atque adeo neceſſarium eſt, quod cognoſcat plura indiuidua, ſeu ſingularia: tum etiam quia, vt experientia docet, plura enuntiat de ſingularibus, & ex illis plura colligit, quod fieri non poteſt ſine cognitione ſingularium. Eſt tamē difficultas, quaenam ex iſtis rationibus directè ab intellectu attingatur? Circa quam Thomiſtae, & ex Scotiſtis non pauci, quibus conſentit P. Fonſ. 2. Meta. cap. 2. quaeſt. 3. ſect. 5. affirmant, intellectum noſtrum pro hoc ſtatu cognoſcere directè vniuerſale per ſpeciem immediatè productam ab intellectu agente cum phātaſmate; & deinde cognoſcere indirectè ſingularia per quandam quaſi reflexionem: quae reflexio varijs modis explicatur ab authoribus huius ſententiae.

75 Dicendum tamen eſt, intellectum directè cognoſcere ſingularia accidentium ſenſibiliū, & deinde vniuerſalia. Ita PP. Cōn. 1. Phyſ. cap. 1. quaeſt. 4. art. 2. P. Rub. 3. de Anima cap. 4. q. 3. P. Tolet. quaeſt. 12. P. Hurt. hic diſp. 5. ſect. 6. & eſt communis inter noſtros recentiores. Probatur 1. quia intellectus ea obiecta directè cognoſcit, quę immediatè repraeſentantur illi per ſpecies intelligibiles productas a phantaſmatibus: ſed ſpecies productae à phantaſmatibus, repraeſentant immediatè ſingularia accidentium ſenſibilium: ergo haec cognoſcit directè noſter intellectus. Minor probatur: quia phantaſmata producunt immediatè ſpecies eorum obiectorum, quae ipſa immediatè repraeſentant. Id eſt certum apud philoſophos: ſed phantaſmata repręſentant immediatè ſingularia, vt concedunt omnes: ergo immediatè producunt ſpecies repraeſentantes immediatè ſingularia. Secūdò probatur concluſio: quia, ſi duae albedines applicentur viſui, primo intuitu cognoſcuntur ab intellectu vt diſtinctae, vt conſtat experientiâ: ſed diſtinguuntur ratione ſingularitatum: ergo primo intuitu cognoſcuntur ab intellectu ſingularitates illarum: ergo directè attingit ſingularia.

76 Obijciunt 1. Intellectus agens abſtrahit ſpecies à phantaſma

taſmatibus repræſentantibus ſingularia: ergo ſpecies productæ ab intellectu agente repræſentant ſolùm vniuerſalia: ergo & intellectus poſsibilis non intelligit directè, niſi vniuerſalia. Diſtinguo antecedens: intellectus abſtrahit ſpecies à phantaſmatibus, ſecundum quod materialia, ſeu corporea ſunt, concedo: ſecundum quod repræſentationes ſingularium ſunt, nego antecedens. Eſt dicere: ex eo, quod intellectus producit ſpecies ſpiritualiter repræſentantes id, quod phantaſmata materialiter, ſeu corporaliter repræſentant, dicitur abſtrahere ſpecies à materia; cæterum, cum intellectus agens ex ſe non magis inclinetur in ſpeciem huius, quam illius obiecti, determinatur à phantaſmatibus ad ſpeciem obiecti, quod ipſa repræſentant: ipſa autem phantaſmata repræſentant ſingularia, & ideo determinatur intellectus agens ad ſpeciem ſingularium producendam. Vnde non poteſt abſtrahere ſpecies à ſingularitate.

77 Obijciunt 2. ſingularia ſunt materialia, ſeu corporea: ergo non poſſunt intelligi ab intellectu ſpirituali. Conſequentia probatur: quia materialitas impedit intellectionẽ: ergo, &c. Confirmatur: quia intellectus per intellectionem fit ſimilis obiecto: ſed non poteſt fieri ſimilis ſingularibus, quia hæc ſunt materialia, intellectus verò ſpiritualis: ergo non cognoſcit illa. Hæc tamen obiectio, ſi quid probaret, duo quidem probaret contra ſuos authores. Primum eſt, intellectum non poſſe cognoſcere prædicata vniuerſalia rerum corporearum, quia plura ex his ſunt formaliter corporea, vt prædicatum corporis, viuentis, ſenſibilis, equi, &c. Secundum eſt, neque intellectum poſſe cognoſcere ſingularia, adhuc in directè, & per reflectionem: quia, cum ſemper ipſa ſint materialia, & intellectus ſpiritualis, nunquam poſſet iſte fieri ſimilis illis.

78 Ad obiectionem ergo conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Ad probationem diſtinguo antecedens: materialitas ſe habens ex parte potentiæ cognoſcentis impedit intellectionem, concedo, quia de ratione potentiæ intellectiuæ eſt, eſſe ſpiritualem; vt ſupra diximus: materialitas ſe habens ex parte obiecti impedit intellectionem, nego antecedens: alioqui neque Deus, neque Angeli poſſent intelligere ſingularia materialia, imò neque nos prædicata vniuerſalia rerum corporearum. Ad confirmationem diſtinguo maiorem: intellectus per intellectionem fit ſimilis obiecto intentionaliter, concedo: phyſicè, nego maiorem. Deinde diſtinguo minorem: non poteſt intellectus fieri ſimilis ſingularibus phyſice, concedo: intentionaliter, nego minorem: quia eſſe ſimilem

milem intentionaliter ſingularibus nihil aliud eſt, quam quod repræſententur illi formaliter ſingularia per ſpeciem intelligibilẽ, aut intellectionem. Sicut autem non repugnat, quod intellectui repræſententur prædicata vniuerſalia corporea; ita neque repugnat, quod repræſententur illi ſingularia, etiamſi corporea ſint.

79 Obijciunt 3. Ariſtotelem 1. Phyſ. cap. 5. tex. 49. vbi dixit vniuerſale eſſe notum intellectui; ſingulare verò ſenſui: & probat ex eo, quod *ratio eſt vniuerſalium*; *ſenſus vero ſingularium*; ergo ſentit aperte, intellectum attingere vniuerſalia ſolum, & ſenſum ſingularia. Pro ſolutione noto, duplicem intellectionem dari in intellectu: vnam, quæ immediatè excitatur à phantaſmate per ſpeciem intelligibilem ab illo productam; quæ quidem intellectio eſt ſimplex quædam repræſentatio, ſeu apprehenſio obiecti, & licet ſit ſpiritualis non diſtinguitur à phantaſmate in modo attingendi obiectum; quia ſicut phantaſma attingit obiectum ſimplici repræſentatione ſine vlla affirmatione, ita & hæc intellectio; & propterea dicitur ſimplex apprehenſio. Alia datur intellectio, quæ obiectum ſcientifice attingit; diiudicando circa illud, ac deducendo vnum ex alio per diſcurſum, & hæc non ſolum diſtinguitur ratione ſpiritualitatis à phantaſmatibus, & alijs ſenſationibus; ſed etiam ratione modi attingendi obiectum, qui modus eſt proprius intellectus, & nulli conuenit ſenſui.

8 Reſpondeo ergo, Ariſtotelem loco citato (& alijs vbi ſimilem doctrinam tradit) dum aſſerit, rationem eſſe vniuerſalium, & hæc eſſe illi nota, loqui de intellectu vt operante per cognitionem ſcientificam, & propterea dixit, *ratio eſt vniuerſalium*, vt denotaret ſe non loqui de intellectu vtcumque ſumpto, ſed prout eſt ratiocinatiuus, & diſcurſiuus: quod quidem illi conuenit per ordinem ad cognitionem ſcientificam, ad cuius conſecutionem ordinantur ex intentione naturæ omnes ratiocinationes, & diſcurſus intellectus. Dicit autem Ariſtot. intellectum ſub hac ratione eſſe vniuerſalium, quia in eius ſententia ſcientia non datur, niſi de vniuerſalibus. Dum verò aſſerit, ſenſum eſſe ſingularium; & hæc eſſe nota illi, non negat intellectum attingere ſingularia per ſimplicem illam intellectionem, ſeu apprehenſionem immediatè excitatam à phantaſmate (quis enim hoc neget, quod quotidianâ experientiâ manifeſtum eſt?) ſed talem cognitionem reducit ad ſenſum, quia, cum hæc intellectio non attingat obiectum diuerſo modo, ac phantaſma, reputatur ab Ariſt. ac ſi eſſet cognitio ſenſuum, & ideo ibi ſub nomine ſenſuum cõprehendit intellectum vt operantem per iſtã intellectionem. Solum ergo negat ibi Ariſtot. intellectum attingere ſingu-

ſingularia per cognitionem ſcientificam, quia cùm in ſententia eius non detur ſcientia de ſingularibus, non poteſt intellectus verſari circa illa per hanc cognitionem.

81 Aliud teſtimonium Ariſt. adducunt aduerſarij ex 3. de An. cap. 4. tex. 10. vbi videtur dicere, intellectum cognoſcere ſingularia per quandam reflexionem. Ibi tamen ſubobſcure loquitur, nec vllum verbum habet de vniuerſalibus, aut ſingularibus; ſed ſolùm inſinuat, carnem cognoſci per ſenſum; rationem vero, ſeu *quod quid eſt eſſe* carnis, per intellectum: in phraſi autem Philoſophi forma appellatur, *quod quid eſt eſſe*, ſeu ratio quidditatis rei, & ideo prædictis verbis ſolum docet, cõpoſitum illud, quod eſt caro, cognoſci per ſenſus; quia videlicet per iſtos percipiuntur accidentia, quæ ſunt propria carnis: formam verò carnis prout diſtinctã ab ipſa carne, ait cognoſci per intellectum, quia, cum accidentia carnis non demonſtrent per ſe formam illius, prout diſtinctam à compoſito; ſed ipſum compoſitum ſecundum ſe, non dicitur abſolute percipi talis forma prout diſtincta à compoſito, dum percipiuntur ea accidentia, & ideo cognitio eius prout diſtinctæ à compoſito tribuitur ſolùm intellectui, qui per diſcurſum deducit dari ibi aliquam formam diſtinctam à compoſito, & propterea dicit Ariſtotel. cognoſci eam formam per quandam reflexionem, in quo nobis non contradicit.

82 Conſtet ergo, intellectum immediatè recipere à phãtaſmatibus ſpecies intelligibiles repræſentantes immediatè ſingularia accidentium ſenſibilium, quibus ſpeciebus determinatur intellectus immediatè, vt directè cognoſcat ipſa ſingularia: poſtea verò procedit ad cognitionem rationũ vniuerſalium talium accidentiũ. Quod quidem duobus modis poteſt contingere. Primo, ſi cognitis pluribus ſingularibus propter ſimilitudinem, quam videt in illis, abſtrahat ab illis vnam rationem omnibus communem. Secundò, ſi ſpecies plurium ſingularium; ſeu alicuius ſingularis reſeruatæ in memoria intellectiua taliter excitentur per phantaſmata, vt determinent intellectum ad eliciendam expreſſam cognitionem prædicati alicuius ſuperioris ſine expreſſa cognitione indiuiduorum; quod quidem tunc contingit, quãdo videmus obiectum ſimilitudinẽ aliquã habens cum albedine, v. g. quin determinatè, huic potius, quam illi numero albedini aſsimiletur. In hoc enim caſu phantaſma producit ſpeciem huius obiecti in intellectu, quæ ſpecies excitat ſpecies plurium albedinum, vel vnius tantum exiſtentis in memoria, vt intellectum determinent ad cognitionem albedinis in communi non exprimẽtem hanc, vel illam in ſingulari; ex cognitione tamen vniuerſalis habita, per

per ſpecies ſingularium relinquitur ſpecies intelligibilis in intellectu immediate repræſentans vniuerſale, per quam intellectus determinari poteſt in poſterum ad eliciendam immediate cognitionem ipſius vniuerſalis. Ratio eſt: quia actus phantaſiæ, eo quod ſit imago expreſſa ſui obiecti, producit in intellectu ſpeciem ipſius obiecti: ergo, cũ actus intellectus ſit etiã imago expreſſa ſui obiecti, relinquit in intellectu ſpeciem ipſius obiecti, quâ in poſterum determinari poſſit ad iterum cognoſcendum ipſum obiectum.

83 Idem ordo ſeruatur in cognitione ſubſtantiarum: quia, cum ex cognitione accidentium, deueniamus in cognitionem ſubſtantiæ, & primario nobis obijciãtur accidentia ſingularia; ex eorum cognitione deuenimus immediate in cognitionem ſubſtantiæ ſingularis, & poſtea præſcindimus prædicata vniuerſalia eo modo, quo diximus de accidentibus ſenſibilibus. Dices: quando à longe video corpus aliquod moueri, ex cognitione talis motus, venio in cognitionem animalis, quin diſcernam, an ſit equus, leo, &c. ergo ex cognitione illius accidentis, deuenio immediate in cognitionem prædicati vniuerſalis ſubſtãtiæ, quin præcedat cognitio ſingularitatis ipſius ſubſtantiæ. Fateor in eo caſu me non diſcernere, an illud animal ſit equus, vel leo; cognoſco tamen, eſſe animal ſingulare: quia, ſi iuxta illud apponatur aliud, primo intuitu diſcerno eſſe diſtincta ſingularia animalis: ſed non poſſum diſcernere, eſſe diſtincta ſingularia animalis, quin cognoſcam ſingularitates illius prædicati: ergo in eo caſu cognoſco ſingularitates, & non rationem communem animalis.

Conciliantur duo Ariſt. teſtimonia.

84 EX dictis facile conciliari poſſunt duo loca Ariſt. in quibus videtur ſibi ipſi contrarius circa cognitionem vniuerſalium, & ſingularium: nam. 1. Poſt. cap. 2. ante medium docet, *ſingularia nobis eſſe notiora; vniuerſalia vero eſſe notiora ſimpliciter, & ſecundum naturam*: vocat ibi notiora nobis ea, quæ noſtris ſenſibus magis obiecta ſunt; & notiora ſimpliciter, & ſecundum naturam ea, quæ ſunt à ſenſibus remotiora. Poſtea vero 1. Phyſ. cap. 1. docet, *vniuerſalia eſſe nobis notiora; ſingularia vero notiora ſimpliciter, & ſecũdum naturam*; & propterea in tradenda quauis diſciplina procedendum eſſe ab vniuerſalibus ad ſingularia, quia recta methodus docendi petit, vt à manifeſtioribus nobis procedamus ad immanifeſtiora nobis, & manifeſtiora ſimpliciter, ac ſecundum naturam. En videtur Ariſt. ſibi contradicere in his locis.

85 Reſpondeo ex doctrinâ traditâ, vniuerſalia, & ſingularia poſſe comparari ad noſtrum intellectum vel vt operantem per ſim-

ſimplicem apprehenſionem immediate excitatam à phantaſmatibus, vel vt operantem per cognitionem ſcientificam. Si comparētur ad intellectum vt operantem primo modo, ſingularia ſunt nobis notiora, hoc eſt, prius nota, quia primario ea attingimus per cognitionem illam immediate excitatam à cognitionibus ſenſuum, vt dictum eſt: & in hoc ſenſu loquitur Ariſt. 1. Poſt, dum dicit, *ſingularia eſſe notiora nobis*. Si vero comparentur ad intellectum noſtrum vt operantem per cognitionem ſcientificam; vniuerſaliora ſunt nobis notiora, hoc eſt, magis nota, quam ſingularia; imo & quam minus vniuerſalia. Ratio eſt: quia non aliter acquirimus ſcientiam cuiuslibet rei, niſi per experientiam operationum, quas per ſenſus percipimus. Operationes autem reſpondentes prædicatis vniuerſalioribus, dicuntur eſſe propinquiores noſtris ſenſibus: tū quia ex natura rei mouent ſenſus ad maiorem diſtantiam, quādo quidē ad maiorē diſtātiā diſcernimus accidentia corporis, quam viuentis; & accidentia viuentis, quā animalis, &c. tū etiam quia, cū operationes prędicatorū vniuerſaliū fiant in pluribus indiuiduis, frequentius noſcuntur per ſenſus, ac per conſequens certiorem notitiam cōparamus prędicatorū illis reſpōdentium, quia cognitio taliū operationum pluries repetita firmat conceptum, quem ſemel formauimus de natura, & proprietatibus cauſæ, à qua oriuntur.

86 In hoc ergo ſenſu loquitur Ariſt. 1. Phyſ. dum dicit, *vniuerſalia eſſe nobis notiora*, & propterea addit in tradenda qualibet doctrina procedendum eſſe ab vniuerſalioribus ad ſingularia; quia videlicet maximum in docendo vitium eſt; ſæpius idem repetere, quod quidem euitatur, ſi à ſuperioribus ad inferiora procedatur: quia explicatis, & probatis proprietatibus prædicati ſuperioris, animalis v. gr. non eſt neceſſarium, ea probare in quolibet inferiori, equo videlicet, leone, &c. in quibus tale prædicatum includitur: at vero ſi à leone, & equo ſeorſim ſumptis inciperemus, in quouis probandæ eſſent proprietates animalis, & ſic pluries idem repeteremus.

87 Vt autem explicemus, qua ratione Ariſt. in vno loco dicat, vniuerſalia eſſe notiora ſimpliciter, & ſecundum naturam, in alio vero idem dicat de ſingularibus, Noto 1. noſcibilitatem natiuam, & intrinſecam cuiuſcunque rei eſſe ſuammet entitatem, vt dicebamus ſect. 1. Noto 2. entitatem vnius rei poſſe dici notiorem aliâ ſecundum naturam, vel quia eſt prior illâ ſecundum naturam (in quo ſenſu idem eſt eſſe notiorem, ac eſſe prius cognoſcibilem ſecundum ſe) vel quia ſecundum ſe eſt perfectior, ſeu plus habet cognoſcibilitatis intrinſecæ (in quo ſenſu idem eſt, eſſe notiorem, ac habere maiorem, ſeu meliorem cognoſcibilitatem intrinſecam) His poſitis.

Dico

88 Dico, in 1. Poſt. dici, vniuerſalia notiora ſecundum naturam primo modo: quia, cum ſecundum ſe ſint partes eſſentiales metaphyſice componentes ſingularia, ſunt cauſæ intrinſecæ horum, & ideo ſunt priora ſecũdum naturam reſpectu illorum. Sic autem ſumpta dicuntur remotiora à ſenſibus; quia non attinguntur immediate per ſimplicem intellectionem immediate excitatam in intellectu per ſenſus, vt ſupra dictum eſt. At vero 1. Phyſ. dicuntur ſingularia notiora ſecundum naturam ſecũdo modo: quia, cum præter vniuerſalia includant in ſe ſingularitates, ſunt perfectiora vniuerſalibus, & plus habent cognoſcibilitatis intrinſecæ. Sic autem ſumpta dici poſſunt remotiora à ſenſibus: quia non attinguntur immediate per notitiam ſcientificam; quam intellectus comparare ſolet experientiâ ſenſuum.

SECTIO VI.

De Notitia rerum ſpiritualium pro hoc ſtatu.

89 Hic eſt difficultas: an intellectus noſter pro hoc ſtatu habeat proprium conceptũ rerum ſpiritualium? & eadem eſt difficultas circa ſubſtantias corporeas, & alia, quorum ſpecies proprias intellectus non accipit à ſenſibus. Nonnulli recentiores apud P. Rub. 3. de An. cap. 5. q. 5. num. 154. docent intellectum noſtrum pro hoc ſtatu habere cõceptum proprium rerum ſpiritualium repræſentantem illas, vt ſunt in ſe à parte rei: exiſtimant enim, quod intellectus agens habet virtutem ad hoc, vt poſtquam intellectus poſſibilis per diſcurſum ex rebus corporeis deuenit in cognitionem ſpiritualium, ipſe intellectus agens producat ſpeciem propriam illarum in poſſibili, per quam iſte eas in poſterum cognoſcat, vt ſunt in ſe. Probant: quia ſenſus internus, accepta ſpecie propria obiecti ſenſati per externum, poteſt producere in ſe ſpecies proprias inſenſatas obiecti non cogniti per ſenſum externum: ergo intellectus acceptâ ſpecie propriâ obiecti corporei cogniti per ſenſum internũ, poterit in ſe producere ſpeciem propriã obiecti ſpiritualis non cogniti per ipſum ſenſum. Hæc autem ratio infirma eſt; tum quia ſenſus internus non producit in ſe ſpecies illas inſenſatas, vt probatum eſt ſupra diſp. 11. n. 23. tum etiã quia, ſi intellectus in ſe produceret ſpecies proprias rei ſpiritualis, non cognoſceret ſemper illam ad modum rerum corporearũ: atqui experientiâ conſtat, illam ſic ſemper cognoſcere: ergo &c.

90 Alij recent. apud eundem P. Rub. ſupra num. 152. docent, intellectum noſtrum non habere conceptum proprium rei ſpiritualis immediate hanc attingentem, neque aliter eam cognoſcere, niſi repræſentando ſibi idolum quoddam rei materialis, cui ſimilem exiſtimat rem ſpiritualem: quod quidem idolum

ſibi

ſibi ſubſtituit intellectus loco rei ſpiritualis tanquam vicarium illius: ad eum modum, quo imago depicta ſubſtitui ſolet pro ſuo prototypo. Probatur hæc ſententia: quia, quum volumus Angelum intelligere, pulcherrimum iuuenem concipimus, quem loco Angeli ſubſtituimus, vt pulcritudinem ipſius Angeli repræſentet: ergo non habemus conceptum immediatum ipſius Angeli; ſed ſolum idoli pro illo ſubſtituti.

91 Hæc ſententia eſt falſa: quia, quando intellectus ſubſtituit iuuenem vt idolum Angeli, vel cognoſcit illum formaliter vt idolum, & imaginem ipſius Angeli; vel ſolũ vt iuuenem. Si dicatur primum? ergo iam intellectus non ſolum attingit per cognitionem idolum Angeli; ſed etiam ipſam entitatẽ Angeli: neque enim cognoſci poteſt imago Angeli formaliter vt imago illius, quin aliquo modo cognoſcatur ipſa entitas Angeli, ſicut non poteſt cognoſci imago depicta Cæſaris formaliter vt talis, quin aliquo modo cognoſcatur ipſa entitas Cæſaris. Si dicatur ſecundum? ergo, quando affirmo, *Angelum eſſe ſpiritum*, perinde eſt, ac dicere: *adoleſcens eſt ſpiritus.* Patet conſequentia: quia per illam cognitionem nihil aliud attingo ex parte ſubiecti, niſi adoleſcentem ſecundum ſe, vt tu affirmas: ergo de nullo alio prædico ſpiritũ, niſi de adoleſcente ſecundum ſe. Id autem dici nequit; alioqui falſa eſſet ea propoſitio: ergo aliquid aliud attingo ex parte ſubiecti, cui in re conueniat ratio ſpiritus: ergo immediate attingitur talis entitas per illam cognitionem.

92 Pro deciſione huius difficultatis Noto, conceptum aut cognitionem alicuius rei poſſe dici propriam illius dupliciter. Primo, ſi immediate attingat prædicatum aliquod eſſentiale, & proprium illius rei. Secundò, ſi illam repræſentet per ſpecies proprias illius, vt eſt in ſe. Dico ergo, intellectum noſtrum pro hoc ſtatu non attingere res ſpirituales per conceptum, ſeu cognitionem propriã ſecundo modo; bene tamen per cognitionem propriam primo modo. Ita P. Rub. ſupra num. 157. vbi adducit S. Thom. 3. contra Gent. cap. 45. & 1. p. q. 88. art. 1. & 2. vbi idem docent Cai. Bañez, & alij interpretes: & hæc eſt cõmunis ſententia authorum.

93 Probatur prima pars: quia nunquam concipimus Angelum, v. g. niſi ad modum rerum corporearum: ergo non attingimus illum per cognitionem repræſentantem ipſum, vt eſt in ſe, ac per conſequens neque per cognitionem propriam illius ſecundo modo ſupra poſito: alioqui ſicut colorem, quem, vt eſt in ſe, concipimus, non cognoſcimus ad modum alterius, ita neque Angelũ ad modum rei corporeæ cognoſceremus, ſaltem quando illum concipimus, vt eſt in ſe. Secunda vero pars probatur: quia, quando cognoſco Angelum reuerà cognoſco aliquid, cui vere attribui poteſt

teſt

teſt ratio ſpiritus: ergo reuerà cognoſco aliquid, quod eſt propriũ Angeli prout diſtincti à corpore: ergo cognoſco Angelum per cognitionem propriam primo modo. Antecedens conſtat ex refutatione ſecundæ ſententiæ.

94 Dices: ea cognitio attingit Angelũ, ac ſi reuerà eſſet adoleſcens: ergo repræſentat Angelum quaſi vnum cum adoleſcente: ſed entitati Angeli repugnat eſſe vnum cum adoleſcente: ergo id, quod concipitur per iſtam cognitionem, non eſt entitas Angeli; ſed alia conficta à meo intellectu. Reſpondeo Angelum reuera cognoſci per illam cognitionem, ac ſi eſſet vnum cum adoleſcente; inde tamen non inferri, non attingi propriam entitatẽ Angeli per talem cognitionem: quia, licet intellectus fingat per illam cognitionem; fictio tamen non conſiſtit in eo, quod aliam entitatem omnino excludentem Angelum ſibi proponat intellectus per talem cognitionem; ſed in eo, quod entitatem Angeli reuera diſtinctam à iuuene faciat vnam cum ipſo iuuene, atque adeo in illa entitate conficta inuoluitur vera ſubſtantia Angeli, quaſi aliquid illius. Ad obiectionem ergo in forma diſtinguo vltimum conſequens: ergo id, quod cognoſcitur per illam cognitionem non eſt entitas Angeli, vt eſt in ſe à parte rei, concedo: non eſt entitas Angeli concepta aliter, ac eſt in ſe, nego conſequentiam: quia, dum cõcipio Angelũ, ac ſi eſſet iuuenis, fingo entitatem quandam, quæ inuoluit in ſe veram ſubſtantiam Angeli. Vide quæ diximus in Log. diſp. 12. à num. 26.

95 Hic eſt aduertendum, quod poſtquam per ſpecies iuuenis habita eſt cognitio Angeli, ac ſi eſſet iuuenis, talis cognitio relinquit in intellectu ſpeciem, quæ immediate repræſentet Angelum, ac ſi eſſet iuuenis, per quam immediate determinari poteſt in poſterum ad cognoſcendum ipſum Angelum, ac ſi eſſet iuuenis, iuxta dicta ſuprà num. Idem, quod diximus de cognitione rerum ſpiritualium, quæ ſunt extra animã, dicendum eſt de cognitione ipſius animæ, qua ſe ipſam, & ſuas potentias cognoſcit per ſpecies alienas, imo & ſuas intellectiones, & volitiones: quia licet hæ producant ſpeciem ſui ipſarum in intellectu; imperfectas tamen, & quæ non repræſentant illas, vt ſunt in ſe; ſed ad modum aliarum rerum, vt dictum eſt ſupra.

SECTIO VII.

An intellectus pro hoc ſtatu poſſit ſimul cognoſcere plura vt plura?

96 Non eſt dubium, intellectum poſſe ſimul cognoſcere plura ſine diſtinctione ſecũdum aliquam rationẽ, in qua omnia conueniant, vt contingit in cognitione vniuerſalium, animalis v. gr. quæ, vt diximus in Log. attingit omnia ſingularia repræſentando illa confuſe ſine diſtinctio-

ideò non poſſe ſimul cognoſci.

99. Obijciunt 2. ſi eodem actu poſſent plura cognoſci vt plura, idem actus poſſet eſſe ſimul verus, & falſus, quia poſſet repræſentare vnum obiectum, vt eſt in ſe; & aliud aliter, ac eſt in ſe. Reſpondeo 1. id non inferri ex noſtra ſententia: neque enim neceſſarium eſſet, quod vnus actus poſſet attingere quæcunque obiecta quantumuis diſparata; ſed quæ aliquo modo connexa ſunt interſe. Reſpondeo 2. dupliciter verſari poſſe eundem actum circa diuerſa obiecta. Primò illa copulando; vt, ſi quis dicat, *Petrus currit, & Ioannes audit*. Secundò, nullâ appoſitâ copulâ inter illa, vt ſiquis dicat, *Petrus currit, Ioannes audit*. Si primo modo actus feratur in plura obiecta, quodcunque ex illis non ſit eo modo, quo affirmatur, erit tota propoſitio falſa: quia, cum non affirmet illa ſecundum ſe ſeorſim; ſed prout coniuncta, quodcunque ex illis deficiat, deficit coniunctio, atque adeo actus affirmans talem coniunctionem erit abſolute falſus. Si vero actus attingat illa obiecta ſecundo modo, poterit idem actus eſſe ſimul verus & falſus reſpectu diuerſorum obiectorum; neque in hoc vllum inuenitur abſurdum.

100 Obijciunt tertio; Ariſtot. qui 2. Topic. capit. 4. in principio dixit: *multa enim ſcientia comprehendi poſſunt; multa ſimul cogitari non item*: ac ſi diceret, ſimul poſſunt dari in intellectu plures habitus ſcientifici, non vero plures cognitiones plurium obiectorum. Reſpondeo Philoſophum hic ſolum intendere, non bene deduci argumentum ab ſcientia ad cognitionem, ita vt neceſſarium ſit, quod ea omnia, quorum ſcientiam habitualem ſimul habemus; ſimul etiam cogitare poſſimus. Quod quidem nobis non aduerſatur, quia non aſſerimus, intellectum poſſe ſimul cogitare ea omnia, quorum ſcientiam habet habitualem; ſed ſolum, quod poſſit aliqua diſtincta cognoſcere vt diſtincta ſiue vno, ſiue pluribus actibus.

SECTIO VIII.
De Memoria intellectiua.

101 Memoria ſolet definiri *Potentia, quæ per ſpecies in ſe ipſa reſeruatas repetit cognitionem eorum, quæ antea nouerat*. In primis neceſſarium eſt ad rationem memoriæ, quod ſpecies in illa reſeruentur adhuc remoto obiecto, quia ſenſus externi non dicuntur recordari obiecti antea cogniti, etiamſi poſt primam cognitionem illud iterum cognoſcant; non alia de cauſa, niſi, quia non reſeruant ſpecies remoto obiecto. Deinde requiritur, quod antea notum fuerit obiectum; neque enim dicimur reminiſci eorum, quæ primo noſcimus. Præterea eſt neceſſarium, quod cognitio obiecti

interrupta fuerit per aliquod tempus: propterea dicitur in definitione, *repetit cognitionem eorũ, &c.* quia dum in prima obiecti cognitione perſeueramus, non dicimur recordari illius. Hinc eſt, quod in Deo non ſit proprie memoria, nec dicatur proprie reminiſci, quia nunquam ceſſat ab actuali rerum cognitione. Neceſſarium tamen non eſt ad recordationem, quod quis actu cognoſcat rem præteritam eſſe, vel ſe antea eam nouiſſe; ſed ſufficit, quod rem ſemel cognitam, cuius cognitionẽ interrupit, iterum cognoſcat: quia, dum repeto pſalmum, dicor reminiſci illius, & tamen non ſemper aduerto, me antea illud didiciſſe, ſeu iam præterijſſe.

102 Difficultas eſt: an detur memoria intellectiua. Et primò certum eſt, ſpecies intelligibiles ſemel acquiſitas reſeruari in anima. Id expreſſe docet Ariſt. 3. de An. cap. 4. tex. 6. his verbis; *Bene vtique, qui dicunt, animam eſſe locum formarum* (hoc eſt ſpecierũ) *niſi quod nõ tota; ſed intellectiua.* Ratio eſt: quia ſpecies intelligibiles productæ in intellectu poſsibili non poſſunt deſinere ex aduentu contrarij, quia nullum habent; neque ex defectu ſubiecti, cũ hoc ſit intellectus, qui perſeuerat ſemper: neque ex defectu conſeruantis, quia ſi ſpecies phantaſiæ non pendent in conſeruari à ſenſibus externis, à quibus primò producuntur, non eſt, cur ſpecies intelligibiles dicantur pẽdere in conſeruari à phantaſmatibus, à quibus primo producũtur; ſed à Deo ſolum, ſicut ſpecies phantaſiæ. Cum autem Deus deficere non poſsit, neque ſpecies intelligibiles deficient ex defectu conſeruãtis: ergo ſpecies productæ adſeruantur in poſterum in intellectu.

103 Dices: ſi ſpecies intelligibiles omnium obiectorum, quæ ſemel nouimus, conſeruarentur in intellectu, eſſet hic ſemper in actu intelligendi omnia, quia potentia informata ſpecie eſt ſufficiẽs principium intelligendi: ſed remoto obiecto nõ perſeuerat intellectus in actu intelligendi ſemper: ergo non conſeruantur ſpecies in ipſo intellectu. Cæterum idem argumẽtum poſſet fieri de memoria ſenſitiua, in qua, vt omnes admittunt, conſeruãtur ſpecies obiectorum, quæ ſemel cognouit; & nihilominus non ſemper eſt in actu cognoſcendi ea omnia obiecta. Vnde ad obiectionem nego maiorem: nam poſtquam intellectus ceſſauit à cognitione alicuius obiecti, manet ſpecies quaſi ſopita, & ideo non poteſt iterum illud cognoſcere, niſi denuo excitetur ipſa ſpecies: excitatur autem ſpecies, tũ modo dicto ſuprà num. 19. tum etiam per voluntatem imperantem recordationem obiecti; cum reminiſcentiam aliquam habere cæpit, vt dicemus infra.

104 Eſt ergo dubium: An in intellectu dentur cætera requiſita ad memoriam? Negat S. Thom. 2. lib. contra Gent. cap. 74. cui cõſentiunt Ferr. ibi, Alb. in Sum. de Hom. tract. de Mem. & Scot.

in

in 4. diſt. 45. q. 3. §. *De ſecundo.* Ratio eſt; quia memoria eſt alicuius prout cadit ſub determinato tempore præterito: ergo memoria debet attingere tempus præteritum ſingulare: ſed intellectus abſtrahit á ſingularibus: ergo non datur proprie in illo memoria.

105 Contraria ſententia eſt verior. Eam tenet P. Rub. 3. de An. cap. 5. q. 5. dub. 2. P. Hurt. hîc diſp. 5. ſect. 8. & eſt communis inter recentiores in eamque inclinatur S. Tho. 1. p. q. 19. art. 6. vbi videtur mutare ſententiam traditam loco citato pro prima opinione, vel ſaltem de illa dubitare: ait enim; *ſi verò de ratione memoriæ ſit, quod eius obiectum ſit præteritum vt præteritum, memoria in parte intellectiua non erit, ſed ſenſitiua tantum; quæ eſt appre henſiua ſingularium*; vbi nō abſolute; ſed ſub cōditione, quod memoria debeat verſari circa obiectum præteritum vt præteritum, negat eſſe memoriam intellectiuam; atqui probatum eſt initio hujus ſectionis, memoriā non verſari circa præteritum vt præteritum: ergo iuxta mentem S. Tho. non eſt neganda memoria intellectiua. Deinde probatur ratione: quia, etiamſi de ratione memoriæ ſit, verſari circa tempus præteritum ſingulare, intellectus poteſt cognoſcere ſingularia, vt probatum eſt num. 4. ergo ex hoc cap. non eſt neganda memoria intellectiua. Confirmatur: quia homo recordatur, ſe habuiſſe talem actū intellectus, & talem actum voluntatis in tali tempore: ſed non poteſt horum recordari per memoriam ſenſitiuam, quia hæc non attingit obiecta ſpiritualia: ergo per intellectiuam: ergo datur memoria intellectiua.

106 Obijcies Ariſt. qui lib. de Memo. cap. 1. ait: *Memoria autem ea, quæ eſt intelligibilium, non ſine phantaſmate eſt, quare intellectus ſecundum accidens vtiq; erit; per ſe autem primi ſenſitiui*: ergo ſentit, memoriam per ſe, ac proprie inueniri in parte ſenſitiua. Reſpondeo, ideo dixiſſe memoriam primo conuenire ſenſitiuo, non quia proprie non ſit etiam in intellectu; ſed quia, cum intellectus pro hoc ſtatu dependeat in operari à phantaſmatibus, à quibus excitari ſolent ſpecies reſeruatæ in ipſo intellectu, eſt neceſſarium, quod memoria ſenſitiua prius meminerit obiecti, quam intellectiua. Quod quidem non tollit, quod propriè detur memoria in intellectu: ſicut non tollit propriam rationem memoriæ ſenſitiuæ, quod aliquando excitetur ab extrinſeco obiecto exterius applicato per ſenſus externos.

107 Rogas: An memoria intellectiua diſtinguatur realiter ab intellectu? In ſententia, quam ſupra ſecuti ſumus de idētitate reali potentiarum ſpiritualium cum anima certum eſt, memoriam intellectiuam non diſtingui realiter ab intellectu. Idem dicēdum eſt, adhuc in ſententia diſtinguente realiter intellectum, & volun atem ab anima. Ita S. Thom. 1. p.

q. 79. art. 1. Ratio eſt: quia memoria intellectiua eſt illa potentia, in qua adſeruantur ſpecies intelligibiles, vt concedunt omnes: at ſpecies intelligibiles adſeruantur in intellectu; ergo, &c. Minorem probo: quia in ea potentia adſeruantur, in qua primo producuntur ab intellectu agente, neque enim tranſire poſſunt de ſubiecto in ſubiectum: ſed primo producuntur in intellectu poſsibili ab agente: ergo in illo adſeruantur. De memoria ſenſitiua actum eſt ſuprà, diſputatione 11.

DISPVTATIO XIII.

In quonam cōſiſtat intellectio?

1 EGimus iam de intellectu. Agendum modo de intellectionibus, & prius quā de ſingulis in particulari ſermonem inſtituamus, examinandum eſt in hac diſputatione, quid ſit intelligere, ſeu in quo conſiſtat intellectio? Porro intellectio definitur *cognitio ſpiritualis*. Per primam particulam diſtinguitur ab actibus voluntatis, & appetitus, qui non ſunt cognitiones. Additur *ſpiritualis*, vt diſtinguatur à ſenſationibus tam ſenſuum internorum, quam externorum, quæ licet ſint cognitiones tamen non ſunt ſpiritnales; ſed corporeæ.

(?.)

SECTIO I.

Nonnullis ſuppoſitis ſtatus difficultatis explicatur.

2 SVppono 1. intellectionem non conſiſtere in ſola receptione ſpeciei intelligibilis impreſſæ. Id eſt contra Gotfredum, Ægid. Venet. & Iand. adductos à P. Rub. 3. de An. cap. 5. tract. de Actu intell. quæſt. 2. num. 244. Colligitur aperte ex Ariſt. 3. de An. cap. 4. tex. 8. vbi, cum docuiſſet, intellectum ad hoc, vt obiecta intelligat, debere fieri ipſa obiecta, non per identitatem, aut incluſionem realem illorum; ſed per formas, hoc eſt, per ſpecies: deinde addit: *Cum autem ſic ſingula factus eſt, vt ſciens dicitur, qui ſecundum actum; hoc autem tunc accidit, cum poteſt operari per ſe ipſum: eſt quidem & tunc potentia quodammodo; non tamen ſimiliter, vt & erat antequam addiſceret, aut inueniret; & ipſe autem ſe ipſum tunc poteſt intelligere.* Ecce dicit (vt explicat S. Thom. ibi, & clare oſtendunt ipſa verba) tunc dicitur intellectus factus eſſe ſingula ratione ſpecierum intelligibilium, quando poteſt operari per ſe ipſum, hoc eſt, quando in ſe habet omnia requiſita ad eliciendam intellectionem: ergo ſentit aperte Ariſtoteles, intellectum non conſtitui formaliter intelligentem per ſpecies; ſed ſolum in potentia proxima ad intelligendum. Quod clarius expreſſit vltimis illis verbis, *ipſe autem ſe*

ſe ipſum tunc poteſt intelligere, quibus ſuppoſitis iam ſpeciebus, concedit intellectui potentiam ad ſe intelligendum: ergo ſentit non intelligere actu per receptionem illarum.

3 Deinde probatur ratione 1. quia viuens, vt tale eſt actiuum ſuæ perfectionis in ſe ipſo eo modo, quo diximus diſp. 5. ſect. 3. ergo id, quod eſt proprius actus viuentis vt talis, debet eſſe actio, vel inuoluere actionem ortam ab ipſo viuente. Conſequentia patet: quia proprius actus actiui eſt actio, vel ſaltem aliquid inuoluens actionem. Pergo: ſed intellectiuum, vt tale eſt viuens: ergo intellectio, quæ eſt proprius actus intellectiui, debet eſſe actio, vel ſaltem inuoluere actionem ortam ab ipſo intellectiuo: ergo intellectio non poteſt conſiſtere in ſola receptione ſpeciei impreſſæ. Secundò: quia in intellectu dantur ſpecies intelligibiles, quin ipſe intelligat: ergo non conſtituitur actu intelligens per receptionem illarum. Antecedens conſtat, quia, vt diximus ſect. praeced. in intellectu aſſeruantur ſpecies obiectorum, quæ ſemel intellexit, & tamen non ſemper eſt in actuali cognitione illorum: ergo non conſtituitur formaliter intelligens per receptionem ſpecierũ intelligibilium.

4 Dices, præter receptionem ſpecierum requiri attentionem potentiæ, quæ non datur ſine actione ipſius potentiæ. Sed contra: vel attentio ex parte potentiæ requiſita verſatur immediatè circa obiectum, vel circa ipſam ſpeciem. Si primum? in ea attentione conſiſtet intellectio obiecti, quia intellectio eſt id, per quod intellectus attendit ad obiectum. Si dicat ur ſecundum? attentio ad ſpeciem erit id, quo formaliter intelligimus & ipſam ſpeciem, & obiectum in illa, quandoquidem attentio ad rem cognitam eſt cognitio illius in conſenſu omnium: ergo iam in tali caſu non cognoſcemus obiectum per receptionem ſpecierum formaliter.

Intellectio non conſiſtit in ſola actione ſine termino.

5 SVppono 2. Intellectionem non conſiſtere in actione de prædicamento actionis ſine termino. Eſt contra Aureol. & nonnullos Thomiſtas adductos à P. Rub. ſupra quæſt. 3. num. 257. & 259. A nobis verò ſtant authores, quos pro ſuppoſito ſequente referemus. Probatur: quia talis actio verſari debet circa obiectum, non quidem illud producendo; ſed repræſentando expreſſe, quia in ſen entia omnium de ratione cuiuſcunque cognitionis eſt repræſentare expreſſe ſuum obiectum: vel ergo illud repræſentat efficienter, vel formaliter. Si efficienter? ergo producendo repræſentationem formalem,

lem, quia non datur alius modus repræſentandi efficienter; vnde iam non erit actio ſine termino. Si autem formaliter repræſentat obiectum? ergo præter formalitatem actionis inuoluit aliam, quæ ſit repræſentatio formalis expreſſa obiecti; quæ quidem ad prædicamentum qualitatis pertinebit: tum quia non eſt aliud prædicamentum, ad quod poſsit pertinere, vt inductione conſtabit: tum etiam quia ſpecies impreſſa, quæ eſt repræſentatio formalis obiecti, pertinet ad prædicamentum qualitatis in omnium ſententia: ergo ea entitas non eſt dicenda actio ſine termino; ſed potius qualitas dependens ab agente ſe ipſâ, vel per actionem realiter ab illa indiſtinctam: ſicut in ſententia non diſtinguente creationem Angeli ab ipſo Angelo, non dicitur Angelus eſſe actio ſine termino; ſed ſubſtantia dependens à creante ſe ipſâ, vel per actionem ab illa realiter indiſtinctam. Vide, quæ diximus in Phyſ. diſp. 20. ſect. 1. vbi probauimus, non poſſe dari actionem ſine termino.

6 Prædicta autem qualitas dici ſolet *ſpecies expreſſa* obiecti. *Species* dicitur, quia eſt repræſentatio obiecti: *ſpecies* enim ſignificat ſimilitudinem, ſeu repræſentationem, & propterea quando aliquis exhibet ſigna præſeferentia pietatem, dicitur rem facere *ſpecie pietatis*. Appellatur etiam *expreſſa*, quia taliter repræſentat obiectum, vt illud exprimat, & quaſi declaret intellectui ad diſtinctionem ſpeciei impreſſæ, quæ non repræſentat obiectum, declarando illud intellectui; ſed ſolum inclinando per modum habitus ad illius declarationem.

7 Dices cum Capreolo, intellectionem non eſſe ſimilitudinem, ſeu imaginem obiecti ratione ſui; ſed ita appellari ratione ſpeciei intelligibilis, à quâ procedit. Sed quis non videat, inepte effectum aliquem appellari imaginem alterius rei ex eo ſolum; quod cauſa, à quâ procedit, ſit imago, ſeu ſimilitudo talis rei. Secundò per cognitionem manifeſtatur, & explicatur nobis obiectum quod ante illam erat nobis occultum: ergo ipſa cognitio eſt repræſentatio expreſſa obiecti, vel ſecum affert talem repræſentationem. Et quidem S. Anſel. in Monol. cap. 31. expreſſe docet, obiectum intelligi per expreſsionem imaginis ipſius: *Nulla ratione* (inquit) *negari poteſt, cum mens rationalis ſe ipſâ cogitando intelligit, imaginem ipſius naſci in ſua cognitione; imo ipſam cognitionem ſui eſſe imaginem ad ſui ſimilitudinem, tanquam eius impreſſione formatam*; & poſtea addit idem contingere in intellectione cuiuſcunque rei. Idem docet S. Auguſtin. 9. de Trinit. capit. 10. circa finem, & cap. 11. in principio.

8 Obijcies Ariſt. qui 9. Met. tex. 16. & 1. Ethic. cap. 1. hoc conſtituit diſcrimen inter actiones immanentes, & tranſeuntes, quod per has fit aliquid, quod ſit finis

finis operantis; per illas verò nihil fit, in quod agens tendat tanquam in finem; ſed ipſæ ſunt finis operantis: & ſimilem doctrinam tradit S. Thom. nonnullis in locis: ergo ſentit Philoſophus, actiones immanentes, qualis eſt intellectio, eſſe actiones ſine termino. Reſpondeo, Ariſt. non cõſtituere diſcrimen inter eas actiones ex eo, quod aliæ habeant terminum productum; aliæ verò non; ſed ex eo, quod hæ, quas vocat tranſeũtes, producant terminum, qui ipſis tranſactis perſeueret; ſecus immanentes; & propterea perinde ſe habeant in exiſtimatione omnium, ac ſi nullum terminum producerent. Id colligo ex 1. Magn. mor. cap. 33. vbi ſimile conſtituit diſcrimen inter facultates actiuas & factiuas, nempe, quod factiuæ præter actionem habent alium finem, vt ædificatiua præter ædificationem habet domum: actiuæ verò non habent alium finem, niſi ipſam actionem; vt facultas citharizandi non habet alium finem præter citharæ modulationem: & tamen certum eſt, per citharæ modulationem produci aliquem terminum, nempe ſonum: ergo non ſumit Ariſt. diſcrimen ex eo, quod per vnam actionem producatur terminus; ſecus per aliam; ſed ſolum ex eo, quod vna tendat in terminum, qui, ipſâ tranſactâ, perſeueret; ſecus alia, & propterea vulgò cenſeatur, nihil aliud vltra ſe producere. Eodem modo explicandus eſt S. Thom.

Species expreſſa dependet ab intellectu per actionem ſuperadditam.

9 SVppono 3. eam qualitatem, quam dicimus eſſe ſpeciem expreſſam obiecti non pendere ſe ipſâ ab intellectu; ſed per actionẽ ſuperadditã. Ita Scot. Dur. Gab. Gregor. Sot. & Bañ. quos refert, & ſequitur P. Rub. ſupra nu. 276. Idem docet P. Mol. 1. p. q. 27. art. 1. diſ. 8. P. Hurt. hic diſp. 6. ſect. 4. vbi refert P. Vazq. & P. Suar. Probatur: quia Deus poteſt concurrere ſe ſolo cum intellectu ad producẽdam eam ſpeciem expreſſam obiecti, quam intellectus poteſt ſimul cum alio comprincipio producere: ergo ea ſpecies expreſſa non pendet ſe ipſa ab intellectu; ſed per actionem ſuperadditam. Antecedens admittitur communiter à Theologis, qui dicunt poſſe Deum loco habitus ſupernaturalis ſimul cum intellectu concurrere ad producendum actũ Fidei Diuinæ (hoc eſt, ſpeciẽ expreſſam repræſentantem obiectũ à Deo reuelatum) quem ipſe intellectus ſimul cum habitu Fidei ſolet producere. Conſequentia probatur: quia non alia ratione probamus calorem produci à ſuo agente per actionem ſuperadditam, niſi quia calor productus ab hoc agente conſeruari poteſt à Deo, vel ab alio: ergo, ſi ſpecies expreſſa obiecti reuelati, quæ produci ſolet ab habitu ſupernaturali Fidei ſimul cum intellectu, po-

teſt produci à Deo concurrente loco habitus, neceſſariū eſt, quod non pendeat ſe ipſâ à ſuis cauſis; ſed per actionem ſuperadditam. Confirmatur: quia id, quod ſe ipſo pēdet à ſua cauſa, eſt actuale exercitium illius, ac per conſequens, ea pereunte, pereat exercitium neceſſe eſt: ergo, ſi ſpecies expreſſa pendet ſe ipſa ab habitu ſupernaturali, hoc deficiente, non poterit produci à Deo concurrente loco ipſius habitus.

10 Dices, diuerſam ſpeciem expreſſam produci, quando concurrit intellectus cum habitu, ac quando Deus loco habitus ſubſtituitur ad cōcurſum: quia in primo caſu producitur ſpecies expreſſa, quę ſe ipſa depēdet ab habitu, & intellectu: & in ſecundo producitur alia, quę ſe ipſa depēdet ab intellectu, & Deo. Sed cōtra: quādo remoto agēte calefaciēte hoc ſubiectum, applicatur aliud, nō dicitur producere diuerſū calorē, ac primum; ſed conſeruare eundem per diuerſam actionem: ergo, quando concurrit Deus loco habitus ad conſeruandam repræſentationem obiecti, non eſt dicendus producere nouam ſpeciē expreſſam ſe ipſa pendentem à Deo; ſed producere, ſeu conſeruare eandem per diuerſam actionē, ac habitus eam producebat, ſeu ſaltem produceret, ſi tunc applicaretur.

11 Confirmatur: quia in ſpecie expreſſa obiecti nullum datur prędicatum, ratione cuius debeat pendere ſe ipſa ab intellectu: ergo ſicut calor, & reliquæ qualitates producuntur per actionem ſuperadditam; ita etiam ſpecies expreſſa. Probatur antecedens: quia, ſi aliquod, maximè prædicatum vitalitatis: ſed hoc ſufficienter conſtituitur in eo, quod petat produci ab intellectu per actionē in ipſo immanentē, quia per hanc exigentiam diſtinguitur à qualitatibus non vitalibus: ergo, &c. Et quidem, ſi ſe ipſa penderet ſpecies expreſſa ab intellectu, eſſet modus, quod longe eſſe debet ab ſpecie expreſſa, quæ, cum inter qualitates vitales ſit perfectiſsima, ſe cum non compatitur rationem modi, quæ entitates in qualibet ſerie imperfectiſsimas comitari ſolet, vt inductione conſtare poteſt.

Productio ſpeciei expreſſæ eſt realiter paſsio.

12 SVppono 4. actionē, per quā producitur ſpecies expreſſa, eſſe realiter paſsionem. Ratio eſt: quia per eam actionem producitur ſpecies expreſſa in intellectu tanquam in ſubiecto: ergo talis actio eſt id, quo effectus conſtituitur in ſubiecto, & eſt in illo: ergo eſt realiter paſsio. An verò actio, & paſsio diſtinguantur formaliter in ea entitate, conſtat ex dictis in Phyſ. diſp. 20. ſect. 3.

Species expreſſa vnitur per vnionem ſuperadditam.

SVppono 5. ſpeciem expreſſam non vniri intellectui per ſe ipſam; ſed per vnionem ſuperadditam.

Digitized by Google

tam. Probatur; quia quantitas, & aliæ qualitates, vt ſunt calor, & frigus, &c. non vniuntur ſuis ſubiectis per ſe ipſas; ſed per vniones ſuperadditas, vt docent communiter philoſophi: ergo idem dicẽdum eſt de ſpecie expreſſa, cũ nulla ſit ſpecialis ratio, propter quã vniri debeat per ſe ipſam: neque enim ratione vitalitatis id exigit, cum ratio vitalitatis ipſius ſpeciei expreſſæ ſufficienter conſtituatur in eo, quod petat produci ab intellectu, in quo recipitur, & illi vniri: ergo dicẽda eſt vniri per vnionem ſuperadditam.

13. Dices: ſpecies expreſſa eſt modus potentiæ intellectiuæ: ergo ſe ipſa illi vnitur; & non per vnionem ſuperadditam. Antecedens probatur 1. quia ſpecies expreſſa eſt actualis determinatio potentiæ ad obiecti: ergo eſt modus vtriuſque. Secundò: quia eſt relatio, qua potentia intellectiua immediatè refertur ab obiectum: ergo eſt modus illius. Conſequẽtia patet; tum quia omnis relatio eſt modus extremorum, inter quæ verſatur: tum etiam quia, ſi non eſſet modus ſe ipſo potentiæ vnitus, non poſſet ipſa potentia per ipſam ſpeciem expreſſam referri immediatè ad obiectum. Nego primum antecedens. Ad primam probationem diſtinguo antecedens: ſpecies expreſſa eſt actualis determinatio in actu ſecundo, nego antecedens: in actu primo cauſæ formalis, concedo antecedens. Eſt dicere: ſpecies expreſſa eſt forma, quæ ſi informet potentiam, illi repræſentabit expreſſe obiectũ per modũ actus. Cæterũ non eſt de conceptu eſſentiali talis formæ actualis informatio, & ideo non determinat potẽtiam ſe ipſa; ſed per informatiõẽ ſuperadditam: ad eum modũ, quo ſi albedo informet ſubiectum, cõſtituet illud album tãquam actus illius; non tamen eſt de conceptu albedinis informatio actualis ſubiecti, & propterea non conſtituit album ſe ipſa; ſed per informationem ſuperadditam.

14. Ad ſecundã probationem diſtinguo antecedens: ſpecies expreſſa eſt relatio prædicamẽtalis potẽtię ad obiectũ, nego; tranſcẽdentalis, concedo antecedens: & nego conſequentiã; neq; enim eſt de conceptu relationis tranſcendẽtalis vt ſic, quod ſit modus extremorũ, inter quæ verſatur, vt cõſtat in quãtitate, per quã materia prima cõſtituitur proximè potens recipere qualitates diſponentes ad formã ſubſtantialẽ; & nihilominus quantitas non eſt modus materiæ primæ, etiãſi hæc mediã illã ad qualitates referatur. Ad id, quod additur, nempe, *potẽtia per ſpeciẽ expreſſam immediatè refertur ad obiectũ*, dico eſſe verũ, ſi τὸ *immediatè* excludat qualitatẽ aliam, ſeu formã realẽ interiectam inter potentiã, & ſpeciẽ expreſſã; ſecus ſi excludat modum vnionis interiectũ: quia ſicut cauſa dicitur immediatè effectum producere, quando non mediat alia cauſa inter vtranque, etiamſi mediet actio; ita etiam potentia dicetur

cetur immediatè referri per ſpeciem expreſſam, ſi inter vtranque non medijet alia qualitas, etiamſi mediet informatio, ſeu vnio ſuperaddita.

Vnio ſpeciei expreſſæ producitur per diuerſam actionem, ac ipſa ſpecies expreſſa, & hæc repræſentat obiectum formaliter potentiæ.

15 SVppono 6. hanc vnionem produci per actionē, & paſſionem diſtinctā realiter ab actione, & paſſione, per quam producitur ſpecies expreſſa: quia vnio formæ produci ſolet per diuerſam actionem ab ipſa forma, vt diximus in Phyſ. diſp. 13. ſect. 8. Suppono 7. obiectum repræſentari formaliter intellectui per ſpeciem expreſſam, non vt pendentem ab ipſo intellectu per actionem, & paſſionem; ſed prout vnitam illi præciſè. Itaque, ſi ſpecies expreſſa à ſolo Deo producta per creationem vniretur intellectui per vnionem à Deo ſolo etiam creatam, repræſentaret formaliter obiectum intellectui, etiamſi actu non produceretur ab illo. Ratio eſt: quia ſpecies expreſſa tribuit ſuum effectum formalem intellectui per informationem: ſed informatio eſt ſola vnio, vt conſtat ex Phyſ. diſp. 5. num. 36. ergo per ſolam vnionem tribuit illi ſuū effectum formalem: ergo, cum effectus formalis ſpeciei expreſſæ ſit repræſentare formaliter obiectum, id præſtabit per vnionem ſolam, etiamſi actu non pendeat ab intellectu per actionem, & paſſionem.

16 Ex his conſtat, in intellectione inueniri ſpeciē expreſſam obiecti, actionem, & paſſionē, per quam hæc ſpecies producitur ab intellectu in ſe ipſo; deinde vnionem, per quam vnitur intellectui; & denique actionē & paſſionem, per quam ipſe intellectus talem vnionem in ſe ipſo producit. Eſt tamen difficultas: An intellectio formaliter conſiſtat ſolum in ſpecie expreſſâ, vel ſecundū ſe ſumptâ, vel prout vnitâ intellectui? vel an ſolum conſiſtat in actione, & paſſione, per quā ipſa ſpecies expreſſa, ſeu vnio illius producūtur? vel an in his omnibus conſtituenda ſit? Id autem, quod de intellectione dixerimus, dictum puta de ſenſationibus, & appetitionibus, quia in his omnibus inueniuntur ea, quæ in intellectione dari diximus; cum hoc tamen diſcrimine, quod qualitas producta per voluntatem & appetitum, nō dicetur repræſentatio, ſeu ſpecies expreſſa obiecti, ſed amplexus illius, ſeu pondus in illud, quia per eam fertur, ſeu quaſi rapitur voluntas in ſuum obiectum, iuxta illud D. Aug. *Amor meus pondus meum, illo feror, quocunque feror.*

SECTIO II.
Nonnullæ ſententiæ diſcutiuntur.

17 PRima ſententia affimat, intellectionē conſiſtere formaliter

Digitized by Google

maliter in ſola ſpecie expreſſa. Ita Scot. in 1. diſt. 27. q. 3. in ſol. ad 3. 1. q. & in 4. diſt. 49. q. 2. §. *Ad argumenta* in ſol. 4. Sonz. 9. Met. q. 20. & 21. Cai. 1. p. q. 34. art. 1. §. *In reſponſione ad* 2. P. Vazq. 1. p. diſp. 141. cap. 4. n. 17. P. Rubi. 3. de An. cap. 5. nu. 276. Probatur: quia in Diuinis tota ratio intellectionis eſſentialis cõſiſtit in ſolâ ſpecie expreſsâ abſque vllâ actione: ergo & in creatis. Antecedens eſt certum: quia ſpecies expreſſa, quâ Diuinitas cognoſcit ſe ipſam, & reliqua omni, non eſt realiter in diſtincta ab ipſa Diuinitate, & propterea nulla poteſt ibi intelligi actio realis, per quam à Diuinitate procedat. Cõſequentia patet: quia, ſi ex eo præciſe, quod obiectum repræſentetur Deo per ſpeciem expreſſam, dicitur Deus intelligere, cur non ſufficiet in creatis; quod obiectũ repræſentetur formaliter intellectui per ſpeciem expreſſam, vt dicatur intellectus intelligere ipſum obiectum?

18 Cæterum, ſi liceret argumentum ex Diuinis deducere ad creata, facile probari poſſet, intellectionem creatam non conſiſtere in ſpecie expreſſa, ſeu imagine obiecti; ſed in productione talis imaginis: quia, quando in Diuinis imago obiecti cogniti producitur à potẽtia intellectiua per veram actionem diſtinctam realiter ab ipſa imagine; cognitio cõſiſtit in productione imaginis, & non in ipſa imagine, vt conſtat in cognitione notionali Patris æterni, quæ conſiſtit formaliter in actione, per quam potentia intellectiua Patris producit verbum Diuinum, quod eſt imago repræſentans Patrem: ergo in creatis, in quibus ſpecies expreſſa, ſeu imago obiecti cogniti producitur ab intellectu per veram actionem, cognitio debet conſiſtere formaliter in productione imaginis, & non in ipſa imagine producta.

19 Ratio à priori huius eſt: quia, vt diximus diſp. 5. num. 42. de ratione viuentis prout comprehendit Deum, & creaturas, eſt habere à ſe ſuam perfectionem: vnde per illud conſtituetur viuens in actu ſecundo, per quod actu habet à ſe ſuam perfectionem: cum autem viuentia intellectiua creata non aliter habeant à ſe ſuam perfectionem, imaginem videlicet obiecti, niſi quatenus illam in ſe ipſis producunt, neceſſarium eſt; quod per ipſam productionem imaginis conſtituantur formaliter intelligentia in actu ſecundo. Et hinc ſumitur ratio, cur cognitio eſſentialis Dei debeat conſiſtere in ſpecie expreſſa, & non in actione aliqua: nam Deus non habet à ſe iſtam perfectionem, quia eam in ſe ipſe producit; ſed quia eam habet ſecum identificatam independenter à principio aliquo producente: cum autem illa ſe ipſa ſit independens ab alio, & identificata cum Deo, ſe ipſa conſtituit illum viuentem, ſeu intelligentem in actu ſecundo, & non ratione alicuius ſuperadditi. Ex quo ſoluta manet ratio

ad u-

adducta pro prima ſententia.

20 Secundo probari ſolet ea ſentẽtia: quia intellectus eatenus intelligit formaliter obiectũ, quatenus fit illi expreſſe ſimilis; ſed fit expreſſe ſimilis obiecto per ſpeciem expreſſam: ergo in ſpecie expreſſa cõſiſtit formaliter intellectio. Minor conſtat: quia per id debet fieri intellectus ſimilis expreſſe obiecto, quod eſt expreſſa ſimilitudo, & repræſentatio ipſius obiecti: ſed id conuenit ſpeciei expreſſæ: ergo &c. Hæc tamen ratio non vrget: quia duo poſſumus diſtinguere, & quod intellectus ſit expreſſe ſimilis obiecto; & quod fiat illi ſimilis, non quidem à quocunque agente; ſed à ſe ipſo, ita vt ipſe intellectus ſit, qui ſe ipſum facit expreſſe ſimilem obiecto. Intellectus ergo eſt expreſſe ſimilis obiecto formaliter per ſpeciem expreſſam; cæterum intellectio non poteſt formaliter conſiſtere in hac propter rationem adducendam pro noſtra ſententia. Si autem dicatur intellectio conſiſtere in eo, quod intellectus faciat ſe ipſum ſimilem obiecto conſiſtet in actione, quia per actionem, per quam intellectus in ſe ipſo producit ſpeciẽ expreſſam, facit ſe ſimilem obiecto expreſſe, ſicut ignis facit calidum ſubiectũ per actionem, per quam producit in illo calorem.

21 Vnde ad argumentum diſtinguo maiorem: intellectus eatenus intelligit obiectum, quatenus à ſe ipſo fit expreſſe ſimilis ipſi obiecto, concedo: quatenus à quocunque alio fit ſimilis obiecto, nego maiorem. Cum autem productio ſpeciei expreſſæ, vel vnionis ſit id, per quod intellectus fit ſimilis à ſe ipſo, ſeu ſe ipſum facit ſimilem obiecto, in ea productione conſiſtet intellectio formaliter, & nõ in ſpecie expreſſa. Alia argumenta, quæ adducuntur pro hac ſententia, nõ tam probant, intellectionem conſiſtere in ſpecie expreſſa, quam non conſiſtere in actione, de quibus infra.

22 Secunda ſentẽtia affirmat, intellectionem conſiſtere formaliter in ſpecie expreſſa, & ſimul in actione, per quã talis ſpecies producitur ab intellectu in ipſo. Ita P. Hurt. hic diſp. 6. ſect. 1. ſubſ. 1 & in eam inclinari videtur P. Suar. tom. 1. in 3. p. diſp. 24. ſect. 2, concl. 3. Quod dicitur de actione infra examinabitur, & probabitur. Quod vero intellectio ſimul cum actione includat ſpeciem expreſſam, probatur à P. Hurt. nu. 63. quia intellectio eſt potiſsima perfectio potentiæ intellectiuæ: ſed actio, per quam producitur ſpecies expreſſa non eſt potiſsima perfectio potentiæ intellectiuæ, cum ipſa ſpecies expreſſa ſit perfectior tali actione: ergo intellectio præter actionem debet includere formaliter ſpeciem expreſſam. Hæc ratio inanis eſt, quia maior propoſitio non probatur à ſuo authore, neque probari poteſt: nam non eſt de ratione intellectionis, quod ipſa ſit potiſsima perfectio potentiæ intellectiuæ; ſed quod ſecum aſſerat

rat potiſsimam perfectionem huius potentiæ, vt videbimus ſectione ſequente. Aliam rationem adducit eum. 64. quam infra ſect. 4. ſoluemus.

23 Tertia ſententia aſſerit, intellectionem conſiſtere formaliter in ſpecie expreſſa ſe ipſa pendente ab intellectu ſine actione ſuperaddita. Ita nonnulli recent. Sed in primis iam ſupra probatũ eſt, ſpeciem expreſſam intellectus creati pendere ab illo per actionem ſuperadditam. Secundò, ſi pendeat ſe ipſa (demus hoc) debet habere duas formalitates realiter indiſtinctas, nempe & rationem ſpeciei expreſſæ, quæ eſt formaliter qualitas; & rationem dependentiæ actualis ab intellectu, quæ eſt formaliter actio. Vel ergo intellectio conſiſtit formaliter in formalitate actionis; vel in formalitate ſpeciei expreſſæ vel in vtraque. Si dicatur primum, eſt ſententia probanda ſect. ſequente. Si ſecundum, vel tertium, impugnatur impugnatione primæ, & ſecundæ ſententiæ, & ex probatione noſtræ plenius refutabitur.

24 Quarta ſententia, quam tenet P. Zuñ. tom. de Trin. diſp. 1. dub. 2. memb. 1. & 2. Cui conſentit P. Arr. diſp. 2. de An. ſect. 2. ſubſ. 5. duas vitas diſtinguit: vnã phyſicam; aliam intentionalem. Primam dicit conſiſtere formaliter in actione, per quam viuens producit in ſe ſuam perfectionẽ. Secundã vero conſiſtere formaliter in ſpecie expreſſa, per quã repræſentatur formaliter obiectum potentiæ cognoſcitiuæ; & in qualitate, per quam potentia appetitiua fertur in obiectum. Hanc vitam intentionalem ita diſtinguũt iſti authores à vita phyſica, vt, licet non ſit producta à viuente; nihilominus præciſe per informationem conſtituat illud actu viuens vitâ intentionali. Probatur hæc ſententia: quia ratio viuentis conſiſtit in hoc, quod eſt operari aliquid intra ſe, ſeu à ſe tendere in propriam perfectionem ſiue intentionaliter, ſiue phyſice: ſed, quando agens producit in ſe ſuam perfectionem (cum conditionibus aſsignatis diſp. 5. ſect. 3) operatur aliquid intra ſe phyſice: deinde, quando quis fertur in obiectum per ſpeciem expreſſam, ſeu per qualitatem, quæ eſt pondus in obiectum, operatur intentionaliter intra ſe circa obiectum cognoſcendum, aut appetendum: ergo datur duplex vita ſupra aſſignata.

25 Præterea, quod attinet ad vitam intentionalem, probatur 2. quia licet Diuinitas nihil in ſe phyſice producat, nihilominus quia per ſpeciem expreſſam fertur intentionaliter in obiectum, dicitur viuere vitâ intentionali: ergo ad rationem vitæ intentionalis nihil aliud requiritur, niſi, quod obiectũ intẽtionaliter repræſentetur potentiæ cognoſcitiuæ, ſeu quod potẽtia appetitiua feratur in illud per pondus, ſeu amplexum illius. Ex his inferunt iſti authores 1. intellectiua creata ha-

habere duplicem vitam; phyſicam videlicet, quia producunt in ſe ſpeciem expreſſam tanquam propriam perfectionem; deinde intentionalem, quia per ipſam ſpeciem expreſſam præciſe vt informantem, tendunt intentionaliter in obiectum. Inferunt 2. intellectionem conſiſtere formaliter in ſpecie expreſſa, quia intellectio eſt vita intentionalis, vt nullus negat: ſed id, quod in intellectu habet rationem vitæ intentionalis eſt ſpecies expreſſa: ergo in illa conſiſtit formaliter intellectio.

26 Hæc ſententia valde mihi diſplicet quoad id, quod docet de vita intentionali. Et primò argumentor ad hominem contra hos authores: quia per te de ratione viuentis eſt operari aliquid intra ſe, nō quidem in genere cauſæ materialis; ſed in genere cauſæ efficientis, vt tu cum omnibus concedis: atqui per ſpeciem expreſſam præciſe vt informantem non operatur viuens efficienter aliquid intra ſe: ergo non viuit formaliter per illam præciſe vt informantem. Minorem probo: quia viuens præciſe per informationem ſpeciei expreſſæ non producit illam efficienter, neque obiectum, quod ipſa repræſentat: ergo nihil: quia non eſt aliud, quod producere poſsit. Confirmatur: quia viuens reſpectu ſpeciei expreſſæ præciſe vt informantis ſolum ſe habet vt ſubiectum, cui illa communicat ſuum effectum formalem: ſed hoc non eſt operari efficienter circa obiectum; ſed ſolum habere effectum formalem formæ tendentis in illud: ergo &c.

27 Dices, non eſſe operari efficienter phyſice; ſed intentionaliter. Sed contrà: ex eo præciſe, quod ſubiectum aliquod habeat effectum formalem formæ phyſicæ reſpicientis aliquem terminum, non dicitur operari efficienter phyſicè circa talem terminū: ergo neque ex eo præciſe, quod viuens habeat effectum formalem formæ intentionalis tendentis in obiectum, dicetur operari efficienter intentionaliter circa ipſum obiectum. Omitto alia argumenta, quæ videri poſſunt apud P. Hurt. ſupra impugnantem hanc ſentētiam. Bene noui eſſe aliquos recentiores, qui docent ad rationem vitæ intentionalis non requiri, quod viuens in ſe aliquid operetur; ſed ſolum, quod intentionaliter feratur in obiectum per informationem vitæ intentionalis. Hi tamen apertè contradicunt communi philoſophorum ſententiæ huc uſque aſſerentium de conceptu viuentis eſſe, quod ſe moueat ab intrinſeco, vel ſaltē quod à ſe habeat ſuam perfectionem, à quibus recedendum non eſt pro libito cuiuſque intendentis nouas rerum definitiones inuehere in ſcholas.

28 Hinc facile ſoluuntur rationes ſupra adductæ pro hac ſententia. Ad primam, ſi loquatur de viuente, vt abſtrahit à creato, & increato, dico, non eſſe de ratione eius operari aliquid intra ſe, quia Deus per cognitionem eſſentialem

lem nihil operatur intra ſe; ſed de ratione viuentis eſt habere à ſe ſuam perfectionem; quam quidem Deus habet à ſe, quia illam habet improductam ab aliquo agente; creaturæ vero, quia illam in ſe ipſis producunt per actionem propriam. Si vero loquatur de viuente creato, verum eſt, quod de ratione viuentis eſt operari aliquid intra ſe, ita tamen, vt debeat in ſe illud efficere per propriam actionem, quod præſtari nō poteſt per ſpeciem expreſſam præciſe vt informantem, quia ſecundum hanc rationem nihil operatur efficienter viuens; ſed ſolum ſe habet vt ſubiectum informationis formæ intentionalis.

29 Ad 2. dico, Deum non viuere per ſpeciem expreſſam præciſe, quia illi formaliter repræſentat obiectum; ſed quia eam habet à ſe vt propriam perfectionem: in intellectiuum vero creatum, ſi non produceret in ſe ſuam ſpeciem expreſſam, non haberet illam á ſe, & ideo non diceretur viuere per illam. Hinc collige contra illam ſententiam, intellectionē non poſſe cōſiſtere formaliter in ſola ſpecie expreſſa præciſe vt informante, quia, cum intelligere ſit viuere & viuere ſit habere à ſe ſuam perfectionem, quam à ſe non habet intellectiuum creatum, niſi per propriam actionem eam in ſe producat, neceſſarium eſt, quod non poſſit intelligere formaliter per ſpeciem expreſſam præciſe vt informantem.

SECTIO III.
Vera Sententia.

30 DIcēdum eſt 1. intellectionem conſiſtere formaliter in ſola actione. Ita P. Mol. 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 1. & q. 27. art. 1. PP. Connimb. 3. de An. cap. 8. q. 3. art. 3. P. Gaſp. Hurt. 1. 2. diſp. Probatur ex Ariſtot. qui 1. Ethic. c. 3. apud PP. Cōn. docet, operationes virtutis, & fælicitatem non eſſe qualitatem. Deinde cap. 7. conſtituit fœlicitatem in contemplatione, quæ quidem eſt intellectio: ergo ſentit intellectionem non conſiſtere in ſpecie expreſſa, quæ eſt qualitas, ac per cōſequens ſentit conſiſtere in actione terminata ad ſpeciem expreſſam. Secūdo probatur ex S. Th. 1. p. q. 27. ar. 1. vbi ait: *quicunque autem intelligit ex hoc ipſo quod intelligit, producit aliquid intra ipſum, quod eſt cōceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens, quā quidem conceptionem vox ſignificat, & dicitur verbum cordis.* Vbi docet, verbū in intellectione procedere ex notitia, ſeu per notitiā obiecti: notitia autem obiecti, nihil aliud eſt, niſi cognitio ipſius obiecti: atqui in ſententia D. Th. verbum intellectus creati non diſtinguitur ab ſpecie expreſſa, vt probauimus ſect. 5. ergo ſentit intellectionem conſiſtere formaliter in actione, per quam intellectus in ſe ipſo producit ſpeciem expreſſam. Idem clarius docet

q. 5.

q.5. de Pot. art. 1. vbi dicit; conceptionem intellectus; & verbum diſtingui ab actu intelligēdi, quia conceptio conſideratur, vt terminus actionis, actus autem intelligendi, vt actio, quę ad conceptionem terminatur.

31 Deinde probatur hac vnica ratione: quia intellectio eſt exercitium potentiæ intellectiuę; ſed exercitium potentiæ intellectiuæ conſiſtit formaliter in ſola actione prout diſtincta ab ſpecie expreſſâ: ergo intellectio conſiſtit formaliter in ſola actione prout diſtincta ab ſpecie expreſſâ. Maior eſt certa: quia ſicut calefactio eſt exercitium potentiæ calefactiuæ, & motio exercitium potentiæ motiuæ &c. ita etiam intellectio debet eſſe exercitium potentiæ intellectiuæ. Minor probatur: quia intellectiuum vt tale eſt viuens: ſed exercitium viuentis conſiſtit formaliter in ſola actione prout à termino diſtincta: ergo & exercitium intellectiui. Minor probatur; quia ratio viuentis conſiſtit formaliter in virtute productiua ſuæ perfectionis in ſe ipſo; eo modo, quo diximus diſp. 5. ſect. 3. ſed exercitium potentiæ productiuæ ſuæ perfectionis in ſe, conſiſtit in actione, per quam viuens talem perfectionem in ſe producit: ergo exercitium viuentis conſiſtit formaliter in actione. Vnde exercitium intellectiui, quod eſt tale viuens conſiſtet formaliter in tali actione; nempe in ea, per quam ſpeciē expreſſam in ſe producit.

Hoc autem non ita intelligendum eſt, vt intellectio conſiſtat in ſola actione, prout formaliter excludit paſsionem (etiamſi ratione ratiocinata diſtinguatur) ſed in actione realiter ſumpta, prout formaliter dicit actionē, & paſſionē, quia vt diſp. 6. ſect. 2. probauimus ex Ariſt. & cōmuni Philoſophorum ſentētia, principium viuens, ſeu potentia vitalis eſſentialiter includit principium actiuum, & paſsiuum ſuæ perfectionis: ergo exercitiū eius eſſentialiter includit actionem, & paſsionem; ac per conſequens vtramque dicet eſſentialiter intellectio.

32 Dices 1. actio & paſsio ſunt res diuerſorum prædicamentorū: ergo, ſi intellectio ex illis reſultaret, eſſet vnū per accidens. In primis iuxta doctrinam à nobis traditam in Phyſ. diſp. 2. ſect. 3. duo illa prædicamēta non dātur in abſtracto, per *actionem* videlicet, & *paſſionem*; ſed in cōcreto per *agere*, & *pati*, ſeu per *agens*, & *patiēs*. Secundo: quidquid ſit de hoc: diſtinguo antecēdēs; ſunt res diuerſorū prædicamentorū realiter idētificatæ, concedo: realiter diſtinctæ, nego antecedens. Et deinde nego conſequētiā: quia ad hoc, vt ex illis reſultaret vnum per accidēs, deberent accidentaliter coniungi: ad hoc autē, vt accidentaliter coniungerētur neceſſarū eſſet, quod poſſent non coniungi. Quod quidē illis repugnat: tū, quia ſunt idem realiter: tum etiā, quia eductio (quæ nomine actionis hic ſignificatur) ex ſuo conceptu forma-

mali habet connexionem eſſentia lem cum paſsione, ita vt ab illa ſaltem in obliquo concepta ſeparari nequeat, adhuc per rationem in eadem entitate.

33 Dices 2. intellectiuum vt tale, non ſolum eſt productiuum ſuę perfectionis in ſe ipſo; ſed etiã eſt repræſentatiuũ obiecti: ergo, ſicut in ratione productiui exercetur per actionem, & paſsionem, ita etiã in ratione repræſentatiui exercebitur per repræſentationẽ: ſed id, quod habet rationem repræſentationis eſt ſpecies expreſſa: ergo ea pertinet ad exercitiũ actuale intellectiui vt talis: ergo eſt de conceptu formali intellectionis. Hic eſt lata æquiuocatio: nam repræſentatiuũ poteſt ſumi, vel pro potentia productiua repræſentationis formalis, vel pro forma potenti repræſentare obiectum. Si ſumatur pro potentia productiua repræſentationis formalis, debet exerceri, ſeu reduci ad actum ſecundum per productionem ipſius repræſentationis, & ita exercitium talis potentiæ conſiſtet in actione. Si vero ſumatur pro forma potente repræſentare formaliter obiectum, debet reduci ad actum per informationem, media qua informat potentiam, cui repræſentat formaliter obiectum, & ita exercitium eius erit vnio.

34 Hinc facile ſoluitur argumentum. Diſtinguo antecedens: intellectiuum; vt tale non ſolum eſt &c. ſed etiam repræſentatiuum effici[e]nter, concedo, formaliter, nego antecedens. Deinde diſtinguo conſequens: ita etiam in ratione repræſentatiui exercetur per repræſentationem actiuam, hoc eſt, per productionem repræſentationis formalis, concedo: per formalem, nego conſequentiam; quia repræſentatio formalis non eſt exercitium ſuæ potentiæ productiuæ; ſed terminus. Præterea diſtinguo minorem: Id, quod habet rationem repræſentationis formalis, eſt ſpecies expreſſa, concedo: quod habet rationem repræſentationis actiuæ, nego minorem; & denique nego conſequentiam.

35 Dico 2. intellectio conſiſtit formaliter in actione, & paſſione, per quã intellectus producit in ſe vnionem ſpeciei expreſſæ, non vero in actione, & paſsione, per quam producit ipſam ſpeciem expreſſam. Probatur: quia intelligere eſt facere ſibi præſens formaliter obiectum: ſed per productionem modi vnionis ſpeciei expreſſæ in ſe ipſo facit intellectus præſens ſibi formaliter obiectum: ergo per hanc productionem intelligit formaliter. Minorem probo: quia obiectum eatenus eſt formaliter præſens intellectui, quatenus, ſpecies expreſſa per ſui informatonẽ repræſentat illud formaliter ipſi intellectui: ergo per eam actionem facit ſibi intellectus formaliter præſens obiectum; per quam cauſat in ſe informationem ſpeciei expreſſæ: ſed per productionem vnionis cauſat in ſe

ta-

Digitized by Google

talem informationẽ: neque enim informatio eſt aliud, quam vnio: ergo &c.

36 Addendũ tamen eſt, actionem, per quam intellectus in ſe ipſo producit ſpeciem expreſſam, eſſe eſſentialiter vitalem, & propriam intellectus vt talis, quia eſt actio, per quam intellectiuum producit in ſe perfectionem non pertinentem ad naturalem conſtitutionem illius: & licet hæc productio non ſit de ratione intellectionis formalis; poteſt tamen dici intellectio radicalis: quia eſt actio propria intellectus vt talis præuia ex natura rei ad intellectionem formalem.

37 Duo hic aduertenda ſunt circa ſpeciem expreſſam, & vnionem eius. Primum eſt, eas eſſe terminos vitales: quia ex natura ſua petunt produci à principio intellectiuo per actionem in ipſo manentem vltra naturalem eius diſpoſitionem, quod ſufficit ad rationem termini vitalis. Secundum eſt, eas non ſolum non eſſe de cõceptu intellectionis formalis; ſed neque de conceptu formali intelligentis: quia intelligens reſultat eſſentialiter ex potentia intellectiua tanquam ex ſubiecto, & intellectione tanquam formâ: ſed intellectio adæquate conſiſtit in actione, & paſſione, vt dictum eſt: ergo &c. Species vero expreſſa & vnio ſunt termini immediati, & intellectionis, & intelligentis: ad eum modum, quo terminus productus per motum non eſt de cõceptu eſſentiali mouentis, aut motiui vt talium; ſed terminus immediatus iſtorum.

38 Hinc eſt, quod ſpecies expreſſa, & vnio intellectus poſſunt dici actus intellectus, quia licet non ſint de ratione formali exercitij actualis ipſius intellectus, terminant tamen immediate eius exercitium, quod ſufficit, vt dicatur actus illius iuxta doctrinam à nobis traditam in Phyſ. diſp. 3. ſect. 2. vbi ex Ariſt. probauimus, non ſolum dici actum alicuius potentiæ id, per quod formaliter exercetur, ſeu conſtituitur operans in actu ſecundo; ſed etiã terminum productum per tale exercitium: cum hoc tamen diſcrimine, quod exercitium dicitur actus productiui vt talis, quia immediate actuat potentiam productiuam; terminus vero dicitur actus producentis vt talis, quia actuat potentiam prout iam affectam exercitio actuali.

SECTIO IIII.
Soluuntur obiecta.

39 PRimo obijcitur Ariſt. qui 3. de An. cap. 7. text. 28. ait, *ſenſibile autem ad actum ex potentia ſenſitiuum ipſum deducere, actuque videtur efficere: non enim patitur, ac alteratur, quapropter alia quædam eſt ſpecies motus: nam motus actus eſt imperfecti: at actus ſimpliciter, qui quidẽ eſt rei perfectæ, alius eſt omnino diuerſus ab illo: ſentire igitur ipſi dicere ſolum, ac intelligere ſimile eſt*: ac ſi diceret: ſentire non eſt actus imper-

perfecti, ſicut nec dicere, & intelligere: ſi autem ſentire, & intelligere conſiſteret in actione ſolâ, ſine dubio eſſent actus imperfecti, quia poſitâ actione, & paſsione manet potentia cognoſcitiua in potentia ad ſpeciem expreſſam. reſpondeo cum S. Tho. & P. Tol. & PP. Conimb. circa hunc locum, Philoſophum ibi diſtinguere motum ſenſationis, & intellectionis à motu alterationis corruptiuæ, qui datur inter cōtrarias qualitates. Hunc autem motum vocat actum imperfecti, quia cum qualitates per illum productæ ex natura ſua diſponāt materiam ad formam aliquam ſubſtantialem, quæ eſt præcipuum complementū & potiſsima perfectio materiæ, ſemper relinquit illā impefectā, donec adueniat ipſa forma ſubſtantialis; at vero ſenſatio ſupponit iam totum ſubſtantiale conſtitutum, & completum in ſuo eſſe ſubſtantiali, neque in illo aliquid corrumpit, quod ſit propriè eius perfectio; ſed ſolum illud perficit: & propterea dicitur actus rei perfectæ, quia, videlicet, actuat rem iam perfectam in eſſe ſubſtantiali taliter, vt nullam illi adimat perfectionem debitam illi ex natura rei.

40 Id autem, quod additur in obiectione, nempe, quod poſita actione, & paſsione potentia cognoſcitiua manet in potentia ad ſpeciem expreſſam, falſum eſt: quia, cum per actionem, & paſsionem conſtituatur potentia in actu ſecundo ad ipſam ſpeciē expreſſam, non poteſt dici manere in potentia, ſed iam eſſe in actu ad illam, & propterea diximus ſupra, ſpeciem expreſſam non eſſe actum potentiæ productiuæ, ſeu cognoſcitiuæ vt talis: ſed potius potentiæ producentis, ſeu cognoſcentis.

41 Obijcitur 2. S. Tho. 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. vbi ait: *Intelligere importat ſolum habitudinem intelligentis ad rem intellectam; in qua nulla ratio originis importatur; ſed ſolum informatio quædā in intellectu noſtro, prout intellectus noſter fit actu per formam rei intellectæ*: Ergo ſenſit D. Thom. intellectionem non conſiſtere in actione, quæ eſt origo ſpeciei expreſſæ ab intellectu; ſed ſolum in ipſa ſpecie expreſſa, per quam obiectum repræſentatur formaliter intellectui. Reſpondeo, longe aliam eſſe mentem Angelici Doctoris in eo loco: quia ibi intendit probare, quod, licet in Diuinis omnes tres perſonæ ſint intelligentes; non tamen omnes, ſed ſolus Pater eſt dicens. Quod ex eo probat: quia, vt aliquis dicere dicatur, neceſſarium eſt, quod producat id, quod immediatè dicit, nempe verbum; cum autem non omnes perſonæ, ſed ſolus Pater verbū producat, ſolus ipſe dicet: at verô, vt quis dicatur intelligere, neceſſariū nō eſt, quod rem intellectā producat: vnde bene potuerunt omnes perſonæ intelligere, licet non omnes a[illegible] quid producant.

42 Hinc eſt quod

cit S. Thom. *Intelligere importat ſolam habitudinem intelligẽtis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur*; nõ negat originem intellectionis ab intelligẽte; ſed originem, qua res immediate intellecta procedat ab intelligente: ad diſtinctionẽ illius, quod immediatè dicitur, quod quidem oriri debet à dicente. En D. Tho. nobis non aduerſatur, quin potius verbis ſequentibus noſtram firmat ſententiam; dum enim addit, *Sed ſolum informatio quadã*, idem eſt, ac ſi diceret; ſed vnio ſpeciei expreſſæ. Pergit, *prout intellectus noſter fit actu per formã rei intellecta*: hoc eſt prout intellectus noſter producens in ſe hanc vnionẽ actuatur, ac informatur per formam rei intellectæ, id eſt, per ſpeciem expreſſam, quibus verbis clarè tradit ſententiam, quam ſecuti ſumus.

43 Obijcitur 3. idem S. Tho. in 1. diſt. 27. q. 2. art. 2. §. *Alij dicunt*; vbi ait: *Vnde oportet, quod verbum vel dicatur ſola operatio intelligendi, vel ipſa ſpecies, quæ eſt ſimilitudo rei intellectæ, & ſine vtroque iſtorum non poteſt quis intelligere: vtrumque enim iſtorum eſt, quo quis intelligit formaliter*: quibus verbis videtur dicere S. Thom. intellectionem non ſolum conſiſtere in actione; ſed etiam in ſpecie expreſſa. Reſpondeo à nobis eſſe in hoc loco S. Thom. quia illis verbis: *vel dicatur ſola operatio intelligendi, vel ſpecies*: clare ſpeciem non ingredi rationalem intellectionis, ſiquidem ſpeciem ipſam disiungit ab operatione intelligendi, ſeu intellectione; inepta enim ea disiunctio eſſet, ſi ſpecies expreſſa includeretur in intellectione, ſeu, quod idem eſt, in operatione intelligẽdi. Vnde cum in fine dicit: *Vtrumq; enim iſtorum eſt, quo quis intelligit formaliter*; perinde eſt, ac ſi diceret, non poſſe quem intelligere, quin tam actio, quã ſpecies expreſſa illius potentiam informent. Quod veriſsimum eſt; nõ tamen inde infertur, quod intellectio formalis in ſola actione nõ conſiſtat, vt ex dictis circa noſtrã ſententiam colligitur.

44 Obijcitur 4. D. Aug. qui aliquibus in locis docet, cogitationem, & cognitionem eſſe verbum: ſed verbum conſiſtit formaliter in ſpecie expreſſa: ergo & cognitio. Reſpondeo D. Aug. ibi non loqui de cognitione formali, ſed de termino cognitionis, quem vocat cognitionẽ, ſeu cogitationẽ mutuando vocabulũ à cognitione formali. Hanc explicationẽ colligo 1. ex eo, quod in aliquibus ex his locis, vt lib. 15. de Trin. c. 10. & 16. verbũ vocat cognitionẽ, ſeu cogitationẽ formatã: neque enim eſſet cur τὸ *formatã* adderet, niſi loqueretur de termino producto per cognitionẽ. Secundò; quia, vt dicemus ſect. ſeq. in alijs locis docet, cognitionem eſſe id, quo verbum producitur. Quod nõ poteſt conuenire ſpeciei expreſſæ; ſed actioni, per quã producitur. Eodem modo explicandus eſt S. Anſel. in Monol. cap. 11.

Digitized by Google

45 Obijciunt 5. obiectum immediatè denominatur cognitum, ſeu intellectum: ſed non poteſt immediatè denominari cognitum à ſola productione ſpeciei expreſſæ, niſi prout coniunctā cum ipſa ſpecie expreſſa: ergo intellectio non conſiſtit in ſola actione; ſed coaleſcit ex illa, & ſpecie expreſſa. Minor probatur: quia actio nō attingit immediatè obiectum; ſed ſpeciem expreſſam, quæ eſt terminus intrinſecus illius: ergo actio non poteſt ſe ſola immediatè denominare cognitum obiectum; ſed id præſtat ſimul cum ſpecie expreſſa: ergo in vtraque conſiſtit intellectio. Diſtinguo minorem: obiectum non poteſt immediatè denominari cognitum à ſola actione, niſi prout cōiuncta cũ ſpecie expreſſa tanquā cum termino per ipſam actionem producto, concedo: tanquam cum forma denominante obiectum cognitum ſimul cum ipſa actione, nego minorem. Ad probationem, diſtinguo antecedens: actio non attingit immediatè obiectum tanquam terminum productum, concedo: tanquam quid repræſentatum in intellectu, nego antecedens: & deinde etiam conſequētiam. Itaque intelligere nihil aliud eſt, quā ſibi repræſentare actiue obiectũ, quod præſtat intellectus, producendo in ſe formalem repręſentationem ipſius obiecti, & hac ratione denominat illud cognitum, & quidem immediatè, quia nulli alteri ante obiectum tribuit hanc denominationem; neq; enim eam tribuit ſpeciei expreſſæ; quia licet hæc ſit terminus productus per cognitionem, non tamen eſt cognita per illam.

46 Obijciunt vltimo: ſi productio ſpeciei expreſſæ, ſeu vnionis illius eo eſſet intellectio, quo eſt productio, ſicut dicitur ſpeciē expreſſam, ſeu vnionem producere, diceretur etiam illā intelligere: ſed neque ſpecies expreſſa, neque vnio intelligitur per illam actionem: ergo talis productio non eo eſt intellectio, quo productio. Reſpondeo, eam productionē non eo eſſe intellectionem, quo productionem præciſe; ſed quatenus talem productionem, nempe ſpeciei expreſſæ repræſentantis formaliter obiectum intellectui, ſub qua ratione reſpicit & ſpeciē expreſſam, & obiectum; illam tanquā terminum immediatè productũ, hoc verò tanquam quid cognitũ: quia, cum cognoſcere nihil aliud ſit, quā producere in ſe repræſentationem formalem rei cognitæ; illud tantum debet dici cognitũ, cuius repræſentatio formalis producitur ab intellectu in ſe ipſo. Per productionem autem ſpeciei expreſſæ, ſeu vnionis non producitur repræſentatio formalis ipſius ſpeciei; ſed ſolum obiecti, & ideo hoc ſolum denominatur cognitum; illa verò non niſi producta. Id, quod explicari poteſt exē plo calefactionis, quæ, cũ ſit productio caloris in ſubiecto, hoc denominat calefactum, illum vero productum.

SECTIO V.

De Verbo mentis.

47 VErbum dicitur inter philoſophos *manifeſtatio obiecti per locutionem producta*. Per priora verba cõuenit cum quibuſcunque ſignis; quæ quidem rem ſignificatam nobis manifeſtant. Deinde dicitur *per locutionẽ producta*, quo denotatur verbum ſolum oriri à facultate rationali, ſeu intellectiua vt tali: quia locutio iuxta communem philoſophorum exiſtimationem eſt ſignum, ſeu repræſentatio vel immediatè orta ab intellectu, vel mediâ eius directione procedens ex intentione ſaltem interpretatiuâ manifeſtandi ſecretum mentis: & propterea non attribuunt verbũ ſenſibus externis, quia licet hi producant, & forment imagines repręſentantes obiecta; non tamen participant rationem. Imò & bruta, quę communiter dicuntur loqui, non exiſtimantur verba proprie dicta facere, quia ea non formant ratione dirigente. Hinc excluditur à ratione verbi cognitio eſſentialis Dei: quia licet ſit ſpecies expreſſa omnium obiectorum, non tamẽ eſt producta.

48 Verbum diuiditur in mentale ſeu internum; & vocale ſeu externum. Vocale ſeu externum dicitur, quod ore vel actione aliqua externa profertur, præcedẽte directione rationis ex intentione ſaltem interpretatiua manifeſtandi ſecretum cordis. Mentale verò, quod ab intellectu immediatè producitur. Nõnulli addunt dari etiam verbum in imaginatiua, ſeu phãtaſia hominis. Sed immeritò: quia actus harum potentiarum neque oriuntur immediatè ab intellectu, vt conſtat; neque eliciuntur ex imperio voluntatis præuiâ directione rationis ex intentione manifeſtandi ſecretum: tum quia iſti actus immediatè excitantur à ſenſibus externis, & nõ per directionem rationis: tum etiam quia ſi aliquando præcedit directio rationis, non tamen eliciuntur ex intentione manifeſtandi ſecretum medijs illis.

49 Eſt autem aduertendum primò, tam verbum mentale, quã vocale, ſeu externum propriè ſignificari hoc nomine *verbum*, quia licet primo impoſitum ſit ad ſignificandum verbum vocale, & propterea hoc non poſſit non ſignificari proprie per illud; inde tamen deductum eſt ad ſignificandum verbum mentale, cui propriſsime conuenit definitio rei ſignificatæ per hoc nomen, atque adeo debet ſignificari proprie per illud. Aduertendum eſt 2. vtrumque verbum produci per locutionem; ſeu dictionem, quia dictio, aut locutio non conſiſtit formaliter in ipſo verbo: ſed in productione verbi, vt docet D. Aug. lib. 5. de Trin. cap. 15. his verbis: *Cum verbũ noſtrum cogitatione noſtra dicitur*: & iterũ: *&* *verum verbum noſtrum intimum, niſi noſtra cogitatione non dicitur*. Vbi

Vbi apertè docet verbũ dici per cognitionem, hoc eſt, per cognitionem; ſed cogitatio eſt actio, vt diximus ſect. 3. ergo & dictio, ſeu locutio eſt actio. Et ratio huius eſt: quia loqui nihil aliud eſt in communi omnium exiſtimatione, niſi proferre verbum: ergo locutio nihil aliud eſt, quam prolatio verbi: ſed prolatio verbi eſt productio ipſius, vt fatentur omnes: ergo & locutio, ſeu dictio eſt productio verbi.

50 Obijcies: ſi dictio, ſeu locutio eſſet productio verbi, id, quod dicitur per illam, quando loquimur, eſſet verbum: atqui non dicimus verbum; ſed rem ſignificatam per illud: rogati enim quid diximus? Reſpondemus, nos dixiſſe rem ipſam quæ ſignificatur per verbum, non verò ipſum verbum; ergo dictio, ſeu locutio non conſiſtit in productione verbi, ſed in ipſo verbo. Inprimis maior propoſitio eſt falſa: quia ſicut per intellectionem, quæ eſt productio ſpeciei expreſſæ repræſentantis obiectum, non intelligitur ſpecies expreſſa, ſed ſolum obiectum, vt diximus num. 46. ita etiam per dictionem, & locutionem conſiſtentem in productione verbi poſſet dici obiectum ſignificatum per verbum productum, quin diceretur ipſum verbum.

51 Secundò reſpondeo, per locutionem, & dictionem non ſolum dici res ſignificatas per verba; ſed etiam ipſa verba. Quod quidem conſtat 1. ex Diuinis: Pater enim per productionem verbi Diuini nõ ſolum dicit ea, quæ repræſentatur in verbo; ſed etiam ipſum Verbum. Secundò conſtat ex D. Aug. adducto num. præced. & ex communi hominũ exiſtimatione, qui frequenter affirmant, ſe loqui, & dicere verba ſalubria, iucunda, &c. Quod verò rogati, quid dixerimus? Reſpõdemus rẽ ſignificatã per verbum, & non ipſum verbum; non prouenit ex eo, quod vere non dicamus ipſum verbum; ſed quia id, quod primo intendimus manifeſtare alijs per locutionem, ſunt res ſignificatæ per verba, & ideo potius reſpõdemus, nos ea dixiſſe, quam verba.

52 Inter verbum autem vocale, & mentale hoc verſatur diſcrimen, quod verbum mentale per ſuam entitatem manifeſtat, & repræſentat obiectũ, vocale vero nõ manifeſtat obiectũ per ſuam entitatem; ſed per denominationẽ extrinſecã prouenientẽ ex communi hominũ conſenſu, qui in hoc conſpirarunt, quod hac, vel illa voce, ſignificaretur hoc, vel illud obiectum. Inter verbum vero, & ſermonem hoc datur diſcrimẽ, quod verbum eſt vna dictio vnius rei; ſermo vero aggregatum plurium dictionum, ſeu dictio vna plura proferens.

53 Rogas: an verbum mentis in creatis ſit idem, quod ſpecies expreſſa producta per intellectionem? Reſpondeo affirmatiuè cum P. Suar. 1. p. lib. 2. de Attrib. neg. cap. 11. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 1. P. Vazq. circa eam quæſt. & com. 2. in 1. p. diſp. 141. c. 16.

 P. Har.

P. Hur. hic diſp. 6. ſect. 5. n. 157. & eſt expreſſa ſententia S. Tho. 1. p. quæſt. 27. art. 1. Cuius verba relata ſunt ſupra, & idem docet in 1. diſt. 27. q. 2. art. 2. §. *Alij dicunt* vbi ait: *Vnde oportet quod verbum vel dicatur ſola operatio intelligendi vel ipſa ſpecies* (intellige expreſſa) *quæ eſt ſimilitudo rei intellectæ &c.* Et ratio à priori eſt, quia ſpecies expreſſa eſt manifeſtatio obiecti, cũ illud formaliter repræſentet, deinde producitur ab intellectu; ergo eſt idẽ cum verbo mentis, vt conſtat ex illius definitione. Et quidem nõ video, quod munus obiret in intellectu verbũ mentis, ſi ab ſpecie expreſſa diſtingueretur, quia ſufficienter manifeſtaretur obiectũ per ſpeciẽ expreſſam tam intellectui; quem informaret, quam qui illam obiectiuè noſceret: ad quid ergo deſeruiret poſtea verbum mentis?

54 Aduertendũ tamen eſt, ad hoc, vt ſpecies expreſſa verbi munus exerceat, neceſſariũ non eſſe, quod intellectũ informet; ſed ſolum, quod ab illo producatur: verbum enim Diuinum habet reuerà rationẽ verbi, licet non informet potentiã intellectiuã Patris, imo & verbũ vocale eſt propriè verbum, licet non informet hominem proferentẽ; ex eo ſolum, quod ab illo profertur: ergo idem dicendum eſt de verbo mentis. At verò ad hoc, vt munus repræſentationis formalis exerceat, neceſſariũ eſt, quod potentiam informet: quia non aliter repræſentat formaliter obiectum, niſi informando potentiam, cui dicitur illud repræſentare.

55 Hinc colliges 1. diſtingui in creatis locutionẽ mentalem, & intellectionẽ formalem: quia locutio mẽtalis eſt ea actio, per quã intellectus producit in ſe verbum, ſeu ſpeciem expreſſam: intellectio verò formalis eſt ea actio, per quã intellectus producit in ſe ipſo vnionem Verbi, ſeu ſpeciei expreſſæ. Vnde intellectio formalis eſt, quaſi auditio, aut perceptio rei dictę per locutionem, quia per intellectionem percipit intellectus id, quod antea manifeſtauerat per locutionem.

56 Colliges 2. verbũ mentis non requiri in intellectu, vt in illo tanquam in obiecto prius cognito cognoſcatur obiectũ (vt docet Caiet. 1. p. q. 27. art. 1. & Capr. in 1. diſtin. 27. q. 2. & alij) ſed requiri vt formam repræſentantem formaliter obiectũ intellectui ſine ſui cognitione. Ita P. Mol. 1. p. q. 27. art. 1. diſ. 8. memb. 3. P. Hur. hic diſp. 6. ſect. 8. & conſentiunt fere omnes authores noſtrę Societatis. Id tradit expreſſe S. Tho. 4. contra Gent. cap. 11. ante medium, vbi ait: *Dico autem intentionem intellectã id, quod intellectus in ſe ipſo concipit* (hoc eſt parit) *de re intellecta, quæ quidem in nobis neque eſt ipſa res, quæ intelligitur, neque eſt ipſa ſubſtãtia intellectus; ſed eſt quædã ſimilitudo concepta intellectu* (id eſt parta ab intellectu) *de re intellecta. Vnde & ipſa intellectio verbũ interius nominatur, quod eſt exteriori verbo ſignifica-*

ficatum & quod non ſit res intellecta, inde apparet, quod aliud eſt intelligere rem, aliud ipſam intentionem, quod intellectus facit, dum ſuper ſuũ opus reflectitur, unde & aliæ ſcientiæ ſunt de rebus, & aliæ de intentionibus intellectis: ergo ſenſit aperte S. Tho. verbum non cognoſci ab intellectu; dum iſte directe per illud cognoſcit obiectum; ſed dum poſtea reflectitur ſupra ipſum verbũ per aliam cognitionem reflexam.

57 Deinde facile ſuadetur ratione: quia, quãdo obiectũ intelligimus, plane experimur, nos immediatè cognoſcere obiectũ, in ſe ipſo, & nõ in imagine aliqua prius cognita: alioqui clare diſcerneremus ſemper nos habere in noſtro intellectu imaginẽ aliquã diſtinctã ab obiecto, ſicut, quãdo videmus imaginẽ Cæſaris clare diſcernim⁹ eſſe diſtinctã à Cæſare. Dicamus ergo, verbũ non requiri in intellectu, vt in illo tãquã prius cognito cognoſcamus obiectũ: atq; adeo ſolũ requiretur tanquã forma repræſentans nobis formaliter obiectũ. Confirmatur, quia hæ ſunt valde diuerſæ propoſitiones: *Petrus currit*: &, *In meo intellectu datur imago Petri currẽtis*: atqui non poſſunt ex alio capite diſtingui, niſi, quia hæc terminatur ad verbũ ſeu imaginẽ Petri currentis tanquã ad obiectũ immediatũ; illa verò immediatè ad ipſum Petrum currentẽ: ergo in illa prima propoſitione verbũ nõ ſe habet vt obiectum prius cognitũ; ſed vt forma repræſentans formaliter obiectũ intellectui.

58 Hic ſolet diſputari: an poſſit dari verbum, quod ſe ipſum repræſentet; vel cognitio, quę ſe ipſam cognoſcat, aut ſit cognitio ſui ipſius? Et quidẽ ſi ſermo ſit de cognitione, ſeu verbo confuſe repræſentãte obiectum, bene poteſt dari cognitio, & verbum ſe ipſum confuſe repræſentans: quia cognitio, per quã cognoſcitur intellectio vt ſic, reuera repræſentat cõfuſe omnia ſingularia intellectionis, vt conſtat ex dictis in logica, vbi docuimus, per cognitionẽ vniuerſalis cognoſci confuſe omnia ſingularia illius. Cum autem hæc cognitio ſit vnum ex ſingularibus intellectionis vt ſic, neceſſariũ eſt quod ſe ipſam confuſe cognoſcat; ac per cõſequens, quod verbũ per illam productũ ſe ipſum confuſe repræſentet. Si verò ſermo ſit de cognitione clara, & diſtincta, cõmuniter affirmari ſolet, non poſſe dari cognitionẽ creatã, quæ ſe ipſam clarè & diſtinctè repręſentet: difficile tamẽ aſsignatur implicatio. Vide P. Arria. hic diſput. 6. ſect. 3.

SECTIO VI.

An intellectio poſsit produci à ſolo Deo ſine concurſu intellectus?

59 IN ſententia, quam ſecuti ſumus ſuprà ſect. 3. aſſerente, intellectionem conſiſtere formaliter in actione, & paſsione, per quã intellectus in ſe ipſo producit ſpeciem expreſſam ſibi vnitã, certum eſt, non poſſe produci à ſolo Deo ſine concurſu intellectus, quia, cũ ea actio ſe ipſã dependeat actiue, & paſsiue, ab intellectu tanquam mo-

modus illius, nullatenus dari poteſt ſine concurſu actiuo, & paſsiuo ipſius intellectus. Solum procedit difficultas præſens ſuppoſitâ ſententiâ aſſerẽte, intellectionẽ conſiſtere ſolũ in ſpecie expreſſa realiter diſtincta ab actione, per quã producitur ab intellectu: an videlicet in hoc caſu produci poſſit à ſolo Deo vel per creationẽ, vel per eductionem ſine concurſu actiuo intellectus? Et ſupponimus non poſſe produci à ſolo Deo in ratione qualitatis, quin etiã producatur in ratione intellectionis: quia, cum ratione qualitatis exiſtens in ea intellectione ſit idem realiter cum ipſa, eo ipſo quod de facto produceretur realiter à Deo in ratione qualitatis, deberet produci etiam realiter in ratione intellectionis.

60 Vazq. 1.2.q.diſp.9.c.4. & 5. docet intellectionem (quam ipſe putat cõſiſtere in ſola ſpecie expreſſa diſtincta realiter ab actione, per quã producitur ab intellectu) non poſſe produci à ſolo Deo ſine concurſu actiuo intellectus. Pro ſe refert Capr. Ferra. & Sor. Probat 1. quia de ratione intellectionis eſt, quod per illã intellectus attendat ad rem cognitam, attentio autẽ inuoluit conatũ; & actionẽ eius, qui attẽdere dicitur, vt ex ſe conſtat: ergo non poteſt dari intellectio ſine actione, per quã ab intellectu procedat. Hæc tamen ratio eſt inefficax: quia vel eſt de ratione intellectionis, quod per illã actu attendat intellectus ad obiectũ; vel ſolũ, quod ipſa petat attentionẽ. Si primum: ergo, cum per te attentio conſiſtat in actione attendẽtis, intellectio nõ ſolũ cõſiſtit in ſpecie expreſſa (vt ſupponimus in præſenti) ſed etiam in actione, per quã producitur. Si dicatur ſecundũ: ergo de potẽtia Dei poteſt dari intellectio ſine attentione actuali: quia ſicut Deus poteſt facere, quod quantitas petens ex natura ſua extenſionẽ detur de facto ſine illa, vt contingit in Chriſto Domino exiſtente in Euchariſtia, cur non poterit facere, quod intellectio ex natura ſua petens attentionem detur de facto ſine illa?

61 Secundo probat P. Vazq. ſuam ſententiã: quia impoſsibile eſt, amorẽ, quo aliquid diligimus produci ſine cõcurſu noſtræ voluntatis: ergo impoſsibile eſt, intellectionem, qua aliquid intelligimus produci ſine concurſu noſtri intellectus. Conſequentia eſt bona à paritate. Antecedens verò probatur: quia de ratione amoris eſt, eſſe voluntariũ: ſed voluntariũ eſt, quod procedit à principio intrinſeco (hoc eſt à voluntate) cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio, vt docet Ariſt. 3. Ethic. c. 1. prope finẽ: ergo de ratione amoris eſt, quod procedat à voluntate. Parũ vrget hæc ratiocinatio; quia vel de ratione voluntatis eſt actualis proceſsio à principio intrinſeco cognoſcente ſingula: vel ſolum exigentia talis proceſsionis. Si primum: ergo, cum ratione voluntatis ſit de eſſentia amoris, hic non ſolum inuoluet eſſentia-

liter

Digitized by Google

licet qualitatem productam à voluntate (vt ſupponimus in præſenti) ſed etiam actionem, per quam actu dependet à voluntate. Si dicatur ſecundum, ergo de facto poteſt dari amor ſine actuali dependentia à voluntate. Patet conſequentia: quia, vt concedis, ratio voluntarij conſiſtit ſolum in exigentia procedendi à voluntate: ſed hæc exigentia poteſt dari de potentia Dei ſine proceſsione, quam exigit, vt in ſimili dicebamus num. 60. ergo &c.

62 Dicendum ergo eſt (poſito, quod conſiſtat intellectio in ſola ſpecie expreſſa modo ſupra dicto) poſſe produci à ſolo Deo ſine concurſu intellectus. Ita P. Suar. in Meta. diſp. 48. ſect. 2. nu. 12. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 1. P. Hurt. hic diſp. 6. ſect. 3 dub. 2. & alij plures. Probatur: quia ſpecies expreſſa non pendet ſe ipſa ab intellectu; ſed per actionem ſuperadditam: ergo poterit Deus ſupplere concurſum intellectus. Probo conſequētiam: quia Deus continet in ſe omnes effectus cauſarum ſecundarum: ergo, ſi iſti ſe ipſis non pendeant à cauſis ſecūdis, poterunt produci à ſolo Deo ſecundum omnes ſuas formalitates. Confirmatur 1. quia non habet maiorem connexionem ſpecies expreſſa cum intellectu, quā quantitas cum ſubiecto inhæſionis; ſed quantitas poteſt à ſolo Deo produci ſine ſubiecto inhæſionis, vt conſtat in quantitate Euchariſtiæ: ergo & ſpecies expreſſa ſine concurſu intellectus. Maior eſt mihi certa; quia ſpecies expreſſa non aliter connectitur cum intellectu, niſi quia ex natura ſua petit produci ab illo: ſed quantitas ex natura ſua petit etiam ſubiectum inhæſionis: ergo &c.

63 Confirmatur 2. quia ex eo, quod poneretur ſpecies expreſſa ſine actiuo concurſu intellectus non inferrentur duæ contradictoriæ: ergo non eſt Deo denegandū. Antecedens probatur; quia ſi aliqua inferrentur, maxime, quod intellectio penderet, & non penderet ſimul ab intellectu; atqui id non inferretur; quia, cum qualitas illa non pendeat ſe ipſa ab intellectu; ſed ſolum petat pēdere per poſitionem eius præciſam à quocunque alio non poneretur actualis dependentia ab intellectu; ſed ſolum exigentia talis dependentiæ: ergo nō inferretur, quod actu penderet, & non penderet, ſed ſolum, quod peteret dependere, & de facto non dependeret: quæ non ſunt contradictoria, vt conſtat. Nec inde licet inferre creaturas, poſſe produci ſine concurſu Dei cum producantur per actionē ſuperaditam: quia nulla creatura poteſt cōtinere in ſua virtute alias creaturas ſecundum eam rationem, ſecundum quam petunt dependere à Deo vide quæ diximus in Phyſ. diſp. 14. ſect. 2.

64 Dico 2. Si intellectio à ſolo Deo producta vniretur intellectui, conſtitueret illum formaliter intelligentem. Ita authores adducti pro prima concluſione. Probatur: quia hoc concretum intelli-

Digitized by Google

liter qualitatem productam à voluntate (vt ſupponimus in præſenti) ſed etiam actionem, per quam actu dependet à voluntate. Si dicatur ſecundum: ergo de facto poteſt dari amor ſine actuali dependentia à voluntate. Patet conſequentia: quia, vt concedis, ratio voluntarij conſiſtit ſolum in exigentia procedendi à voluntate: ſed hæc exigentia poteſt dari de potentia Dei ſine proceſsione, quam exigit, vt in ſimili dicebamus num. 60. ergo &c.

62 Dicendum ergo eſt (poſito, quod conſiſtat intellectio in ſola ſpecie expreſſa modo ſupra dicto) poſſe produci à ſolo Deo ſine concurſu intellectus. Ita P. Suar. in Meta. diſp. 48. ſect. 2. nu. 12. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 1. P. Hurt. hîc diſp. 6. ſect. 3 dub. 2. & alij plures. Probatur: quia ſpecies expreſſa non pendet ſe ipſa ab intellectu; ſed per actionem ſuperadditam: ergo poterit Deus ſupplere concurſum intellectus. Probo conſequētiam: quia Deus continet in ſe omnes effectus cauſarum ſecundarum: ergo, ſi iſti ſe ipſis non pendeant à cauſis ſecūdis, poterunt produci à ſolo Deo ſecundum omnes ſuas formalitates. Confirmatur 1. quia non habet maiorem connexionem ſpecies expreſſa cum intellectu, quā quantitas cum ſubiecto inhæſionis; ſed quantitas poteſt à ſolo Deo produci ſine ſubiecto inhæſionis, vt conſtat in quantitate Euchariſtiæ: ergo & ſpecies expreſſa ſine concurſu intellectus. Maior eſt mihi certa; quia ſpecies expreſſa non aliter connectitur cum intellectu, niſi quia ex natura ſua petit produci ab illo: ſed quantitas ex natura ſua petit etiam ſubiectum inhæſionis: ergo &c.

63 Confirmatur 2. quia ex eo, quod poneretur ſpecies expreſſa ſine actiuo concurſu intellectus non inferrentur duæ contradictoriæ: ergo non eſt Deo denegandū. Antecedens probatur; quia ſi aliqua inferrentur, maxime, quod intellectio penderet, & non penderet ſimul ab intellectu; atqui id non inferretur; quia, cum qualitas illa non pendeat ſe ipſa ab intellectu; ſed ſolum petat pēdere per poſitionem eius præciſam à quocunque alio non poneretur actualis dependentia ab intellectu; ſed ſolum exigentia talis dependentię: ergo nō inferretur, quod actu penderet, & non penderet, ſed ſolum, quod peteret dependere, & de facto non dependeret; quæ non ſunt contradictoria, vt conſtat. Nec inde licet inferre creaturas, poſſe produci ſine concurſu Dei cum producantur per actionē ſuperaditam: quia nulla creatura poteſt cōtinere in ſua virtute alias creaturas ſecundum eam rationem, ſecundum quam petunt dependere à Deo vide quæ diximus in Phyſ. diſp. 14. ſect. 2.

64 Dico 2. Si intellectio à ſolo Deo producta vniretur intellectui, conſtitueret illum formaliter intelligentem. Ita authores adducti pro prima concluſione. Probatur: quia hoc concretum intelli-

gens

gens nihil aliud inuoluit eſſentialiter, niſi potētiam intellectiuam, ſpeciem expreſſam (in qua ſola ſupponimus conſiſtere intellectionē) & vnionem huius cũ potentia: ſed totum hoc daretur caſu, quo Deus intellectionē à ſe ſolo productam vniret intellectui: ergo hic eſſet formaliter intelligens.

65 Obijcies: vt intellectio cōſtituat potentiam intelligentem, debet vniri ipſi potentiæ, vt terminans actionem, per quam ab illa depēdeat: atqui in caſu poſito intellectio non vniretur potentię, vt terminans talem actionem: ergo non conſtitueret illam intelligētem. Diſtinguo maiorē: debet vniri potētię vt actu terminans actionem, nego (aliâs iam inuolueretur actio in conceptu formali intellectionis) vt in potentia terminans, ſeu vt petens terminare talē actionē, cōcedo maiorem, cum autem in ſuppoſitione facta, tota eſſentia intellectionis cōſiſtat in ſpecie expreſſa potente, ſeu petente terminare actionem, in eo caſu tota eſſentia intellectionis eſſet vnita potentiæ, atque adeo illam conſtitueret intelligentem.

66 Rogas: An ſpecies expreſſa, ſeu intellectio in illa ſola cōſiſtens poſsit de potentia Dei vniri ſubiecto nō viuēti, v.g. lapidi. Reſpondeo, nullam eſſe implicationē ex parte ſpeciei expreſſæ: quia, ſi aliqua, maxime ratione vitalitatis: ſed non repugnat ex hoc capite: ergo, &c. Minor probatur: quia vitalitas ſpeciei expreſſæ ſolum conſiſtit in eo, quod ex natura ſua petat dependere ab intellectu, & illi viniri, ſed hanc exigentiam ſeruaret, etiamſi lapidi vniretur: ergo &c.

67 Dices: ſi lapidi vniretur intellectio, ſequeretur lapidē intelligere, quod non eſt concedendũ. Nego ſequelā: quia intelligens nihil aliud eſt eſſentialiter niſi totũ reſultans ex potentia intellectiua, & intellectione vnitis; ſed lapis non eſt potentia intellectiua: ergo in caſu poſito non daretur tota eſſentia intelligentis: ergo lapis non eſſet intelligens. Inſtabis: forma nō nō poteſt vniri ſubiecto, cui effectum formalem tribuere non poteſt: ergo cum intellectio non poſsit tribuere lapidi effectum formalem intelligentis, non poterit illi vniri. Diſtinguo antecedens: cui non poteſt tribuere aliquem effectum formalem, concedo: cui non poteſt tribuere omnem effectum formalem, quem in ſe continet, nego antecedens. Intellectio autem in caſu poſito, licetō n tribueret lapidi effectum formalem intelligentis; tribueret tamen illi effectum formalem habentis intellectionem.

DISPVTATIO XIIII.

De Triplici intellectus operatione.

1 AD tria genera reducuntur omnes operationes intellectus, ad apprehenſionem vi-

videlicet, iudicium, & diſcurſum; de quibus late egit Ariſtot. apud Log. in lib. de Interp. ac de Priori, & Poſt. reſol. vbi nonnulla faciliora, & quæ logicorum captum non excederent, breuiter perſtrinximus, relictis alijs difficultatibus in hunc locum, vbi cõmodius ea explicabimus, & facilius à diſcipulis capientur.

SECTIO I.

De ſimplici apprehenſione.

2 PHãtaſma ſimul cum intellectu agente producit in poſsibili ſpeciem intelligibilem obiecti, quod ipſum phantaſma repræſentat, vt diximus diſp. 12. ſect. 1. Hæc ſpecies intellectum determinat ad intellectionem, quæ, licet ratione ſpiritualitatis ſit perfectior phantaſmate materiali, non tamen repræſentat obiectum diuerſo modo, ac ipſum phantaſma; vnde, cum phantaſma obiectum repræſentet ſimpliciter ſine affirmatione, aut negatione, eodem modo repræſentabit illud intellectio immediate excitata per ſpeciem à phantaſmate productam.

3 Ratio huius eſt; quia actus phantaſiæ eatenus producit ſpeciem ſui obiecti in intellectu, quatenus eſt imago ipſius obiecti: ergo, cum ipſe ſit imago ſimpliciter repræſentans obiectum ſine affirmatione, & negatione, producet ſpeciem illud repræſentantem (per modum habitus) ſimpliciter ſine affirmatione, aut negatione. Patet conſequentia; quia, ſicut non poteſt producere ſpeciem obiecti diſtincti ab eo, quod ipſe repræſentat; ita neque poterit producere ſpeciem habitualiter tendentem in obiectum diuerſo modo, ac ipſe tendit actualiter ſeu expreſſe. Hinc eſt, quod inter actus ipſius intellectus, qui in eo relinquunt ſpeciem ſui obiecti, vt dicemus ſect. ſequente, nunquam iudicium probabile alicuius obiecti relinquit ſpeciem inclinantem in iudicium euidens ipſius obiecti, neque è cõtra; non alia de cauſa, niſi, quia nullum producit ſpeciem, quæ inclinet in actum diuerſæ rationis ab actu, qui fuit cauſa talis ſpeciei.

4 Iſte ergo actus immediate excitatus per ſpeciem à phantaſmate productam, dicitur ſimplex apprehenſio. In ratione apprehenſionis conuenit cum omni actu intellectus, quia, cum proprium ſit intellectus repræſentare ſeu præſens ſibi facere obiectum per ſuos actus, cenſetur illud quaſi prehendere, ſeu apprehendere per ipſos actus. Dicitur vero prædictus actus apprehenſio ſimplex; quia obiectum attingit ſimplici quadam repræſentatione, nõ affirmando, aut negando aliquid de illo. Diuiditur autem talis apprehenſio in complexam, & in cõplexã. Incõplexa eſt, quæ terminũ ſimplicem repræſentat; vt, apprehenſio albedinis, rationalis &c. Complexa vero eſt, quæ repræſen-

Digitized by Google

ſentat duos terminos, vt interſe coniunctos; vt, quando expreſſe apprehendo animal, & rationale vt realiter identificata. Hæc autem apprehenſio complexa dicitur, non quia reſultet ex duplici apprehenſione illorum terminorum; ſed, quia licet ſimplex ſit in ſe, attingit tamen ex parte obiecti duos terminos, qui prout illis nominibus ſignificati diuerſis apprehenſionibus attingi poſſunt.

5 Eſt tamen difficultas: An circa copulam propoſitionis, huius, v.gr. *Petrus eſt ſapiens*; dari poſsit ſimplex apprehenſio. Negant aliqui Primò, quia cognitio tendens in copulam propoſitionis vnit eſſentialiter extrema: ergo affirmat vnum de alio. Patet cōſequētia; quia affirmari nihil aliud eſt, quam vnum alteri intentionaliter vnire, ſeu attribuere. Secundò: quia Ariſt. apprehenſionem vocant *ſimplicium apprehenſionem*; ergo ſentit non poſſe per illā attingi copulam, quæ eſt compoſitio extremorum.

6 Contrariam ſententiam ſequor cum P. Hurt. diſp. 7. ſect. 1. Probatur 1. quia non poſſumus de aliquo dubitare, quin notitiā aliquam de illo habuerimus, neque enim quis vnquam dubitat de rebus, quæ in mentem non venere: atqui ſæpe dubitamus de vnione extremorum alicuius propoſitionis: ergo præcedit in mente apprehēſio illius; cū nulla alia cognitio præcedere poſsit. Minor eſt certa: quia quando ego dubito; an Petrus ſit ſapiens, vel nō? nec dubito de Petro; nec de ſapiētia ſecundum ſe, vt conſtat; ſed de coniunctione horum extremorum: an videlicet Petro conueniat hoc, quod eſt eſſe ſapientem? ergo &c. Secundò: quia intellectus non poteſt ferre ſententiam circa id, cuius nullam cognitionem habuit: ſed ante primum iuditium ſententiam ferens circa copulam aliquorum extremorum non poteſt habere aliam cognitionem talis copulæ, niſi apprehenſionem: ergo debet ita præcedere circa illam.

7 Dices: ſufficit apprehenſio extremorum ſecundum ſe. Sed cōtra: vel extrema apprehenduntur cum aliqua connexione, ſeu vnione interſe; vel non. Si primum: ergo apprehenſio extremorum non terminatur ad illa ſecundum ſe; ſed prout vnita. Si ſecundum: ergo ex vi illius apprehenſionis non magis inclinabitur intellectus ad illa extrema vnienda per iudiciū, quam ad illa ſeparanda. Patet cōſequentia; quia non habet maius fundamentum pro vna parte, quā pro alia, cum apprehenſio non magis repreſentet vnionem extremorum: quam illorum ſeparationem.

8 Hic aduerto 1. quod, poſtquam ſemel habui iudicium circa aliquod obiectum, tale iudicium relinquit in intellectu ſpeciē immediate inclinantem ad eliciendum in poſterum iudicium circa tale obiectum; in quo caſu iam deinceps elici poterit iudicium ex ſola determinatione illius ſpeciei ſine noua apprehenſione copulæ,

&

Digitized by Google

& extremorum; propterea dixi ſupra eſſe neceſſariam apprehenſionem copulæ ante primum iudicium circa talem copulam, hoc eſt, ante iudiciũ, cui nec anteceſſerit in intellectu aliud proxime repręſentans tale obiectum, nec pręmiſſæ ex quibus deduci poſsit. Aduerto 2. quod quanuis poſsint dari apprehenſiones extremorum ſine apprehenſione copulæ; non tamen poteſt apprehendi copula; quin extrema apprehendantur; imo, & per eandem apprehenſionem: quia copula nihil aliud eſt, ex parte obiecti, niſi idẽtitas, aut ſeparatio extremorum: identitas autem aut ſeparatio aliquorum non poteſt attingi, vt talis per conitionem, quæ non ſit cognitio illorum; Cum obiectum talis cognitionis ſit hoc complexum, *identitas aut ſeparatio huius, & illius.*

9 Ad primam rationem oppoſitæ ſententiæ, conceſſo antecedente, nego conſequentiam: quia affirmare non eſt vnire vtcunque extrema; ſed ita, vt intellectus maneat determinatus in alteram partem contradictionis ferendo ſententiam circa illam. Ad ſecundam in primis, nego Ariſt. quãcunque apprehenſionem vocaſſe ſimplicium apprehenſionem; ſed ſolum eas, quæ tendunt in terminos ſimplices ſeorſim ſumptos. Secundò, admiſſo, quod omnem apprehenſionem vocauerit Ariſt. apprehẽſionem ſimpliciũ reſpondeo, ideo eſſe, quia vnio extremorum facta per apprehenſionem copulæ eſt adeo imperfecta, vt ea poſita non videantur extrema ſimplicitatis terminos trãſgreſſa; quia ita ſuſpenſa manent per talem apprehenſionem, vt cum ea recte componi poſsit in eodem intellectu apprehenſio, imo & iudicium negationis oppoſitæ: in quo diſtinguitur ab vnione facta per iudicium; quia hoc omnino determinatum relinquit intellectum ad vnam partem contradictionis, ita vt in eius conſortio in oppoſitum inclinari nequeat per iudiciũ. Id magis explicabitur ſect. ſequente.

10 Rogas 1. An idem actus poſsit eſſe apprehenſio & iudiciũ ſimul? Reſpõdeo id implicare circa idem obiectum; ſecus circa diuerſa. Primum facile probatur: quia ſimplex apprehenſio tendit in obiectum ſine affirmatione, aut negatione; iudicium vero affirmãdo, ſeu negando: at idem actus nõ poteſt idẽ obiectũ affirmare, aut negare, & ſimul neque affirmare, neq; negare: ergo &c. Quod vero circa diuerſa obiecta poſsit, ex eo conſtat, quod nulla in hoc poteſt inueniri implicatio, aut ex parte actus, aut ex parte obiectorum in noſtra ſententia aſſerente eundem actũ plura poſſe repræſentare vt plura: Rogas 2. An in Deo detur ſimplex apprehẽſio? Reſpõdeo negatiue: quia eſt cognitio ex natura ſua imperfecte attingens ſuum obiectũ. Idẽ dico de Angelis reſpectu obiectorum ſibi connaturalium, quorum proprias habent ſpecies, ſecus reſpectu ſupernaturalium, quæ quidem ex natura rei per alienas ſpecies attingunt.

SEC-

SECTIO II.
De Iudicio.

11 APprehenſioni ſuccedit iudicium, per quod intellectus percipit obiecta more iudicis in alterutram partem ſententiam ferens. Ex quo conſtat, eſſe actum valde diuerſum ab apprehenſione copulæ; quia licet vterque actus circa idem obiectū verſetur; illud tamen attingunt diuerſo modo; nam apprehenſio ita attingit copulam, vt ſuſpenſum relinquat intellectum circa illius eſſe, vel nō eſſe: & propterea poſſunt eſſe ſimul in eodem itellectu apprehenſio copulæ, & eius cōtradictoriæ: at vero iudicium illum determinat, quaſi figendo illum in vna parte contradictionis, & propterea ſecum non cōpatitur iudicium circa alteram. Diuiditur in *affirmatiuū*, quo intellectus iudicat, *rem eſſe*; & *negatiuum*, quo intellectus iudicat, *rem non eſſe*. Iudiciū affirmatiuū dicitur *aſſenſus*, quia aſſētire eſt ſentire, ſeu approbare, rē eſſe quod nō aliter fit, niſi per affirmationem. Negatiuum vero dicitur *diſſenſus*, quia diſſentire eſt ſentire, rem non eſſe, ſeu eius eſſe reprobare, quod nihil aliud eſt, quam tale eſſe negare.

12 Hinc colliges; quare dicatur *aſſenſus eſſe veri*; &, *diſſenſus falſi*: quia videlicet, cum veritas fundamentalis nihil aliud ſit quam ipſa ratio entis ſecundum ſe iuxta dicta diſput. 12. num. 33. quando intellectus ſentit, rem eſſe, illam quaſi approbat vt vere participantem rationem entis, & ideo dicitur in eam tendere vt veram. At vero, quando diſſentit, vel ſentit, rem non eſſe, ſeu non habere identitatem cum alia, rem ipſam, ſeu identitatem eius cum alia reprobat vt non participantem rationem entis, quod eſt illā vt falſam reijcere. Aliter id explicui diſp. illa 12. num. 36. ſed hæc eſt clarior explicatio.

13 Iudicium præterea dicitur *compoſitio*, quando eſt affirmatiuum; &, *diuiſio*, quando negatiuum (id intellige ſolum de iudicio, quod nos habemus pro hoc ſtatu coniunctionis animi cum corpore.) Rationem huius aſsignant aliqui: quia, dum intellectus affirmat, vnum eſſe aliud, cōponit prædicatum cum ſubiecto, & quando negat vnum de alio, ea diuidit, & ſeiungit interſe. Hæc tamen ratio, vt iacet, mihi diſplicet: quia Deus, dum vnum de alio affirmat, vel negat, vere vnum cū altero componit, vel ſeiungit ab illo: & tamen non dicitur componere, ſeu diuidere: ergo aliter explicanda eſt compoſitio, & diuiſio, quæ inuenitur in noſtro iudicio affirmatiuo, & negatiuo. Dices: quando Deus vnum de altero affirmat, non cognoſcit illa vt diſtincta: & propterea non dicitur componere. Bene: ſed neque nos dum vnum de altero affirmamus, cognoſcimus illa vt diſtincta per illum actum, vt dixi in Log. quia, cum per affirmationem iudicemus, ſubiectum eſſe idem cum prædi-

Digitized by Google

dicato, non poſſumus per illum actum cognoſcere eſſe diuerſa.

14 Ratio ergo, cur iudicium affirmatiuum dicatur in nobis *compoſitio*, eſt: quia ex vna parte per affirmationem identificamus ea, quæ in noſtro intellectu præceſſere, vel ſaltem præcedere ſolent diſtincta per apprehenſiones, quibus ſubiectum à prædicato, & è contrà prædicatum à ſubiecto præſcindimus. Id docet D. Tho. 3. de An. ſect. 11. circa tex. 21. Ex alia vero parte ita illa identificamus per affirmationem, vt Intellectus omnino maneat determinatus circa identitatem extremorum: quia velut iudex ſententiam profert, qua talem identitatem firmam, & ſtabilitam relinquit.

15 Ex defectu prioris non habet rationem compoſitionis iudicium, quo Deus aliquid affirmat: quia videlicet ea, quæ Deus affirmat, nunquam præceſſere diſtincta in intellectu illius, cum Deus non poſsit res cognoſcere, niſi vt ſunt in ſe à parte rei. Ex defectu poſterioris nõ dicitur abſolute cõpoſitio apprehenſio copulæ: quia ſicut in rebus phyſicis tunc datur ſolũ compoſitio totius ſubſtantialis; quando materia ex ſe indifferens ad hanc, aut illam formam determinate afficitur per informationẽ huius, per quã proxime, & formaliter quæuis alia excluditur ab ipſa materia; ſic etiam in rebus intentionalibus (quibus ratione ſimilitudinis, quam cũ phyſicis habent metaphorice tribuitur nomẽ *compoſitionis*, & *diuiſionis*) tunc debet dari compoſitio inter extrema (quæ aliâs poſſent mentaliter diſtingui) quando intellectus mẽtaliter ea coniungit proferendo ſententiam ita firmam, vt ſe ipſâ formaliter, & proxime excludat quancunque aliam ſentẽtiam oppoſitam. Id autem fit per iudiciũ, quod quidem ſe ipſo proxime, & formaliter excludit iudicium oppoſitum; quia, vt infra dicemus, non poſſunt ſimul dari in eodem intellectu aſſenſus, & diſſenſus circa idem obiectum. Id vero, quod fieri diximus; per iudicium, non præſtat apprehenſio, & ideo dicitur illud abſolute compoſitio; ſecus hæc. Iudicium negatiuum dicitur diuiſio, quia ſeiungit ea, quæ per apprehenſionem identificari ſolent, vel ſaltem determinate cognita non erant vt diſtincta.

16 In ſtatu coniunctionis animæ cum corpore (in quo in nullius cognitionem deuenimus, niſi per ſpecies proxime, vel remote à ſenſibus acceptas) circa nullam rem primum iudicium elicit intellectus, niſi apprehenſio extremorum, & copulæ præceſſerit. Ita PP. Conim. in Log. circa caput 4. de Orat. q. 4. art. 4. & eſt communis ſententia dialecticorũ. Ratio eſt: quia intellectus non poteſt elicere actũ cognitionis, niſi obiectum præcedat intentionaliter illi applicatũ, vt diximus diſp. 7. n. 34. ſed ad iudicium eliciendũ, non applicatur ſufficienter obiectum per ſpeciem immediate pro-

productā à phantaſmate, vt conſtat ex n. 2. &. 3. ergo debet applicari per ſimplicem apprehenſionem extremorum, & copulæ (neque enim aliud eſſe poteſt, per quod applicetur) id autem mirum non appareat, quia cum apprehēſio obiectum repræſentet clarius, & perfectius, quam ſpecies immediate à phantaſmate productæ, nō eſt mirum, quod illa determinet ad iudicium, ad quod iſtæ determinare nequeunt.

17 Prædicta ſimplex apprehenſio aliquando ita repræſentat extrema copulata, vt nullo alio intellectus indigeat ad eliciendum iudicium ſiue euidens, ſiue probabile, & propterea iudicium ſic elicitum dicitur euidens, ſeu probabile ex ſola apprehenſione terminorum; & ipſa apprehenſio dicitur iudicium virtuale. Aliquādo vero non ſufficit apprehenſio terminorum, & copulæ, vt intellectus determinetur ad iudicium; & propterea indiget vel teſtimonio extrinſeco, vel intrinſecis principijs, quibus determinetur per diſcurſum ad tale iudicium eliciendum. Id contingit quando, apprehenſis terminis, i[illegible] nus de eorum [illegible] irimus ratio[illegible] namur ad a[illegible] circa illā; [illegible] udicio, relin[illegible] cies in intelle[illegible] erum determinari [illegible] mile iudicium ſine no[illegible] enſione terminorum, & copulæ. Id docet Sonz. 7. Met. q. 9. Ratio eſt: quia ex eo, quod actus ille eſt imago expreſſa ſui obiecti poteſt producere ſpeciē impreſſam illius in intellectu, ſicut actus potentiarum inferiorū producunt ſpeciem ſui obiecti in potentijs ſuperioribus: ex eo vero, quod eſt imago iudicatiua debet producere ſpeciem, quæ inclinet ad iudicium: quia ſicut non poteſt producere ſpeciem obiecti diſtincti ab eo, quod ipſa repræſentat, ita neque poteſt producere ſpeciem, quæ intellectum inclinet in actum alterius rationis, vt dicebamus num. 2.

18 Dices: Actus potentiarum inferiorum non producunt ſpecies ſuorum obiectorum in ipſis potentijs, à quibus eliciuntur; ſed in alijs ſuperioribus: neque enim actus viſionis producit ſpeciem ſui obiecti in potentia viſiua; ſed in ſenſu interno; neque actus iſtius producit ſpeciem ſui obiecti, niſi in intellectu: ergo actus intellectus non producent ſpeciem ſui obiecti in ipſo intellectu; imo neque in alia potētia ſuperiori; quia non datur. Admiſſo antecedente, nego conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt clara: quia intellectus poteſt refle ctere ſupra ſuos actus, & illorum recordari, atque adeo neceſſarium eſt, quod ex ipſis actibus relinquantur in intellectu ſpecies eorum, quibus ad eorum cognitionem adiuuetur.

19 Si autem actus ſui ipſorum ſpecies producant in intellectu, producent etiam ſpecies ſuorum obiectorum: tum, quia non eſt ratio, cur illas producant, & non iſtas

iſtas: tum etiam quia imago, ſeu repræſentatio non poteſt mouere ad ſui cognitionem, quin ad cognitionem ſui obiecti moueat: ergo, cum actus intellectus ſint ex natura ſua imagines, ſeu repreſentationes expreſſæ obiectorum, non poſſunt ad ſui cognitionem mouere per ſpeciem ſui, quin vel per eandem moueant ad cognitionē ſui obiecti, vel ſimul cum illa aliā producant, quæ immediatè repræſentet ipſum obiectum. Et quidem ego in hoc vltimum inclinor: quia experientiâ conſtat: quod, actibus pluries repetitis circa idem obiectum, facilius recordamur poſtea ipſius obiecti, & ſæpius id fit ſine memoria ipſorum actuum. Si autem ſpecies obiecti nō eſſet diſtincta ab ſpecie ipſorum actuum, non poſſemus obiecti recordari, quin ſimul recordaremur actuum, cum horum ſpecies non ſit aliter repræſentatiua obiecti, niſi quatenus actus, qui ſunt imagines illius repræſentat. Secus res accidunt in potentijs ſenſitiuis. Hæ enim non poſſunt reflectere ſupra ſuos actus, cum id excedat perfectionē potentię materialis, vt admittunt communiter philoſophi; & ideo non eſt mirum, quod neque actus earum poſsint in ipſas potentias reflectere producendo in illis ſpecies ſuorum obiectorum.

SECTIO III.

An Iudiciū ſit vnus ſimplex actus vel compoſitus?

20 Rogamus: An iudicium ſit entitas coaleſcens ex diuerſis apprehenſionibus, quarum vna attingat ſubiectum; alia prædicatum; & alia copulam? vel potius ſit vna ſimplex entitas, & incompoſita indiuiſibiliter repræſentans prædicatum, & ſubiectū, vt in ſe coniuncta, & identificata? omiſsis aliorum opinionibus.

21 Vera ſententia eſt, iudiciū eſſe actum ſimplicicē intellectus approbantis, ſeu reprobantis cōuenientiam, ſeu (quod idem eſt in præſenti) identitatem prædicati cum ſubiecto. Ita PP. Connimb. in Log. ad cap. 4. de Orat. q. 4. art. 2. vbi pro ſe referunt Grego. Gabr. Viguer. Boet. & Durand. Idem docet P. Hurt. hic diſp. 10. ſect. 2. & de iudicio affirmatiuo idem aſſerit S. Thom. 1. p. q. 58. art. 2. vbi ait, prædicatū, & ſubiectum cognoſci per vnū actum, ſeu vnam operationē intellectus, quā dō attinguntur vt vnū. Probatur de iudicio affirmatiuo: quia, ſi propter aliquā rationem iudicium affirmatiuum non poteſt eſſe vnus ſimplex actus, maximè, quia ſubiectum, prædicatū, & copula, cum ſint obiecta diſtincta, non poſſunt vnico actu repræſentari: ſed in primis reſpectu huius iudicij nō ſunt diſtincta obiecta, cum per illud attingantur vt vnum, & idem: deinde, demus eſſe diſtincta: in quacūque ſententia concedendū eſt hæc omnia vnico actu attingi: ergo nō eſt, cur iudicium affirmatiuū non ſit vnus, & ſimplex actus.

22 Maior eſt ipſa ratio aduerſariorum. Minor probatur quoad ſecundā partem: quia in vnā ſen-

Digitized by Google

tentia diſtinguente apprehenſionem copulæ ab apprehenſionibus ſubiecti, & prædicati, cum copula, nihil aliud ſit, quàm identitas ſubiecti, & prædicati, neceſſariũ eſt, quod cognitio attingens copulam repræſentet identitatem ſubiecti, & prædicati: ſed cognitio repræſentans identitatẽ ſubiecti, & prædicati repræſentat ſubiectum, & prædicatum, quia repræſen[illegible] tũ hoc complexũ [illegible] *[illegible] ſubiecti, & prædic*[illegible] go, &c. Dicendo, [illegible] etia adſtruente duas, cognitiones, quarum vna attingat prædicatum, vt conueniens ſubiecto, & altera ſubiectum vt conueniens prædicato, quælibet ex iſtis cognitionibus attingit vtrunque extremum, quia vna attingit hoc complexum; *prædicatum vt conueniens ſubiecto*, & altera, hoc, *ſubiectum, vt conueniens prædicato*: ergo in qualibet ſententia admittenda eſt vna cognitio, quæ vtrunque extremum vt inter ſe conueniens repræſentet.

23 Confirmatur: quia eodem actu, quo attingo identitatem huius, & illius, cognoſco hoc, & illud eſſe idem: ſed identitas huius, & illius cognoſcitur per vnum actũ ſimplicem, vt nullus negat: ergo per eundem cognoſcitur, hoc, & illud eſſe idem: ergo iudicium affirmans ſubiectum, & prædicatum eſſe idem, eſt vnus ſimplex actus. Eadem argumenta poſſunt fieri circa iudicium negatiuum, cuius muneris eſt negare conuenientiã prædicati cum ſubiecto, ſeu cognoſcere repugnantiam inter ſubiectum & prædicatum: eodẽ enim actu, quo negatur conuenientia prædicati cum ſubiecto, ſeu attingitur repugnatia vtriuſque, debet vtrunque attingi, vt probauimus in aſſenſu.

24 Ex his inferes 1. iudicium negatiuum ita appellari, non quia non ſit quid poſitiuum, ſeu quia intrinſece inuoluat in ſe negationem aliquam; ſed quia, dum repræſentat repugnantiam prædicati cum ſubiecto, reuera poſitiue repræſentat vnum nõ eſſe aliud. Inferes 2. compoſitionẽ iudicij affirmatiui non dari in ipſo iudicio, ſed in obiecto. Eſt dicere: Nõ appellatur compoſitio ex eo, quod conſtet diuerſis actibus vnitis inter ſe; ſed ex eo, quod in obiecto coniungat ea, quæ antea erant ſeparata in apprehẽſionibus. Id cõfirmari poteſt à paritate iudicij negatiui: quia affirmatiuũ eſt compoſitio eo modo, quo negatiuum eſt diuiſio: ſed negatiuum non eſt diuiſio ex eo, quod inuoluat plures conceptus inter ſe diſiunctos; ſed ex eo, quod attingat vnum extremum, vt ab altero diſtinctum, vt concedunt aduerſarij: ergo neque affirmatiuum eſt compoſitio ex eo, quod inuoluat plures conceptus inter ſe vnitos; ſed ex eo, quod attingat vnum extremum vt alteri coniunctum. Iuxta hanc doctrinam explicandus eſt Ariſt. 3. de An. cap. 6. tex. 21. vbi agit de compoſitione actuũ, in quibus datur veritas, & falſitas. Videantur PP. Conimb. & P. Tolet. & S. Thom. ibi.

25 Da-

25 Datur autem hæc coniunctio extremorum, non per vnionẽ aliquã eorum inter ſe; ſed per identitatem: neque enim iudicium ea repræſentat vt vnita; ſed vt identificata. Vnde tale iudiciũ nõ aliã de cauſa dicitur compoſitio, niſi quia extrema, quæ diſtincta erant per ſimplices apprehenſiones repræſentantes ea ſine idẽtitate aliquã inter ſe, fiunt vnũ per iudiciũ; dum ea repræſentat vt identificata. Propterea hoc iudicium dicitur à nonnullis virtualiter cõpoſitum: quia, videlicet, etſi formaliter non conſtet pluribus cõceptibus, virtute tamen eos continere dicitur, quatenus, vnum cum ſit, attingit ea, quæ pluribus conceptibus antea apprehendebantur.

26 Obijcies. Ariſt. qui initio Poſt. ait, propoſitionẽ reſolui poſſe in prædicatum, & ſubiectum; ergo componitur ex conceptu prædicati, & ex conceptu ſubiecti, quia vnumquodque reſoluitur in ea, ex quibus cõponitur. Reſpõdeo, Ariſt. ibi loqui de propoſitione obiectiua: hæc enim eſt; quæ cõſtat prædicato & ſubiecto, & ideo hæc debet eſſe, quæ reſoluitur in prædicatum, & ſubiectum. Quod quidem tunc fit, quãdo extrema, quæ vt vnum, & idem cognita erant per iudicium, ſeu propoſitionem mentalem, diſtinguũtur per apprehenſiones ea attingentes ſine idẽtitate. Neq; obeſt, quod hæ apprehenſiones non fuerint antea intrinſecæ partes iudicij: quia ad hoc, vt propoſitio obiectiua dicatur reſolui in ſubiectum, & prædicatum, ex quibus componitur; ſufficit, quod reſoluatur in obiecta, quæ in propoſitione habebãt rationem ſubiecti, & prædicati; licet poſt reſolutionem diuerſã afficiantur formã, ac in ipſa propoſitione.

27 Dices: in hac propoſitione, *homo eſt animal*, datur ſubiectũ, & prædicatum: ergo debet dari forma, à qua *homo* denominetur ſubiectum, & *animal* prędicatum: ſed hæc non poteſt eſſe vnus ſimplex actus: ergo debet eſſe duplex. Minor probatur: tum quia vna, & eadem forma non videtur poſſe dare diuerſas denominationes; tum etiam, quia non eſſet, cur hæc potius denominaret *hominẽ* ſubiectum, & *animal* prędicatum; quam è contrà. Nego minorem. Ad primam probationem nego, vnam, & eandem formam nõ poſſe dare diuerſas denominationes: actio enim tribuit principio, à quo oritur, denominationem producentis; &, termino, ſeu effectui denominationem producti: deinde eadem cognitio potẽtiam denominat cognoſcentem; &, obiectum cognitum. Omitto alia plura exempla. Secũda probatio falſam continet doctrinam: quia id denominari debet *ſubiectum*, de quo aliquid affirmatur; & id *prædicatum*, quod de alio affirmatur: cũ autẽ per formam illam ſimplicem non affirmetur *homo* de *animali*; ſed è contra *animal* de *homine*, fit, vt homo denominari debeat *ſubiectum*; animal verò *prædicatum*; & non è contrà.

28 Rogas: an, dum actu affirmatur, hominē eſſe animal, diſtinguantur actu formaliter *ſubiectū*, & *prædicatum*? Reſpondeo, non diſtingui formaliter per ipſam affirmationem: quia, cum per illam cognitionē cognoſcantur vt vnū, & idem, non poſſunt ab illa participare diſtinctionē formalem. Diſtinguuntur tamen fundamentaliter; quia, ſicut in homine datur fundamentū, vt animal diſtinguatur à rationali per cognitionē præſcindentem vnū ab alio; ita etiam in eo iudicio eſt fundamentū, vt per cognitionē reflexam duæ formalitates diſtinguantur, quarum vna tribuat homini denominationem ſubiecti, & altera animali denominationem prædicati.

29 Doctrina tradita non ſolū eſt vera in iudicio categorico; ſed etiam in hypothetico. Hoc enim iudicium, *Si ſol lucet, dies eſt*, attingit vnionem diei cum luce ex ſuppoſitione, quod ſol oriatur, atque adeo per eundem ſimplicē actum, per quem attingitur talis vnio, debent attingi extrema ipſius vnionis. Idē dicito de iudicio disiunctiuo, & copulatiuo: quia, quando dico, *Petrus loquitur, vel ſedet*, affirmo, vnū ex illis duobus eſſe verum: ergo eodem actu, quo vnum, debeo alterū attingere: alioqui, ſi duplici actu duas illas partes ſeorſim attingerē, non diceretur abſolute tota propoſitio vera ex eo, quod vnū ex illis eſſet verum; ſed potius vna eſſet dicenda falſa, quia *bonum ex integra cauſa; malum ex quocunque defectu*. Præterea in propoſitione copulatiua, dū dico, *Petrus currit, & Ioannes ſedet*, affirmo coniunctionem harum propoſitionum; ergo eodē actu, quo attingo coniunctionem illarum, debeo illas etiam attingere, vt probatum eſt de iudicio categorico.

30 Dices: ſæpè tot propoſitiones copulatiuę cōiunguntur, quot non poſſunt vnico actu comprehendi: ergo ſaltem in eo caſu non poteſt iudicium copulatiuum eſſe vnus ſimplex actus. Antecedens probatur: quia, dum quis dicit, *Petrus currit, & Ioannes loquitur, & Franciſcus audit, & Antonius ridet, &c.* non poteſt vnico actu hæc omnia ſimul attingere, ſed ſucceſsiue vnam propoſitionē poſt aliam: ergo, &c. Reſpondeo, quod quando exterius proferuntur tot propoſitiones copulatiuę, quæ non poſſunt vnico actu comprehendi, attinguntur ſimul vno actu duæ, vel tres priores: deinde quādo quarta cōiūgēda eſt tertię, ceſſat ille actus, & datur alius attingens tertiā vt cōiunctam cum quarta, & ſic dantur ſucceſsiue plura iudicia copulatiua; ita tamen, vt quoduis debeat attingere eas omnes propoſitiones, quarum copulam repræſentat.

SECTIO IV.

De Diſcurſu.

31 Diſcurſus iuxta cōmunem Philoſophorum placitum dicitur *mentalis quidā curſus ex vno*

vno actu iudicatiuo in alterum ex illo deductum. Prioribus illis verbis, *mentalis curſus*, denotatur, diſcurſum inuoluere actus realiter diſtinctos: ſicut enim curſus materialis non datur, niſi in pluribus ſpatijs, è quorum vno currens tendat in aliud, ita etiã mentalis curſus dari non poteſt, niſi inter actus realiter diſtinctos, è quorum vno ad alterum progrediatur intellectus. Deinde debet eſſe iſte progreſſus *ex vno actu iudicatiuo in alterum*: neque enim intellectus dicitur diſcurrere, quãdo ex apprehenſione terminorum determinatur immediatè ad eliciendum iudicium. Præterea non ſufficit, quod intellectus vnum iudicium poſt alterũ eliciat; ſed eſt neceſſarium, quod obiectum vnius ita cõtineatur in obiecto alterius, vt ex cognitione huius obiecti determinetur intellectus ad cognitionem illius: propterea dicitur *in alterum ex illo deductum.*

32 Hinc fit 1. obiectum poſterioris actus debere repræſentari ſaltem implicite per priorem: quia tunc vtimur diſcurſu ad eliciendum poſteriorẽ actum, quando obiectum eius non proponitur ſufficienter intellectui per apprehenſionem terminorum: ergo ad hoc, vt intellectus per priorem actum determinetur ad eliciendũ poſteriorem, neceſſariũ eſt, quod obiectum huius proponatur ipſi per illum. Et ſane, ſi prior actus non repræſentaret intellectui obiectum poſterioris, neſcio, qua ratione determinari poſſet intellectus per illum ad hunc eliciendũ. Fit 2. per priorem cognitionem non penetrari omnino obiectum poſterioris: alioqui non eſſet, cur ex priori cognitione progrederetur intellectus ad poſteriorem.

33 Fit 3. Deum non diſcurrere: quia eodẽ actu, quo cognoſcit aliquod obiectũ, penetrat omnia, quæ in illo quocunque modo continentur: alioqui imperfectionem aliquam inuolueret talis actus, quandoquidẽ aliquid obiecti illũ lateret. Idem dicendũ eſt de Angelis reſpectu eorum, quorũ proprias, & quidditatiuas ſpecies habent. Fit 4. actum, quo ſimul cognoſcitur explicite eſſentia cum ſuis proprietatibus (idem dico de actu Fidei, quo cognoſcitur obiectum reuelatum ſimul cum reuelatione, propter quã creditur ipſum obiectum reuelatum) non eſſe formaliter diſcurſum, quia nõ inuoluit formaliter plures actus: poteſt tamen dici virtualiter diſcurſus, quia attingit explicite, & immediatè obiecta, quæ attingi poſſunt duobus actibus; quorum vnus deducatur ex alio. Non me latet, fuiſſe aliquos, qui formalem diſcurſum vocarunt quenlibet actum immediatè, & explicitè percipientem obiectum materiale, & formale ſimul. Hi tamen loquuntur contra communem philoſophorum vſum, qui ex eo negant communiter diſcurſum Deo, & Angelis, quod vno, & eodem actu attingunt obiectum materiale, & formale ſimul.

34 Præcipua ſpecies diſcurſus

 eſt

eſt ſyllogiſmus ſic definitus ab Ariſt. lib. 1. Prior. *In quo, quibuſdam poſitis aliud ſequatur, neceſſe eſt per ea, quæ poſita ſunt.* Eſt dicere: eſt, in quo ex cognitione duplicis extremi vniti cum aliquo medio deducitur cognitio attingens vnionem immediatã eorundem extremorum inter ſe. Itaque in ſyllogiſmo præcedunt duæ cognitiones, quarum vna attingit vnionem, ſeu idẽtitatem vnius extremi cum aliquo, cum quo altera vnit, ſeu identificat alterũ extremum, quæ cognitiones dicuntur præmiſſæ formales, & obiecta eorum præmiſſæ obiectiuæ. Deinde datur alia tertia cognitio ex duobus prioribus deducta, quę attingit ea duo extrema, vt immediatè identificata inter ſe: hęc cognitio dicitur concluſio formalis, & obiectum eius concluſio obiectiua. De modo, quo diſponenda ſunt extrema in pręmiſſis, vt recte ex illis deducatur concluſio, egimus in 5. lib. Inſtit. dial. vbi late dedimus ea omnia, quæ ad artificium logicum ſpectant, acturi in hoc loco de modo, quo præmiſſæ ad concluſionem concurrunt, & quâ neceſsitate hæc cum illis connectatur.

35 Et primò certum eſt, præmiſſas formales pręſupponi ad cõcluſionem tanquam conditiones applicantes intellectui obiectum ipſius concluſionis; quia, vt diximus diſp. 7. num. 34. intellectus non poteſt actum cognitionis elicere circa aliquod obiectũ, quin hoc præcedat illi intentionaliter applicatũ: ſed obiectũ concluſionis non applicatur ſufficienter intellectui per ſpecies intelligibiles extremorũ immediate productas à phãtaſmatibus, quia hæ non applicant obiectũ intellectui ad eliciendum iudicium, vt dicebamus n. 16. neque ſufficienter applicatur obiectum concluſionis per ipſas apprehenſiones extremorum, & copulæ; alioqui non eſſet, cur expectarentur præmiſſæ ad eliciẽdum aſſenſum circa ipſum obiectũ cõcluſionis, vt dicebamus n. 17. ergo neceſſarium eſt, quod tale obiectum applicetur per præmiſſas formales. Conſequẽtia patet, quia non eſt aliud, per quod poſsit ſufficienter applicari. Applicatur autem per pręmiſſas; quia, eo ipſo quod iſtæ repræſentant expreſſe vnionem extremorum cum vno, & eodem medio, repręſentant implicite vnionem immediatam ipſorum extremorum inter ſe.

36 Eſt tamen difficultas, an præmiſſæ formales concurrant ad concluſionem tanquã cauſæ phyſicæ immediatè illam efficientes ſimul cum intellectu? In ſententia aſſerente ſpecies impreſſas concurrere efficienter phyſice ad cognitionem, dicendum eſt, præmiſſas formales concurrere phyſice ad efficiẽdam concluſionem formalem; quia cum intellectus iuxta hanc ſententiã non ſufficiat ad productionẽ cognitionis ſine alio cõprincipio, eſt neceſſariũ, quod ad producendã concluſionẽ, aliquod habeat cõprincipium, quod quidem nullum aliud eſſe poteſt,

niſi

Digitized by Google

niſi præmiſſæ, cum eæ ſolũ determinent intellectũ ad concluſionẽ. In noſtra verò ſententia aſſerẽte, ſpecies impreſſas ſolũ ſe habere vt cõditiones ad producendã cognitionẽ; idem dicendũ eſt de prẹmiſſis reſpectu cõcluſionis. Vide diſput. 7. ſect. 2.

37 Rogas 1. An poſsit obiectũ vtriuſque præmiſſæ vno actu cognoſci? Reſpõdeo affirmatiuè: neque enim in hoc aſsignari poteſt repugnãtia. Poſſetque ex illa deduci concluſio per verum diſcurſum, quia iam progrederetur intellectus ab vno actu in aliũ ex illo deductũ. Rogas 2. An totus ſyllogiſmus obiectiuus poſsit vno actu attingi? Reſpondeo, nullam in eo apparere repugnantiam: in eo tamen caſu non daretur diſcurſus, quia non eſſet progreſſus ab vno actu in alium.

SECTIO V.

An præmiſſæ obiectiuæ immediatè attingantur per concluſionem formalem?

38 Certũ eſt apud omnes, præmiſſas obiectiuas eſſe obiectum formale concluſionis formalis: quia obiectũ formale concluſionis debet eſſe id, quod intellectui eſt ratio attingendi obiectũ ipſius cõcluſionis: ſed obiectũ prẹmiſſarũ eſt intellectui ratio attingendi obiectũ concluſionis: ergo eſt obiectũ formale concluſionis. Maior conſtat ex definitione obiecti formalis tradita diſput. 12. num. 40. Minor probatur: quia ex eo intellectus per concluſionẽ aſſentitur vnioni immediatę extremorũ inter ſe, quia per præmiſſas videt illa vnita cum vno, & eodem medio: ergo vnio extremorũ cum medio cognita per præmiſſas eſt intellectui ratio attingendi vnionem extremorum inter ſe, quæ eſt obiectum concluſionis.

39 Eſt tamen difficultas: an prẹmiſſę obiectiuę ſint obiectũ formale terminatiuũ cõcluſionis formalis; vel motiuũ ſolũ? Eſt dicere: an obiectũ præmiſſarũ ita moueat intellectum ad aſſenſum cõcluſionis, vt hic non ſolum attingat immediatè ſuum obiectũ; ſed etiam obiectum præmiſſarum, ita vt in hoc ſyllogiſmo, *Omne rationale eſt riſibile: omnis homo eſt rationalis; ergo omnis homo eſt riſibilis*, iſte vltimus actus totũ hoc immediatè attingat, *Omnis homo eſt riſibilis, quia omne rationale eſt riſibile, & omnis homo eſt rationalis?* vel potius dicendum ſit, ſolum attingere immediatè, *omnem hominem eſſe riſibilem*, & reliqua ſolum ſe habere, vt quid mouens, ſeu inducens intellectum ad eliciendum illum actum circa prẹdictum obiectum?

40 P. Arria. in Logi. diſp. 15. ſect. 4. ſubſ. 2. vbi pro ſe adducit Capr. Ferra. & P. Rub. in lib. de Poſt. reſol. q. 6. nu. 54. docet obiectum præmiſſarum attingi immediatè per actũ concluſionis, ac proinde illud eſſe obiectũ formale intrinſece terminatiuũ actus cõcluſionis. Probat 1. quia ſemel poſitis præmiſsis, poteſt per aſſenſũ concluſionis attingi immediatè ob-

obiectum ipſarum præmiſſarum: ergo de facto ſemper attingitur. Antecedens datur ab aduerſarijs. Conſequentia probatur: quia intellectus eſt potentia neceſſario operans: ergo ſemper operatur, quantum poteſt: ſed per te, poſitis præmiſsis, dantur omnia requiſita ad hoc, vt intellectus per aſſenſum concluſionis attingat immediatè obiectum ipſarum præmiſſarum: ergo illud attinget ſemper de facto. Confirmatur: quia vno ſimplici actu Fidei credo, Abrahamum fuiſſe, quia Deus id reuelauit, & quia Deus eſt verax: ergo vno, & eodem actu cognoſco immediatè, hominem eſſe riſibilem, quia rationale eſt riſibile, & quia homo eſt rationalis. Patet conſequentia: quia ſicut ſe habent præmiſſæ reſpectu concluſionis, ita ſe habent cognitiones reuelationis Diuinæ, & veracitatis Dei ad obiectum reuelatum: ergo, ſicut hoc creditur per actum attingentem immediate ipſum obiectum reuelatum, reuelationem Dei; & eius veracitatem; ita etiam per vnum, & eundē actum cognoſcentur immediate obiectum concluſionis, & obiectum præmiſſarum.

41. Secundò probatur: quia τὸ *ergo* ſe habens ex parte concluſionis aliquid ſignificat diſtinctum à ſignificato conſequentis: ſed id non poteſt eſſe aliud, niſi, quod obiectum conſequentis eſt tale, quia obiecta præmiſſarū ſunt talia: ergo id ſignificatur, & attingitur per actum concluſionis. Cōfirmatur: quia eodē actu fertur intellectus in obiectum formale, & materiale: ſed obiectum præmiſſarum eſt obiectum formale concluſionis: ergo in illud fertur per ipſam concluſionem.

42. Oppoſita ſentētia eſt verior, nempe actū concluſionis nō ferri immediatè in obiectum præmiſſarum, ſed ſolum in ſuum obiectum, atque adeo obiectum præmiſſarum non eſſe obiectum formale terminatiuum concluſionis; ſed ſolum motiuum. Ita P. Hurt. hic diſp. 7. ſect. 5. & nonnulli recent. & in eam inclinatur P. Valē. 2. 2. diſp. 1. q. 1. p. 2. §. *Ad 4. argumentum*, & ſequentibus, dum docet, diſcurſum in eo conſiſtere, quod aſſenſus, præmiſſarū, & concluſionis ita ſubordinentur inter ſe, vt iſte vltimus nō ſit perfectior illis in euidentia, & certitudine. Probatur 1. quia omnia requiſita ad rationem diſcurſus dantur ſine eo, quod actus concluſionis attingat immediatè obiectum præmiſſarum: ergo ſine fundamento adſtruitur neceſſarium ad rationem diſcurſus, quod per actum concluſionis attingatur immediatè obiectum præmiſſarum. Antecedens probatur: quia ex eo, quod intellectus eliciat actum præciſe attingentem obiectum concluſionis non applicatum ſufficienter, niſi per præmiſſas, dicitur deducere concluſionem ex præmiſsis: ergo habebit omnia requiſita ad rationem diſcurſus. Conſequentia patet ex definitione diſcurſus adductâ ſectione præcedenti. Antecedens probatur: quia de-

Digitized by Google

deducere vnum ex alio eſt ex cognitione vnius deuenire in cognitionem alterius: ſed, eo ipſo quod intellectus aſſentiatur obiecto cõcluſionis nõ aliter illi applicato, niſi per præmiſſas, in quarum obiecto implicite continetur, dicitur deuenire in cognitionem concluſionis ex cognitione præmiſſarum: ergo deducit vnum ex alio.

43 Secundò probatur: quia, ſi actus concluſionis attingit immediate obiectum præmiſſarum: ergo ſpecies ex illo relicta attinget immediate obiectum præmiſſarum, quia ſpecies idem obiectum repræſentat, quod actus, ex quo relinquitur, vt ſępe dictum eſt: ergo poſt primam cognitionem cõcluſionis non poterit in poſterum cognoſci obiectum concluſionis per illam ſpeciem, quin ſimul cognoſcatur obiectum præmiſſarũ. At hoc eſt falſum: tum quia non aliunde cognoſcimus, hominẽ eſſe animal rationale, niſi per diſcurſum deductum ex cognitione ſingularium operationũ, quas experimur in illo, & tamen poſteà per ſpeciem ex illa cognitione relictam cognoſcimus, eſſe animal rationale, quin actu recordemur talium operationum: tum etiã, quia alias nunquam haberemus cognitionem euidentem concluſionis, quæ remotè deducitur ex primis principijs; nam per te per actum euidentem huius concluſionis debet cognoſci euidenter obiectum præmiſſarum, ex quibus immediate deducitur: deinde, cum hæ non ſint euidentes per ſe, ſed per alias præmiſſas, ex quibus deductæ fuere, debet per eundem actum cognoſci obiectum illarum præmiſſarum, & ſic in reliquis vſque ad prima principia.

44 Ex gr. Ex eo, quod homo ſit animal rationale immediate deducitur euidenter, quod ſit capax diſciplinæ; & ex eo, quod ſit capax diſciplinæ, quod ſit admiratiuus; & ex eo, quod ſit admiratiuus, quod ſit riſibilis. Si ergo per hanc vltimam concluſionem cognoſceretur euidenter, hominem eſſe riſibilem, quia eſt admiratiuus, cum homo ſit admiratiuus, quia eſt capax diſciplinæ, per illũ eundem actum deberet id euidenter cognoſci: deinde, cum homo ſit capax diſciplinæ, quia eſt rationalis, etiam deberet euidẽter cognoſci per illum actum, ac per cõſequens non poſſet vltima illa cõcluſio repræſentare euidẽter, hominem eſſe riſibilem, quin ſimul euidẽter repræſentaret, id illi cõuenire, quia eſt capax diſciplinæ; & id, quia eſt rationalis: quis autem id audeat affirmare? Cum impoſsibile ſit, noſtrum intellectum tot obiecta ſimul & vnico actu attingere.

45 Reſpondet P. Arria. diſp. 15. num. 47. & 48. ſpeciem relictam ex actu, quo euidenter cognoſcitur, *hominem eſſe admiratiuum; quia eſt capax diſciplinæ*, repræſentare quidem totum hoc obiectum: cæterum, cum intellectus iuxta communem ſententiam poſſit ſpecie repræſentante duo obiecta vti ad vnum ſolũ cognoſcen-

ſcendum, poterit poſtea illâ vti ad cognoſcendum, *hominem eſſe admiratiuum*, quin actu recordetur, *eſſe capacem diſciplinæ*. Vnde immediate ex tali cognitione poterit deducere cognitionem affirmantem, *hominem eſſe riſibilem*, *quia eſt admiratiuus*: quæ quidem cognitio non attingat capacitatẽ diſciplinæ, & reliqua obiecta vſque ad prima principia.

46 Sed contra: illa cognitio, quâ primo cognitum eſt, *hominem eſſe admiratiuũ, quia eſt capax diſciplinæ*, nõ eſt euidens ex ſola apprehenſione terminorũ concluſionis; ſed ex pręmiſsis: ergo ſpecies, quę relinquitur ex illa, nõ erit euidens ex eo præciſe, quod repræſentet obiectum cõcluſionis; ſed, quia illud repræſentat ſimul cum præmiſsis. Conſequentia patet; quia ſpecies relicta ab aliquo actu debet repræſentare habitualiter obiectum eo modo, quo actus repræſentabat illud actualiter, vt ſępe dictum eſt: ergo cognitio orta ex illa ſpecie circa ſolum obiectũ concluſionis ſine obiecto præmiſſarum, non eſt euidens. Patet conſequentia: quia ſpecies, ex qua oritur, eatenus repræſentat euidẽter obiectum concluſionis, quatenus illud repræſentat ſimul cum obiecto præmiſſarũ vt obiecto formali: atqui cognitio ſolius obiecti cõcluſionis nõ oritur ab illa vt repręſentante tale obiectum ſimul cum obiecto præmiſſarum, vt cõcedis: ergo neque ea cognitio erit euidens. Hinc fit, ex illa nõ poſſe demonſtrari, *hominem eſſe riſibilem*: quia demonſtratio conſtare debet præmiſsis euidentibus, ac per cõſequens non poterit euidenter à priori cognoſci, *hominem eſſe riſibilem*, quin ſimul eodem actu cognoſcatur id illi conuenire, *quia eſt admiratiuus*, & id, *quia eſt capax diſciplinæ*, & id, *quia eſt rationalis*.

47 Cõfirmatur: quia, ſi ex actu Fidei, quo credo, *Deũ eſſe trinũ, & vnũ, quia Deus dicit, & quia eſt verax*, relinquatur ſpecies in intellectu idem repræſentãs; & poſtea vtar illa ad præciſe cognoſcẽdum Deũ eſſe trinum, quin meminerim aliorũ, iſte actus nõ erit Fidei Diuinæ, quia non nititur teſtimonio Diuino, nec oritur ab ſpecie vt repræſentante Diuinum teſtimoniũ; ſed ſolum ab illa vt repræſentante Deum trinum: ergo, ſi cognitio orta ab ſpecie repræſentante obiectum concluſionis cum obiecto pręmiſſarum, ſolum attingat obiectũ concluſionis, nõ orietur ab ſpecie vt euidente, ac per conſequens non erit euidens.

48 Dicamus ergo, intellectũ per actum concluſionis non attingere formaliter, niſi obiectum ipſius concluſionis. Determinatur tamen ad hunc aſſenſum concluſionis per præmiſſas, quæ dum expreſſe repræſentant duo extrema vnita cum vnico medio, implicite proponunt intellectui vnionem ipſorum extremorum inter ſe, quę eſt obiectum immediatum concluſionis. Eâ autem propoſitione poſitâ, aſſentitur intellectus obiecto concluſionis, & propterea

ea dicitur inferre concluſionē ex præmiſsis, quia videlicet, ad aſſenſum concluſionis determinatur per præmiſſas formales tanquam per conditiones applicantes illi ſufficiēter obiectum, quod alias non erat ſufficienter applicatum; & tunc dicitur eſſe illatio bona, quando intellectus determinatur per præmiſſas, quæ reuerâ illi proponunt obiectum concluſionis; mala vero, quando licet quis exiſtimet tale obiectum proponi per præmiſſas, reuera non proponitur.

Nonnulla conſectaria.

49. Hinc fit, ad hoc, vt intellectus, poſitis præmiſsis, aſſentiatur concluſioni, neceſſariū non eſſe, quod ante ipſam concluſionem præcedat in illo cognitio reflexa de bonitate illationis. Probatur: quia ad hoc, vt intellectus aſſentiatur primis principijs, non eſt neceſſarium quod, poſitâ apprehenſione terminorū, habeat cognitionem aliquam reflexam, per quam iudicet, obiectum ſufficienter propoſitum eſſe per illas apprehenſiones: ergo neq; ad hoc vt poſitis præmiſsis aſſentiatur cōcluſioni, eſt neceſſarium, quod habeat cognitionem aliquam reflexam de bonitate illationis. Patet conſequentia: quia ideo ad aſſenſum præmiſſarum ſufficiunt apprehenſiones terminorum ſine cognitione aliqua reflexa, quia ſufficiēter proponitur per illas obiectum talis aſſenſus: ſed per præmiſſas proponitur ſufficienter intellectui obiectum concluſionis: ergo, &c. Minor eſt certa: quia, eo ipſo quod præmiſſæ repræſentant idētitatem extremorum cum medio, repræſentant ſaltem implicite idētitatem extremorum interſe: ergo ſufficienter proponitur intellectui obiectum concluſionis per præmiſſas. Et quidem non video, cur præmiſſæ repræſentent ſufficienter obiectum illationis ad hoc, vt ſequatur cognitio illa reflexa, quam tu adſtruis; & non repræſentent ſufficienter obiectum concluſionis, cum hoc contineatur formaliter in obiecto præmiſſarum; illud vero ſolum virtualiter.

50 Obijcies τὸ *ergo* appoſitum concluſioni ſignificat ipſam concluſionem inferri ex præmiſſis: ergo debet dari in intellectu ex parte concluſionis aliqua cognitio, per quam talis illatio cognoſcatur. Hic duo diſtinguenda ſunt, & quod detur de facto cognitio reflexa repræſentans concluſionem deduci ex præmiſſis; & quod hæc cognitio ſit neceſſario requiſita tanquam præuia ad concluſionem. Hoc vltimum negamus: quia id ſolum debet prærequiri ad concluſionem, quod neceſſariū eſt, vt ſufficiēter proponatur intellectui obiectum ipſius concluſionis: hoc vero ſufficienter proponitur per præmiſſas, vt probatum eſt, & ideo ſine fundamento dicitur prærequiri cognitionem reflexam de bonitate illationis. Id autem non tollit,

poſſit, quod, poſitâ iam concluſione, cognoſcamus reflexe eam bene inferri ex præmiſsis, pro qua cognitione reflexa ſubſtituimus particulam *ergo*, vt alijs ſignificemus talem illationem: qui quidē tunc negant conſequentiam, quādo putant, concluſionem non bene inferri ex præmiſsis, hoc eſt, non proponi ſufficienter per præmiſſas obiectum concluſionis; cōcedunt vero conſequentiam, ſi putant, bene inferri.

51 Fit 2. concluſionem fore euidentem, ſi præmiſſæ fuerint euidentes; &, probabilem, ſi probabiles. Ratio eſt: quia præmiſſæ eatenus determinant ad concluſionē, quatenus intellectui manifeſtant obiectum ipſius concluſionis: ergo determinabunt ad claram, ſeu obſcurā concluſionē, ſi clare, aut obſcure obiectum eius proponāt. Confirmatur: quia ex eo aſſentitur intellectus per concluſionem identitati extremorum interſe, quia per præmiſſas nouit ea identificata cum medio: ergo ex eo, quod per præmiſſas nouerit euidenter, vel probabiliter identitatem extremorum cum medio, ſequetur, quod cognoſcat euidenter, ſeu probabiliter identitatem extremorum interſe. Patet conſequentia: quia ſimpliciter, & abſolute loquendo, cognitio obiecti præmiſſarū eſt cauſa cōcluſionis: ergo non eſt, cur cognitio euidens obiecti præmiſſarum non ſit cauſa concluſionis euidētis; & cognitio probabilis præmiſſarum non ſit cauſa concluſionis probabilis.

52 Hinc deſumitur ratio, cur concluſio iuxta commune proloquium ſemper ſequatur debiliorem partem, ita vt, ſi vna ex præmiſsis fuerit euidēs, & altera probabilis, concluſio debeat eſſe probabilis, & non euidens. Ratio ergo eſt: quia, quando identitas extremorum interſe non aliūde cōgnoſcitur, niſi ex identitate ipſorum cum medio, non poteſt illa certius, & clarius nobis innoteſcere, quam iſta: ergo, ſi non conſtet euidenter, vtrunque extremum identificari cum medio, non poterit conſtare euidenter eſſe idem inter ſe: atqui quando vna ex præmiſsis eſt probabilis, non poteſt conſtare euidenter, vtrunque extremum eſſe idem cum medio, quia ſaltem de illo, quod per præmiſſam probabilem cognoſcitur, non conſtat euidenter; ſed ſolum probabiliter, eſſe idem cum medio: ergo &c.

53 Fit 3. in quocunque ſyllogiſmo dependere reuera actum concluſionis à præmiſsis, quia obiectum talis actus in ſyllogiſmo non proponitur ſufficienter intellectui, niſi per præmiſſas; atque adeo, cum intellectus non poſsit actum elicere, niſi præcedente propoſitione obiecti, neceſſarium eſt, quod hic & nunc dependeat à præmiſsis quoad elicientiam huius actus. Fit 4. hunc actum concluſionis, qui de facto dependet ab his præmiſsis, non ita pendere ab illis, vt habeat intrinſecam cōnexionem cum ipſis. Ratio eſt: quia non dependet ab illis niſi tā-

quam

quam à conditionibus applicantibus eius obiectum intellectui; ſed hic numero actus non habet connexionem eſſentialem, ſeu intrinſecam cum hac numero applicatione, vt conſtat ex paritate phyſicorum; neque enim in phyſicis hic numero calor, & hæc actio, per quam de facto producitur, habent intrinſecam connexionem cum hac numero præſentia, per quam de facto agens applicatur paſſo, vt conſtat ex Phyſ. diſp. 27. ſect. 2. ergo idem dicendum eſt de hoc effectu intentionali reſpectu huius applicationis intentionalis. Ex quo conſtat non pendere per ſuam entitatem à præmiſsis. Si enim per ſuam entitatem pēderet à præmiſsis, haberet connexionem intrinſecam cum illis.

54. Fit 5. iſtum actum nō eſſe concluſionem intrinſece per ſuā entitatem: quia actus eſt concluſio, quatenus fit dependenter à præmiſsis: ſed non pendet à præmiſsis per ſuam entitatem, vt probatum eſt num. præc. ergo neque eſt concluſio per ſuam entitatem. Eſt ergo concluſio per denominationem extrinſecam ab ipſis præmiſsis; quia videlicet intellectus hic, & nunc ad iſtum actum eliciēdum determinatur per præmiſſas tanquam per conditiones applicantes illi intentionaliter obiectum talis actus: id autem eſt denominatio extrinſeca in ipſo actu, quia extrinſecū eſt illi quod obiectum eius proponatur intellectui per præmiſſas, vel per aliam formam: ſicut extrinſecū eſt huic calefactioni, quod agens, & paſſum applicata ſint per hanc numero præſentiam, vel per illam.

55 Hinc fit 6. quod tranſacto iſto actu, poteſt poſtea intellectus per ſpeciem ab illo relictam determinari ad alium ſimilem actum ſine actuali cognitione præmiſſarum, ex quibus deductus fuit ille primus actus. Et in primis, quod talis actus relinquat in intellectu ſpeciem ſui obiecti repræſentantem illud euidenter, ſeu probabiliter iuxta naturam actus, à quo relicta fuit, conſtat ex dictis. Quod vero intellectus per hāc ſpeciem determinetur in poſterum ad aliū ſimilem actum ſine actuali cognitione præmiſſarum, facile colligitur ex dictis; quia ea ſpecies ſolum repræſentat obiectum actus, à quo producta fuit, neque enim vllus actus producit ſpeciem alterius obiecti, niſi eius quod ipſe repræſentat, vt admittunt omnes: ſed actus, à quo ea ſpecies producta fuit, ſolum repræſentabat id, quod erat obiectum immediatum concluſionis; non vero id, quod erat immediatū præmiſſarum, vt probatū eſt: ergo ea ſpecies ſolū repræſentat obiectum concluſionis: ergo ad illud ſolum cognoſcēdum determinat in poſterum.

56 Hinc facile explicatur, qua ratione poſsit concluſio remota euidenter deduci ex præmiſsis illi proximis, quin actu cognoſcantur prima principia, ex quibus antea hæ præmiſſæ deductæ fuere. Ex gr. hæc propoſitio, *omnis homo eſt admiratiuus*, quæ prius deducta

fuit

fuit ex alijs præmiſsis in hoc ſyllogiſmo, *Omne animal rationale eſt admiratiuum; ſed omnis homo eſt animal rationale: ergo omnis homo eſt admiratiuus*: poſtea ſe habet vt præmiſſa, ex qua deducitur alia concluſio in hoc ſyllogiſmo, *Omne admiratiuum eſt riſibile: omnis homo eſt admiratiuus: ergo omnis homo eſt riſibilis*. Ea itaq; propoſitio, quando deducta fuit ex ſuis præmiſsis, produxit in intellectu ſpeciem immediate repræſentantem, *omnem hominem eſſe admiratiuum*, quin repræſentaret obiectũ præmiſſarum. Vnde, quũ poſtea ea ſpecies excitatur in intellectu, determinat illum ad cognitionem immediatam ſui obiecti, nullâ factâ mentione de obiecto præmiſſarum, & ideo poteſt intellectus illam aſſumere vt præmiſſam ad deducendam aliam cõcluſionem, quin actu meminerit obiecti præmiſſarum, ex quibus antea deducta fuit talis propoſitio. An vero propoſitio extitata immediate per ſpeciem relictam à concluſione, dicenda ſit immediata? conſtat ex dictis in Log. diſp. 21. n. 30. & 31.

57 Nunc ſoluenda ſunt argumenta oppoſitæ ſententiæ. Ad primum, conceſſo antecedẽte, nego conſequentiam: quia ad hoc, vt per actum concluſionis attingatur obiectum præmiſſarum ſimul cum obiecto ipſius concluſionis, requiritur magna attentio, & cura potentiæ, quæ, cum non ſemper detur, non ſemper attinget concluſio ſimul cum ſuo obiecto obiectum præmiſſarum. Addo, quod quando actus concluſionis attingit obiectum præmiſſarum, talis attingentia non pertinet ad rationem formalem concluſionis, quia ſine illa dãtur omnia requiſita ad iſtam, vt probatum eſt nu. 49. Ad confirmationem reſpondeo, id eſſe diſcriminis inter actum fidei, & actum concluſionis, quod de ratione actus fidei eſt credere dicẽti propter ei9 authoritatẽ, & ideo non poteſt dari talis actus, quin ſimul attingat rem teſtificatam, teſtimonium, & veracitatem dicentis: at vero de ratione actus concluſionis non eſt, niſi, quod deducatur ex præmiſsis; quod quidem poteſt fieri, quin per illum actum attingatur immediate obiectum præmiſſarum, vt probatum e[ſt]; & ideo poteſt dari ſine tali attingentia.

58 Ad ſecundum fateor, τὸ *ergo* ſignificare aliquid diſtinctũ ab obiecto actus concluſionis; id tamen nihil aliud eſt, quàm illatio ipſa, quæ non eſt aliquid ex parte obiecti, vt cõcedunt omnes, neq; aliquid intrinſecũ actui cõcluſionis; ſed extrinſecum, vt probatum eſt. Ad confirmationem reſpondeo, eodem actu ferri intellectum in obiectum materiale, & formale terminatiuum; non vero in obiectum formale, quod ſolum eſt motiuum, vt præmiſſæ obiectiuæ ſunt reſpectu concluſionis, vt ex hucuſque dictis conſtat.

SEC-

SECTIO VI.

An aſſenſus præmiſſarum neceſſitent ad aſſenſum concluſionis?

59 DVplex diſtingui ſolet neceſſitas: vna quoad ſpeciem; & altera quoad exercitium. Quoad ſpeciem dicitur illa, quâ potentia determinatur ad aliquam ſpeciem actus, ita vt non poſsit elicere actum ſpeciei oppoſitæ: hanc neceſsitatem habet voluntas reſpectu amoris boni in communi; neque enim poteſt bonum odio habere; ſed illud debet amare, ſi aliquem actum circa illud habere velit. Huic neceſsitati opponitur libertas contrarietatis, quæ eſt indifferentia ad actus contrarios: hanc habet vnus homo reſpectu alterius; quia poteſt illum odio proſequi, & amare. Neceſsitas, quoad exercitium dicitur illa, quâ potentia ita determinatur ad vnum actum, vt non poſsit illum cohibere, vel ab illo ceſſare. Iſti opponitur libertas contradictionis, quæ eſt indifferẽtia ad actum exercendum, vel non exercendum.

60 Certum ergo eſt, poſitis aſſenſibus præmiſſarum attingentibus rectam diſpoſitionem extremorum cum medio, intellectum neceſsitari ad cõcluſionem quoad ſpeciem. In hoc omnes conueniũt, & conſtat ex definitione ſyllogiſmi: eſt enim, *in quo quibuſdã poſitis* (hoc eſt premiſsis) *aliud ſequi* (concluſionem videlicet) *neceſſe eſt per ea, quæ poſita ſunt*; quod intelligi debet de neceſsitate ſaltem quoad ſpeciem actus. Et ratio eſt clara: nam poſitâ identitate adæquatâ duorum extremorum cum medio, non poteſt non dari identitas extremorum inter ſe; quod quidem ita eſt lumine naturæ notum, vt ex ſolâ apprehenſione terminorum conſtet apertè, ea, quæ adæquate ſunt eadem vni tertio, eſſe eadem inter ſe: ergo qui animaduertit ſe per præmiſſas aſſenſum præbuiſſe identitati extremorum cum medio, non poteſt negare identitatem extremorum inter ſe. Quod argumentum non ſolum vim habet in ſyllogiſmo euidente, ſed etiam in probabili, quia, licet ita aſſentiamur præmiſsis probabilibus, vt poſsimus illis diſſentire; nihilominus, poſito aſſenſu præmiſſarum, non poſſumus diſſentire concluſioni: quia, cum identitas extremorum non poſsit non dari, datâ identitate illorũ cum medio, eo ipſo quod quis animaduertit, ſe hãc cõceſsiſſe, non poteſt illam negare: & propterea qui, conceſsis præmiſsis, negat conſequentiã, deducitur ad impoſsibile: quia cogitur concedere propoſitionem contradictoriam vni ex præmiſsis.

61 Eſt tamen difficultas circa neceſsitatem quoad exercitiũ, an videlicet, poſitis præmiſsis, ita determinetur intellectus ad aſſenſum concluſionis, vt illũ cohibere non poſsit. PP. Cõn. lib. 1. Poſt. cap. 1. q. 4. art. 4. conc. 2. vbi pro ſe adducunt S. Thom. 1. p. q. 82. art. 2.

Digitized by Google

art. 2. & 12. q. 13. art. 6. Caiet. Sonz. Scot. Dur. Henrr. & P. Fonſ. aſſerunt, intellectum ita determinari per præmiſſas ad aſſenſum concluſionis, vt directe impediri non poſsit talis aſſenſus à voluntate; bene tamẽ indirecte, hoc eſt, diuertendo alio intellectum vel nimium affigendo illum alteri cogitationi, per quam impediatur talis aſſenſus concluſionis. P. Hurt. hic diſp. 7. ſect. 4. num. 33. & P. Arria. in Log. diſp. 15. ſect. 6. abſolute docent, non poſſe vllo modo impediri aſſenſum concluſionis, poſito aſſenſu præmiſſarũ, adhuc in ſyllogiſmo probabili.

62 Dico 1. in ſyllogiſmo probabili non neceſsitatur intellectus quoad exercitium per præmiſſas ad concluſionem. Huic cõcluſioni ſubſcribent, vt exiſtimo, authores primæ ſententiæ, & eam tenent nonnulli recent. apud PP. Conimb. ſupra. Probatur: quia per præmiſſas ſyllogiſmi probabilis cognoſcitur obſcure, & incerto identitas extremorum cum medio: ergo, poſitis talibus præmiſsis, non eſt certus intellectus de identitate extremorum inter ſe: ergo poteſt ſuſpendere actum concluſionis circa illam. Confirmatur: quia poſtquam quis ob teſtimonium Eccleſiæ, ſeu concionatoris prudenter credit Deum, qui eſt ſumme verax, reuelaſſe myſterium Trinitatis, poteſt ſuſpendere actũ Fidei Diuinæ circa illud, non alia de cauſa, niſi quia obſcure, & incerto nouit reuelationem Diuinam, & propterea requiritur ex parte voluntatis pius affectus liber determinans intellectum ad aſſenſum Fidei, vt cõcedũt Theologi: ergo, cũ intellectus per præmiſſas probabiles obſcure nouerit idẽtitatem extremorum cum medio, poterit ſuſpendere actum cõcluſionis circa identitatem extremorum inter ſe. Imo indigebit actu volũtatis determinãte intellectũ ad talem actum, quia ſine illo actu non habebit omnia requiſita ad talem determinationem.

63 Dices: ex ſuppoſitione, quod extrema identificentur cum medio, eſt neceſſarium, quod ſint idem inter ſe: ergo ex ſuppoſitione, quod intellectus aſſentiatur identitati extremorum cum medio, eſt neceſſariũ, quod aſſentiatur identitati ipſorum inter ſe. Conceſſo antecedente, nego conſequentiam: quia licet intellectus euidenter noſcat, eſſe neceſſariam identitatem extremorum inter ſe, ſuppoſita identitate eorum cum medio; tamen per præmiſſas probabiles, non ſupponit vt certam, & neceſſariam identitatem extremorum cum medio; ſed vt probabilem, & contingentem; & ideo non cogitur aſſentiri idẽtitati eorum inter ſe.

64 Dico 2. nec per præmiſſas euidẽtes neceſsitatur quoad exercitium intellectus ad concluſionem. Ita nonnulli recent. & P. Rub. lib. 1. Poſter. cap. 1. q. 8. & adducit pro ſe S. Tho. 1. 2. q. 9. art. 1. ad 2. vbi expreſſe docet, intellectum ſubdi voluntati quoad exercitium actus: & aliqui ex autho-

thoribus adductis pro prima ſententia explicari poſſunt de neceſſitate quoad ſpeciem. Probatur: quia, poſitis præmiſsis euidentibus, poteſt quilibet pro libito ſuæ voluntatis elicere conclusionem directam, ſeu indirectam, vt experientiâ conſtat: ergo, poſitis præmiſsis euidentibus, non ita neceſſitatur intellectus ad concluſionẽ, vt non ſubdatur imperio voluntatis ad illam eliciendam: ergo, ſi voluntas imperaret omnimodã ceſſationem actus concluſionis, ceſſaret omnino intellectus ab illo eliciendo.

65 Dices, intellectum neceſſitari per præmiſſas ad habendam concluſionẽ directam, vel indirectam disiũctim, ita vt, poſitis præmiſsis, neceſſariò debeat habere vnam ex illis; quæ verò futura ſit pendet ex imperio voluntatis, & ideo ipſa poterit imperare vnam, vel alteram; non verò ſuſpenſum relinquere intellectum: ſicut, poſitã intentione efficaci finis, poteſt voluntas eligere hoc, vel illud medium; non tamen poterit ceſſare ab omni electione. Sed cõtrà: per te, poſitis præmiſsis euidentibus, non eſt intellectus ex ſe neceſsitatus determinate ad eliciendã concluſionem directam, nec determinate ad eliciendam indirectam: ergo in tua ſententia ſi non daretur imperium voluntatis intellectum determinans ad vnam, vel alteram, ceſſaret ab vtraque: ſed nihil eſt, quod poſsit cogere voluntatem ad imperandum vnam, vel alteram concluſionem: ergo nihil eſt, quod cogat ad habendam vnam, vel alteram poſitis præmiſſis euidentibus. Minor eſt mihi certa: quia voluntas nullâ cogitatione neceſsitatur ad eliciendum actum volitionis, niſi ea repræſentet clare ſummũ bonum: ſed nulla ex præmiſsis euidentibus demonſtrationis repræſentat illi clare, ſummum eſſe bonum in elicienda concluſione: ergo non neceſsitatur per illas ad imperandam vnã, vel alteram concluſionem.

66 Id verò, quod adducitur de intentione efficaci finis, nihil fauet oppoſitę ſententiæ, quia intẽtio efficax finis eſt volitio efficax conſequendi finem, quẽ, cum conſequi non poſsit voluntas, niſi per media, cogitur ea apponere, eo ipſo quod efficaciter vult illũ cõſequi: at verò cognitio præmiſſarum non poteſt cogere voluntatẽ ad imperium, niſi proponẽdo illi, ſummam eſſe bonitatem in eliciẽda concluſione, quod cum præmiſſæ non præſtent, nõ poſſunt voluntatem cogere ad imperandam vnam, vel alteram concluſionem.

67 Dices 2. intellectũ per pręmiſſas neceſsitari ad eliciendam concluſionẽ illam (directã videlicet, aut indirectã) quã videt euidentiùs, vel cuius ſpecies fuerit efficacior: quod ſi vtriuſq; ſpecies fuerit æqualis, tunc determinabitur à cauſa prima, vel ab imperio voluntatis. Sed contrà: experientiâ conſtat, quod quomodolibet proponãtur pręmiſſæ, elicitur cõcluſio directa, vel indirecta pro libito voluntatis: ergo in nullo

 caſu

caſu eſt determinatus intellectus ad vnã ex illis determinate eliciẽdã. Adde, quod ſi in caſu, quo ſpecies vtriuſque concluſionis eſſet æqualis determinandus eſſet intellectus per imperiũ voluntatis, cum hoc libere eliciatur à voluntate, adhuc poſitis præmiſsis, vt probatũ eſt num. præced. ſaltem in eo caſu poſſet ſuſpendi concluſio poſitis præmiſsis euidentibus. Dices: intellectus determinatur ſemper per pręmiſſas ad eliciẽdã concluſionẽ directã, ſi per voluntatem nõ applicetur ad indirectã. Bene. Eodem modo dici poterit, poſitis præmiſsis, eſſe ex ſe determinatum ad eliciendam concluſionem, ſi non ſuſpendatur per imperium voluntatis.

68 Obijcies 1. poſitâ in intellectu ſpecie impreſſâ intuitiuâ obiecti, non poterit intellectus cohiberi ab actu circa ipſum obiectũ: ergo poſitis pręmiſsis euidẽtibus, nõ poterit cohiberi ab aſſenſu concluſionis. Nego conſequentiam. Ratio diſparitatis deſumitur ex experientia, quâ nouimus, voluntatem, quãtumuis velit, nunquam impedire, ne ſpecies ſufficienter applicans obiectũ, potentiã determinet ad actũ; impedit tamen, & imperat pro ſuo libito concluſionem directã, aut indirectã: deinde frequenter videmus, intellectum obtẽperare voluntati imperanti illi tum intenſam cognitionẽ obiecti, cuius aliquã notitiã habuit; tum etiã reminiſcentiã eorũ, quorum non bene recordatur: ergo magis ſubordinatur intellectus voluntati, dum obiectũ illi proponitur per cognitionẽ, quam, dum per ſpeciẽ impreſſam. Et ratio à priori vtriuſque poterit eſſe: quia ſpecies impreſſa taliter proponit obiectũ intellectui, vt illud non proponat volũtati iuxta dicta diſput. 7. n. 19. & ideo determinat intellectũ independenter à voluntate ipſa: at veró præmiſſæ nõ ſolum proponunt obiectum concluſionis intellectui; ſed etiam voluntati; vt notum eſt; atque adeo nõ mirum, quod determinent intellectum ad concluſionem dependenter à voluntate.

DISPVTATIO XV.

De Euidentia, Certitudine, & Veritate.

EGimus in Log. de Demonſtratione, quam propoſitionibus veris, certis, & euidentibus conſtare diximus: ſed quia ea, quę ad exactam naturę veritatis, certitudinis, & euidentiæ cognitionem pertinent, logicorũ vires excedere putauimus, huc, vbi propriam ſedem habent, explicanda remiſimus.

SECTIO I.

De Euidentia.

1 INtellectio euidens dicitur illa, quæ ita diſtincte, & clare repræſentat ſuum obiectum, vt nullus dubitandi locus dari poſsit circa illud ſecundũ eam rationẽ, ſecundũ quã euidenter cognoſcitur.

tur. Propterea dicitur euidens à videndo; quia inter ſenſus externos potentia viſiua cenſetur clariùs ſuum obiectum attingere per proprium actum; atque adeo qui aliquid aſſeuerans firmiſsimũ teſtimonium exhibere exiſtimat, ſi ſe rem vidiſſe teſtificetur. Difficultas tamen eſt, & non leuis in explicando, in quonam conſiſtat claritas, & euidentia cognitionis, & vnde illi proueniat?

2 P. Hurt. hic. diſp. 8. ſect. 1. num. 2. docet, euidentiã actus cõſiſtere in eo, quod oriatur ex principijs, cum quibus non poteſt cõponi diſſenſus circa illud obiectũ. Cæterũ hæc doctrina cõtraria eſt alteri, quã ipſe author tradiderat diſp. 7. ſect. 4. Ibi enim docet, in ſyllogiſmo probabili nõ poſſe, poſitis præmiſsis, dari diſſenſum circa obiectũ cõcluſionis, imò neceſſariò ponendum eſſe aſſenſum circa illud; & nihilominus nullus eſt, qui dicat, cõcluſionẽ deductã ex præmiſsis probabilibus eſſe euidentẽ: ergo datur cognitio orta ex principijs, cum quibus nõ poteſt componi diſſenſus, quę nõ ſit euidens; ſed ſolũ obſcura: nõ ergo rectè explicat iſte author rationẽ euidẽtię.

3 Omiſsis aliorum placitis, Dico, eum actũ eſſe euidentẽ, qui ita eſt incõpoſsibilis cum dubio, aut formidine circa ſuum obiectũ, vt non ſolũ à cognoſcẽte expellat tale dubiũ, aut formidinẽ; ſed etiã impediat eius ingreſſum. Itaque euidentia, & certitudo in eo conueniunt, quod neutra cõponi poteſt in eodẽ cognoſcente cum dubio, aut formidine circa veritatẽ obiecti certò, & euidenter cogniti: differunt tamẽ in eo, quod certitudo licet expellat dubium, aut formidinẽ præexiſtentẽ, non tamẽ impedit aduenientẽ, quia mutuo ſe expellunt è ſubiecto. At verò euidentia non ſolũ expellit dubiũ, aut formidinẽ præexiſtentem; ſed etiã impedit aduenientẽ, ita vt actus euidens ſemel exiſtens reddat incapacẽ potentiã intellectiuam ad habendum dubium circa rem euidenter cognitã, neque vllã formidinem talis potentia poſsit admittere; niſi prius euidentiã amittat, per cuius amiſsionẽ ad formidinem pręparetur. Hanc doctrinã comprobat communis omniũ acceptio, qui, vt denotent, ſe habere euidẽtiã alicuius rei, affirmãt, ita eſſe claram, vt nullus dubitandi locus dari poſsit: ſentiunt ergo, de ratione euidentiæ eſſe, impedire omne dubium circa obiectum.

4 Hinc colliges 1. eum actum eſſe obſcurũ, qui non impedit dubium, aut formidinem circa ſuum obiectum. Colliges 2. euidentiam inueniri tum in actu cognitionis, qui dicitur euidẽs, quia hic formaliter impedit in potentia cognoſcitiua dubium, & formidinẽ circa ſuum obiectum: tum etiam in principio ex ſe determinato ad eliciẽdum actum euidentem, quia hoc etiam impedit dubium, & formidinem circa obiectum, vel ſolum efficienter, producendo videlicet actum euidentem (vt contingit in ſpecie impreſſa ex ſe determinante potentiam ad actum euidẽtẽ,

quæ quidem non formaliter; ſed efficienter ſolum, quatenus concurrit, ſuo modo, ad productionẽ actus euidentis, impedit dubium, & formidinem circa ſuum obiectũ) vel etiam formaliter, vt contingit in præmiſsis euidẽtibus, & apprehenſione clara terminorũ, quæ non ſolum efficiendo actum euidẽtem circa obiectum aliquod; ſed etiam formaliter per ſui informationem impediunt dubium circa tale obiectum: quia, illis poſitis, etiãſi de facto nõ ſequatur actus, in quem potentiam inclinant, non poteſt admitti dubium, aut formido circa obiectum talis actus.

5 Id tamen non præſtant formaliter per oppoſitionem immediatam cum dubio de obiecto talis actus; ſed per immediatã oppoſitionem cum ratione dubitandi circa illud: eo enim ipſo quod impediunt rationem dubitandi circa tale obiectum, impediunt etiam dubium, quod dari non poteſt, niſi pręcedẽte ratione dubitãdi. Hinc conſtat, euidẽtiam diuidi poſſe in euidẽtiam actus, & principij: quibus addi poteſt euidentia obiectiua; quæ nihil aliud eſt, quam obiectum ex ſe determinans potentiã ad actum euidentem.

6 Rogas: ex quibus principijs proueniat euidentia cognitionis? Reſpõdeo, prouenire vel ex ſpecie propria, & immediata obiecti; hęc enim determinat potentiã ad cognitionem obiecti, vt eſt in ſe: vel ex apprehenſione clare repræſentante identitatẽ terminorũ inter ſe: hæc enim determinat ad iudicium euidens ex ipſis terminis: vel ex præmiſsis euidẽtibus, quæ quidem non inferunt niſi concluſionẽ euidentem: vel ex ſpecie relicta in potentia ab actu aliquo euidente, quæ ſemper excitat ad actũ eiuſdẽ rationis cũ eo, à quo eſt producta: vel ex principio aliquo actiuo, cui annexa eſt ex natura rei ſpecies propria obiecti, vt contingit in lumine gloriæ, quod (ſi diſtinguatur ab ſpecie impreſſa Dei) eſt habitus intellectualis, cui annexa eſt ex natura rei ſpecies propria, & intuitiua Dei.

7 In ſingulis ex prædictis tribus euidentijs, actus videlicet, principij, & obiecti ſolet diſtingui triplex euidentiæ genus: alia enim dicitur euidentia *moralis*; alia *phyſica*; alia *metaphyſica*, quæ hic explicandæ ſunt ex profeſſo, & quidquid inter explicandum quamlibet dixerim de euidentiã obiecti, dictum puta ſuo modo de euidentia actus, & principij; & è contra, quidquid dixerim de euidentia actus, ſeu principij, dictum puta ſuo modo de obiectiua. *Moralis* euidentia datur, quãdo iuxta regulas prudentiæ nõ poteſt quis de obiecto propoſito dubitare; v. g. homo grauis, doctus, & ſanctus, quem veraciſsimum ſemper experti ſumus, iureiurando rem aliquã affirmat, ex qua nihil emolumenti ei accedet. Res illa dicetur euidens moraliter, ac perconſequens actus illi aſſentiẽs, quia iuxta regulas prudẽtiæ tenemur non dubitare de illa. Hac euidẽtia ſunt euidẽtes res noſtrę Fidei, quęã tot homi-

Digitized by Google

hominibus doctis, & ſanctis affirmatæ ſunt; tot miraculis cõfirmatæ, vt iuxta regulas prudentię nullus poſsit de illis dubitare; & propterea tenentur omnes illis credere, neq; excuſationē aliquā habebunt infideles, qui vel reliquerunt fidem, vel nunquam eam acceperunt.

8 Hæc euidentia moralis ſimpliciter loquēdo eſt obſcura: quia euidētia oritur ex principijs, quæ ex ſe determinant ad cognitionē, ſeu aſſenſum obiecti, & impediunt dubiū, & formidinē circa obiectū: ſed poſſunt dari principia, quæ iuxta dictamen prudentiæ determinent ad aſſenſum, & non patiātur dubiū, aut formidinē circa obiectum, & nihilominus phyſice loquendo, nec determinent ad primum, nec impediant ſecundū: ergo poteſt dari actus moraliter euidens, & obſcurus phyſice. Minor conſtat in teſtimonio hominis fidedigni; quod quidē iuxta dictamen prudentiæ obligat ad aſſenſū rei teſtificatæ, nec patitur dubiū, & formidinē circa illā; & tamen phyſice neque determinat ad primum, neque impedit ſecundū: quę enim repugnātia phyſica eſt in eo, quod ego dubitē de re ab homine fidedigniſsimo teſtificata? Hinc conſtat, hanc euidentiam ex genere ſuo poſſe admittere falſitatem: neque enim repugnat, virum grauem, & fidedignum mentiri.

9 Euidentia *phyſica* actus (hinc facile colligetur, quid ſit euidentia phyſica principij, & obiecti) eſt cognitio euidens ex phyſicis principijs: Talis eſt concluſio ex exiſtentia effectus euidenter viſi deducta circa exiſtentiam cauſæ ſecundæ; vt, quando ex cognitione albedinis, quā video, deduco exiſtentiā ſubiecti; &, ex viſione fumi deuenio in cognitionē exiſtentiæ ignis. Hęc dicitur euidētia *phyſica*, quia ſtando principijs phyſicis impedit omne dubiū, aut formidinem. Eſt dicere: ſi naturę iura ſeruentur, nihil poteſt eſſe, quod in præſentia talis actus dubium, aut formidinē inducat circa eius obiectū. Huic euidentiæ poteſt ſubeſſe falſitas: quia Diuina vi poteſt fieri, quod, exiſtentibus accidentibus, non exiſtat ſubiectū, vt contingit in Euchariſtia.

10 Euidentia *metaphyſica* datur, quando obiectū clare cognoſcitur, ita vt nec tali cognitioni vllo modo poſsit ſubeſſe falſum, nec vllum dubium circa obiectum admitti poſsit. Hac euidētia pollent hæc principia: *Quodlibet eſt, vel non eſt: Deus eſt*, & quæcunque cognitio attingens connexionem prędicatorum eſſentialiū alicuius entitatis per ſpecies proprias illius. Hæc autem dicitur euidentia *metaphyſica*, non quia nō nitatur principijs phyſicis, ſæpè enim nititur his principijs; ſed quia quē admodum principia metaphyſica ſunt ita clara, & euidentia, vt illis non poſsit vllo modo ſubeſſe falſum; ſic & hæc euidentia eandem ſortitur dignitatem.

11 Ex his colliges, hæc tria genera euidentiæ ſubordinari ita inter ſe, vt euidentia moralis ex

genere ſuo admittat obſcuritatē phyſicā, & hæc obſcuritatem metaphyſicā; non tamen ē cōtrà, ſaltem ordinaria via. Colliges 2. euidentiam *metaphyſicā* eſſe maiorē, clariorem, & perfecti orē reliquis in ratione euidentiæ; &, euidentiā *phyſicam* perfectiorē *morali*; quia *metaphyſica* nullum admittit dubium, aut falſitatē circa obiectū: *phyſica* vero admittit dubium, at quod non oriatur ex principijs naturalibus; ſed ſolum ſupernaturalibus: *moralis* denique admittit dubium, quod oriatur etiā ex principijs naturalibus phyſicis: quapropter euidentia *metaphyſica* includit *phyſicam*, & *moralem*; *phyſica* vero *moralem*.

SECTIO II.

Nonnullæ difficultates expediuntur circa euidentiam.

12 PRima difficultas eſt: *An euidentia diſtinguatur realiter ab actu cognitionis?* Reſpondeo negatiue: quia vel cognitio (quæ dicitur euidens) præciſo quocunque alio modo, aut entitate poſitiuā ſuperaddita illi, ſe ipſā impedit dubium, & formidinē circa ſuum obiectum; vel non. Si primū: erit euidens per ſuam entitatem, quia in eo conſiſtit euidentia. Si ſecundum: erit obſcura per ſuam entitatem, ac per cōſequens, quicunque modus illi ſuperaddatur, perſeuerabit obſcura: ergo debet eſſe euidens per ſuam entitatem, & non per aliquid ſuperadditum.

13 Confirmatur: quia euidentia formalis eſt forma, per quam obiectum manifeſtatur intentionaliter intellectui: ergo id, quod eſt realiter euidentia, debet eſſe realiter manifeſtatio formalis obiecti: ergo debet eſſe cognitio. Patet conſequentia: quia omnis manifeſtatio formalis obiecti eſt repræſentatio formalis illius: ſed omnis repræſentatio formalis obiecti (quando eſt actualis, ſeu per modū actus vt in præſenti) eſt cognitio, vt cōcedunt omnes: ergo, &c. Maior eſt certa: quia non aliter manifeſtatur formaliter obiectum potentiæ, niſi per repræſentationem formalem illius. Si ergo euidentia formalis eſt realiter cognitio: ergo iam datur cognitio, quæ ſe ipſa ſit euidens, & non per aliquid à ſe diſtinctum. Hinc conſtat, euidentiam, & obſcuritatem eſſe differentias eſſentiales actuum euidentis, & obſcuri.

14 Secunda difficultas eſt: *An idem actus eiuſdem obiecti poſſit eſſe ſimul euidens & obſcurus?* Circa quam certū eſt primo, poſſe eundem actum ſimul eſſe euidētem in vno genere euidentię inferioris, & obſcurum in altero ſuperioris: actus enim euidens moraliter poteſt eſſe obſcurus phyſice; & actus euidēs phyſice poteſt eſſe obſcurus metaphyſice, vt conſtat ex dictis ſect. præced. Certum eſt ſecundo, in eodem genere poſſe eundem actum eſſe ſimul euidentē & obſcurū circa diuerſas formalitates eiuſdem obiecti. Id conſtat in actu, quo à longe video hominem, quin diſcernā, an ſit Petrus, vel Ioannes: hic enim actus euidēter phyſice attingit ratio ē ho-

Digitized by Google

hominis, hoc eſt, entitatē hominis prout affectā accidētibus, quibus diſcernitur à non homine: obſcure verò rationem indiuidualē huius hominis, hoc eſt, ipſam entitatem hominis prout affectam accidentibus, quibus diſcernitur ab alio indiuiduo hominis: ergo, &c.

15 Nec propterea putes, verificari duplex contradictoriū de eodē homine, nempe quod per eādem cognitionē cognoſcatur clare, & nō cognoſcatur clare: quia, cum hæc verificentur de eodē homine prout affecto diuerſis accidentibus, ſeu reſpiciente diuerſa connotata, non ſunt eiuſdē de eodem, ac percōſequens neque ſunt cōtradictoria. An verò circa eandem formalitatē vnius obiecti poſſit dari vnus actus, qui ſimul ſit euidens, & obſcurus in eodē genere? Conſtabit ex infra dicēdis: vbi agemus, an idem actus poſſit eſſe ſimul ſcientia, & fides?

16 Tertia difficultas eſt: *An vnus actus poſſit eſſe euidentior alio?* Circa quā certum eſt 1. actū metaphyſice euidentē eſſe euidētiorē actu phyſice ſolū euidente, & hunc euidentiorē actu morâliter ſolū euidente, vt cōſtat ex dictis. Certū eſt 2. inter actus euidentes in eodē genere, poſſe dari vnū euidentiorē alio ratione maioris intenſionis: homo enim proximus parieti clarius videt illum, quam qui diſtat, non alia de cauſa, niſi quia habet viſionem intenſiorem: ergo vnus actus eſt euidētior alio ratione maioris intenſionis.

17 Difficultas ergo eſt: an inter idē euidētiæ genus detur vnus actus, qui per ſuam eſſentiā ſit alio euidentior? In qua re affirmatiua ſententia tenēda eſt. Cum P. Hurt. hic diſp. 8. ſect. 6. P. Arri. in Log. diſp. 16. ſect. 5. & PP. Conimb. lib. 2. Poſt, c. 2. q. 2. art. 5. Et facile probari poteſt: quia, vt dicemus diſp. ſeq. inter cognitiones euidētes, quæ habentur per proprias, & quidditatiuas ſpecies obiecti, ſunt poſsibiles quędā, quę diſtinctè repræſentēt omnes formalitates obiecti; aliæ, quæ vnā, vel alterā ſolū: ergo eæ priores erūt eſſentialiter euidentiores iſtis poſterioribus. Patet conſequentia: quia diſtinctius attingunt obiectum illæ, quā iſtę. Et vniuerſaliter loquēdo, omnes præmiſſæ per ſe notæ ſunt euidentiores concluſionibus, quæ nō aliunde niſi ex illis præmiſsis deducuntur.

18 Ratio à priori eſt, quia euidentia conſiſtit in virtute impediendi dubium circa obiectum euidenter cognitū; ſed maiorem vim impediendi tale dubium habet cognitio immediatè attingēs obiectum in ſe ipſo, quā illa, quę illud attingit ex alio prius cognito: ergo eſt euidentior. Minor probatur: quia magis penetratur veritas obiecti in ſe ipſo cogniti per ſpeciē propriā, ſeu ex apprehēſione terminorū, quā obiecti, cuius cognitio ex alterius cognitione deducitur; quod quidem inde conſtat aperte, quod cum nunquam neceſſarium putemus confirmare præmiſſas per ſe notas, non raro confirmamus conclu-

cluſiores inde deductas: quod aliũ de prouenire nequit, niſi ex eo, quod præmiſſæ illæ euidentiores, & clariores ſunt, quam concluſiones ex illis deductæ.

19 Objicit P. Hurt. in Log. diſp. 11. ſect. 3. (vbi docet præmiſſas non eſſe euidentiores concluſione) per concluſionem aſſentimus identitati duorum extremorum inter ſe; quæ per præmiſſas nouimus eſſe idem cum medio: ergo tam euidenter aſſentimur concluſioni, quam præmiſſis. Conſequẽtia patet: quia per ſe notum eſt, quod, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Confirmatur: quia vnio extremorum inter ſe eſt eadem cum vnione illa cum medio: ergo eâdẽ euidentiâ, quâ huic aſſentimur, aſſentimur & illi. Ad obiectionem nego conſequentiã. Ad probationem admitto illud axioma; ſed ex eo non colligitur; quod quando vnio extremorũ inter ſe attingitur diuerſâ cognitione, ac vnio eorum cum medio; debet eſſe æque euidens vtraque. Ad confirmationem nego conſequentiam: quia ſicut idem obiectũ poteſt cognoſci cognitione euidente, & obſcurâ, ſic etiam poteſt cognoſci duplici cognitione, quarũ vna ſit euidentior aliâ.

SECTIO III.

De Certitudine.

20 Triplex certitudo diſtingui ſolet vna *obiectiua*; altera *formalis*; tertia *ſubiectiua*. Certitudo *obiectiua* (omiſſâ aliorũ explicatione) eſt ipſa entitas obiecti, quæ ex ſe cognoſcibilis eſt per actũ certũ: nam ſicut entitas, quæ cognoſcibilis eſt per actũ verum, dicitur *veritas obiectiua*, ita etiã dici debet *certitudo obiectiua* ipſa entitas, quæ cognoſcibilis eſt per actũ certum. Nec ex hoc inferas, concedendã etiã eſſe incertitudinem obiectiuã in obiecto reali, quod cognoſcitur per actũ incertum: id, inquam, non bene infertur ex eo, quod detur certitudo obiectiua à nobis explicata: quia ſicut falſitas actus non prouenit ex obiecto, quod per illũ cognoſcitur; ſed ex defectu potentiæ, vt dicebamus diſp. 12. n. 34. & propterea, vt ibidẽ dicebamus, nõ datur falſitas obiectiua; ita etiã incertitudo actus nõ prouenit ex defectu obiecti, quod per illũ noſcitur; quia cũ iſtud ex ſe non habeat aliã cognoſcibilitatẽ, niſi propriã entitatem, ex ſe non eſt cognoſcibile, niſi per actum, qui propriam eius entitatẽ repræſentet, ac per conſequens ex ſe determinatũ eſt ad terminandum ſemper actũ determinate verum. Vnde oritur, quod, quando cognoſcitur per actum, qui ex ſe poteſt eſſe falſus (quod eſt eſſe incertũ) id non eſt tribuendum obiecto cognito; ſed imperfectioni potẽtiæ, ſeu obiecti formalis, quo nititur talis actus, aut defectui principij adiuuantis, ſeu determinantis potentiam ad productionem talis actus.

21 Certitudo *formalis* eſt ipſa certitudo actus, & cõſiſtit in determinatione actus ad verũ. Vt docet P. Hurt. hîc diſp. 8. ſect. 4. ex

P. Mol.

Digitized by Google

P. Mol. 1. p. diſp. 9. 1. art. 5. & ex P. Vazq. 1. p. diſp. 68. num. 33. & & 34. & diſp. 65. num. 2. in quod ſcholaſtici conueniunt: & ſumitur ex S. Thom. in 3. diſt. 23. q. 2. art. 2. queſtiun. 3. Itaque actus certus dicitur ille, qui ex natura ſua eſt determinatus ad repræſentandū obiectum eo modo, quo eſt à parte rei (hoc enim eſt determinatum eſſe ad verum, vt dicemus infra) ille vero actus eſt ex natura ſua determinatus ad repræſentandum obiectum, vt eſt in ſe, qui ex natura ſua petit oriri à principio, quod ex ſe non poteſt elicere, niſi actum verum: v. g. actus Fidei Diuinæ ex natura ſua eſt determinatus ad repræſentandum obiectum, vt eſt in ſe, quia ex parte efficientis requirit habitum ſupernaturalē Fidei, & ex parte motiui formalis teſtimonium Diuinum, quæ non poſſunt influere, ſeu determinare potentiam, niſi ad actum verum. Ad hanc vero certitudinem ſufficit, quod vnum ex principijs requiſitis ad actum ſit tale; quod nō poſſit concurrere, niſi ad verum; è contra vero ad incertitudinem eſt neceſſarium quod omnia, & ſingula principia requiſita ad actum poſſint ex ſe concurrere ad falſum; & ideo idem actus non poteſt ſimul eſſe certus, & incertus in eodem genere, circa idem obiectum.

22 Ex his conſtat 1. certitudinem formalem, quæ datur in actu, non diſtingui realiter ab ipſo actu: quia eo ipſo quod actus ſe ipſo petit oriri à principio non potente influere, niſi in actum verum, eſt determinatus ſe ipſo ad repræſentandum obiectum, vt eſt in ſe: ſed actus Fidei Diuinæ, & relioui actus certi ſe ipſis petunt oriri à tali principio, vt ex ſe conſtat: ergo ſe ipſis ſunt certi. Conſtat 2. certitudinem actus diſtingui formaliter ab euidentia ipſius actus: quia hæc conſiſtit formaliter in virtute impediendi dubium circa obiectum, vt diximus ſect. 1. illa vero in determinatione actus ad verum: ſed hi ſunt conceptus formaliter diſtincti, quia habent diuerſa connotata, in ordine ad quæ poſſunt ſeorſim concipi vnū ſine alio: ergo &c. Comparantur tamen inter ſe, tanquam ſuperius & inferius: quia certitudo ſe extendit ad plura, quam euidentia, cum detur in omnibus euidentibus; & præterea in fide, quæ eſt in euidens, & obſcura.

23 Conſtat 3. certitudinem actuum eſſe idem cum infallibilitate: quia, eo ipſo quod actus eſt ex ſe ipſo determinatus ad repræſentandum obiectum, vt eſt in ſe, non poteſt fallere potentiam, quā informat, vt patet: ergo eſt infallibilis, ac per cōſequens certitudo actus non erit aliud, quam infallibilitas illius. Conſtat 4. actum naturalis ordinis attingentem obiectum formale ſupernaturale non eſſe certum ex eo, quod tale obiectum attingat: quia, vt diximus diſp. 12. n. 62. talis actus non nititur obiecto formali ſupernaturali vere exiſtente; ſed exiſtente vere, vel apparenter: atqui obiectum ad-

Digitized by Google

adhuc ſupernaturale apparenter ſolum exiſtens non eſt determinatum ad cauſandum actum verum, vt ibi dicebamus: ergo actus naturalis illo nitens non eſt certus.

24 *Certitudo ſubiecti* eſt firma intellectus adhæſio ad rem vt veram: quæ certitudo datur, quãdo intellectus ita aſſentitur rei tãquã veræ, vt nullum admittat dubiũ circa illã; vel quia aſſenſus oritur ex principijs ex ſe impedientibus dubium, vt contingit in omni actu euidente; vel quia voluntas aſſenſum imperat eo affectu, qui nullũ permittit dubiũ circa obiectũ; vt, quum catholicus vitã vult perdere potiùs, quam Fidem negare; vel quãdo quis ita adigitur ſuæ, vel amici opinioni, vt difficile ab ea dimoueri poſsit. Hæc tamen certitudo orta ex affectu voluntatis poteſt de facto coniungi cũ actu falſo, vt contingit, quãdo infidelis ex praua diſpoſitione ita ſuo adhæret errori, vt multis ſe exponat periculis pro eius defenſione. Imo poteſt eſſe firmior, hæc adhæſio in infideli, quã in fideli. Ex his tribus mẽbris certitudinis id, quod proprie, & primario habet rationẽ certitudinis eſt *certitudo actus*: quia *certitudo* proprie ſumpta, & dubiũ ſeu formido ſunt differẽtiæ oppoſitæ: ergo debent contineri ſub eodem genere: ſed dubiũ, aut formido eſt differentia contenta ſub genere actus intellectionis: ergo & certitudo debet contineri ſub eodem genere.

25 Confirmatur; quia certum proprie dicitur, quod non poteſt eſſe falſum: id autem cui primario repugnat falſitas: eſt actus intellectus non potens repræſentare obiectum aliter, ac eſt in ſe: ergo is actus eſt, cui primario cõuenit certitudo. Hinc deriuatum eſt nomen ad obiectum, quod, quatenus eſt ex ſe, non poteſt terminare actũ falſũ, & ad ſubiectũ, quod ita adhæret actui vero, vel quẽ putat eſſe verũ, vt ab eo nullatenus, vel ſaltem difficile dimoueri poſsit. Hinc etiam protractum nomẽ ad ſignificandam dexteritatem attingendi ſcopum: quia ſagittarius, & ſclopetarius, qui raro à ſcopis aberrant, dicũtur certi, ſeu habere ſagittandi ictuſque certos. Imo & quælibet res ad vnum determinata appellari ſolet certa; & quæ eſt, indifferẽs ad vnũ, vel ad aliud dicitur incerta. Id tamen improprie ſatis dicitur: quia res non tam ſunt certæ, vel incertæ, quam neceſſariæ, aut contingentes; ſeu, euitabiles, aut ineuitabiles, vt recte docet P. Vazq. 1. p. diſp. 68. num. 33.

26 *Certitudo actus* (& idem dicito ſuo modo de certitudine obiecti) eſt triplex. Alia *moralis*: alia *phyſica*: alia *metaphyſica*. *Moralis* eſt actus habẽs principia, quæ iuxta hominũ exiſtimationẽ hic & nũc cenſentur nõ poſſe influere in actũ falſum: ſic dicitur moraliter certus actus, quo homini graui, & fidedigno rem aliquam tanquã à ſe viſam affirmanti credo: iſte tamẽ actus phyſice eſt incertus; quia principia eius poſſunt reuerà influere in actum falſum.

Cer-

27 Certitudo *phyſica* eſt actus petens principia, quæ iuxta ordinem & vires naturæ non poſſint non influere in actũ verum; vt, quãdo ex exiſtentia accidentis deducitur exiſtentia ſubiecti, concluſio inde deducta eſt certa phyſice, quia non poteſt iuxta naturæ ordinẽ eſſe falſa, cũ naturaliter nõ poſſit accidẽs eſſe ſine ſubiecto. Iſte actus inuoluit certitudinẽ moralẽ, & eſt certior actu moraliter ſolũ certo: eſt tamen incertus metaphyſice, quia, cum ſupernaturaliter poſsit eſſe accidens ſine ſubiecto, ſupernaturaliter poteſt fieri, quod talis actus ſit falſus.

28 Certitudo *metaphyſica* eſt actus petens principia, quæ nullatenus poſsint influere in actũ falſum: talis eſt actus Fidei Diuinę, & omnes actus euidentes metaphyſice. Hi, qui pollent metaphyſicã certitudine ſunt certiores reliquis, quia nullam inuoluunt incertitudinem, neque vllam falſitatem poſſunt admittere adhuc ſupernaturaliter.

An intra idem genus certitudinis poſsit dari vnus actus certior alio?

29 QVod ad moralem certitudinem attinet, certũ eſt, vnum actum poſſe eſſe moraliter certiorem alio: quia moraliter loquẽdo certior eſt actus nitens teſtimonio pluriũ hominum grauiũ, & fide dignorũ, quam ille, qui nititur teſtimonio vnius, vel duorũ ſolũ. Certũ eſt 2. inter actus phyſice certos (& idem eſt de certis metaphyſice) dari vnum certiorem alio quoad intẽſionem; quia vnus habet plures gradus intenſionis alio. Certum eſt 3. actum attingentem plures formalitates vnius obiecti eſſe eſſentialiter certiorem alio attingente vnam, vel alteram formalitatem eiuſdem obiecti: v. gr. detur aliquis à longe videns certò aliquod animal, quin diſcernat, an ſit homo, vel leo; alius vero è propinquo certó videat eſſe hominẽ: hic certiùs attinget hoc obiectũ, quã ille, quia ille primus ita certó videt, eſſe animal, vt errare poſsit circa rationẽ hominis; at vero ſecundus certò videt vtrunque, & ideo circa neutrũ errare poteſt: ergo iſte certiùs attingit hoc obiectum, quam ille. Difficultas tamen eſt: An circa eandem formalitatem vnius obiecti, vel circa diuerſas diuerſorũ poſsit vnus actus ſecundum ſuam eſſentiam eſſe certior alio intra idem genus certitudinis phyſicæ, vel metaphyſicæ?

30 In qua re Dicendum eſt 1. actũ Fidei Diuinæ, qui eſt certus metaphyſice, ſimpliciter & abſolute eſſe certiorem, certitudine formali actus, quocũque alio actu naturali metaphyſice certo. Ita S. Tho. 2. 2. q. 4 art. 8. Cai. ibi, cum Thomiſtis. Gabr. in 3. diſt. 23. q. 2. littera *D*. P. Ægid. de Fide diſp. 14. dub. 4. n. 48. P. Hurt. de Fide diſp. 58. ſect. 4. P. Gaſ. Hur. diſp. 4. de Fide, diſt. 64. eſtque cõmunis inter Theologos. Probatur 1. quia ille actus eſt certior, qui ex ſe magis determinatus eſt

ad

Digitized by Google

ad veritatem, ſed actus Fidei Diuinæ eſt ex ſe magis determinatus ad veritatem, quam quilibet actus naturalis, etiamſi ſit metaphyſice certus, & euidens: ergo eſt certior quocunque actu naturali. Minor probatur: quia actus Fidei Diuinæ nititur Diuino teſtimonio tanquam motiuo, & ratione formali aſſentiendi reuelatis: ergo magis determinatus eſt ad veritatem, quam quilibet actus naturalis. Patet conſequentia: quia multo magis repugnat Deũ teſtificari falſum, quã quod actus, adhuc qui eſt notus ex apprehenſione terminorum, ſit falſus: tum quia plura contradictoria ſequerẽtur ex mendacio Dei, quã ex deceptione luminis naturalis creati; tum etiam; quia, cum veracitas Dei ſit infinita, infinite diſtat à falſitate: lumen vero naturale creatum, cum ſit finitum non diſtat infinite à deceptione.

31 Secundo probatur concluſio: quia, eatenus actus eſt certus, quatenus exigit principia, quæ non poſſunt influere in actum falſum: ergo, quo plura exegerit principia non potentia influere in actum falſum, eo certior erit abſolute, & ſimpliciter: ſed actus Fidei Diuinæ exigit plura principia non potentia influere in actũ falſum, quam quiuis actus naturalis: ergo abſolute, & ſimpliciter eſt certior quouis actu naturali. Primum antecedens conſtat ex nu. 21, ex quo bene deducitur primũ conſequens: quia, vt omnes concedunt, id, quod à pluribus hominibus fidedignis affirmatur, eſt moraliter certius, quam id quod ab vno, vel altero ex illis ſolum dicitur, non aliâ de cauſâ, niſi quia primum oritur ex pluribus principijs, quæ iuxta prudentum hominum exiſtimationem non poſſunt influere in actum falſum. Idẽ ergo dicendum eſt in actibus phyſice, aut metaphyſice certis, quãdo vnus oritur ex pluribus principijs ex ſe determinatis ad actũ verum, quam alius. Minor vero probatur: quia actus Fidei Diuinæ oritur immediate & ex teſtimonio Diuino tanquam ex motiuo formali, & ex habitu ſupernaturali Fidei tanquam ex efficiẽte; quorum cuilibet ſecundũ ſe eſſentialiter repugnat concurrere in actum falſum: quia teſtimonium Diuinum non poteſt eſſe teſtimoniũ falſi, vt ex ſe cõſtat: neque habitus ſupernaturalis poteſt influere efficienter in actum falſum, habitus enim ſupernaturalis ex ſe eleuat potentiam naturalem ad perfectionem aliquam ſupra naturam illius, cum autem actus falſus non ſit ſupra naturam potentiæ naturalis, ſecus actus verus, quãdo eſt proportionatus obiecto ſupernaturali, neceſſarium eſt, quod habitus ſupernaturalis ex ſe ſemper concurrat ad actum verum. En actus Fidei habet duo principia immediata, quorum cuilibet ſeorſim ſumpto repugnat influere in actum falſum.

31 At vero actus naturalis nõ exigit niſi vnum principium certum: quia vel immediate oritur ex

appre-

apprehenſione terminorum, vt actus, quo cognoſcitur, *quodlibet eſt vel non eſt*; & in hoc caſu non datur aliud principium neceſſario requiſitum ad iſtum actũ, quod non poſsit influere in actum falſum, niſi apprehenſio ipſa terminorum: vel immediate oritur ex præmiſsis certis, & euidentibus, vt in hoc ſyllogiſmo, *Omne totum eſt maius ſua parte: vlna eſt totum coaleſcens ex quatuor palmis: ergo eſt maior vno palmo*, in quo caſu licet concluſio oriatur immediate ex duabus præmiſsis, quæ coniunctæ non poſſunt determinare intellectum ad actum falſum, quęuis tamen ſeorſim ſumpta poteſt influere in actum falſum, ſi cum aliâ falsâ coniungatur, atq; adeo non concurrunt vt duo principia, quorum cuilibet ſecundum ſe repugnet influere in falſum; ſed vt vnum tãtum: ergo actus Fidei ex natura ſua exigit plura principia certa, quàm quiuis actus naturalis, ac per conſequens ille erit certior iſto. Ex dictis facile erit colligere, inter actus certos qui ſint alijs certiores, ſeu æque certi.

33 Dico 2. quilibet actus metaphyſice euidens eſt certitudine ſubiectiua certior, quam actus Fidei Diuinæ. Ita S. Thom. 2. 2. q. 4. art. 4. vbi docet, Fidem eſſe ex ſe certiorem ſcientiâ, incertiorem tamen ex parte ſubiecti. Cõſentit P. Ægid. de Fide, diſp. 14. num. 61. & P. Hurt. hìc diſp. 8. num. 53 & 54. vbi explicant S. Thom. in ſenſu noſtræ concluſionis. Probatur: quia certitudo ſubiectiua eſt firma intellectus adhæſio ad rem vt veram, vt diximus num. 34. ſed firmius adhæret intellectus obiecto euidenter cognito, quã obiecto Fidei: ergo actus euidens (loquor de euidentia metaphyſica) eſt ex parte ſubiecti certior actu Fidei. Minor probatur: quia in primis intellectus neque poteſt habere diſſenſum, neque dubium circa obiectum euidenter cognitum, vt conſtat ex num. 2. & 3. ſecus circa obiectum Fidei obſcure (vt ſolet) propoſitum. Quod teſtatur infinita hæreticorum multitudo quotidie deficiens à Fide. Deinde intellectus ab obiecto ſemel euidenter cognito amouetur difficile propter claritatem cognitionis: ab obiecto verò Fide credito diſcedit facile propter obſcuritatem actus, & propoſitionis Diuini teſtimonij: ergo firmius adhæret intellectus obiecto euidenter cognito, quã Fide credito: ergo actus euidens eſt certitudine ſubiectiua certior actu Fidei.

SECTIO IIII.

Explicatur definitio veritatis, & falſitatis.

34 Egimus diſp. 12. ſect. 2. de veritate obiectiuâ. In præſenti agendum eſt de formali, hoc eſt, de veritate actuum, qui verſantur circa obiectum verum: de qua longe lateque diſputat P. Suar. in Meta. diſp. 8. per ſex priores ſectiones P. Hurt. diſp. 9. de An. & P. Arriag. in Log. diſp. 14. Veritas ergo formalis ſic definitur à S. Thō.

à S. Tho. 1. p. q. 16. ar. 2. & ſupponit eſſe definitionem communiter receptam inter Doctores. *Veritas eſt conformitas intellectus* (medio ſuo actu) *& obiecti*: Dicuntur autē conformia actus, & obiectũ, quando ille repræſentat iſtud, vt eſt à parte rei: v. g. ſi, currēte Petro affirmet quis, *Petrum currere* talis affirmatio, & Petrus currēs erunt cōformes, nō quia ſint eiuſdem rationis, & eſſentiæ (maximũ enim diſsidium eſt inter eſſentias vtriuſque) ſed quia actus repræſentat intellectui curſum, qui reuera datur in Petro. Hęc doctrina deſumpta eſt ex Ariſtot. in Prædic. cap. de *Subſtantia*, vbi ait: *ex eo, quod res eſt, vel non eſt, oratio, ſeu opinio dicitur vera vel falſa*: hoc eſt, ex eo præciſe, quod res eſt reuera eo modo, quo repræſentatur per orationem, ſeu cognitionem, eſt ratio ſeu cognitio vera; &, ex eo præciſe, quod res non eſt reuera eo modo, quo repræſentatur per cognitionē, ipſa cognitio eſt falſa: ergo conformitas inter cognitionem, & obiectum requiſita ab Ariſtot. ad veritatem in eo ſolum conſiſtit, quod cognitio repræſentet obiectum eo modo, quo reuera datur in rerum natura.

35 Sed eſt difficultas; quodnam ex iſtis duobus extremis dicendum ſit alteri conformari: An videlicet obiectum conformetur cognitioni, vel è contra cognitio obiecto? Reſpondeo, generaliter loquendo, cognitionem conformari obiecto cognito, & non è contra. Ita Caiet. 1. p. q. 16. ad ar. 2. § *Ex his autem patet* circa finem. Ratio eſt: quia inter duo conformia id, quod alterum ſupponit & fit ad normam illius, eſt illi conforme; non è contra: cognitio autem & ſupponit frequenter obiectum, quia hoc eſt ſaltem cauſa remota illius; & deinde fit ad normam ipſius obiecti, quia cognitio eſt repræſentatio obiecti: repræſentatio autem fit ad normam eius, quod repræſentatur per illam, & non è contra. Hinc eſt, quod veritas formalis primo conuenit cognitioni, non obiecto: quia veritas conſiſtit in conformatione actus, & obiecti: ergo illi primario conuenit veritas, cui conuenit eſſe alteri conforme: ſed id conuenit cognitioni: ergo eidem primario conuenit veritas.

36 Ex dictis colligo 1. id, quod docet P. Suar. in Met. diſp. 8. ſect. 3. n. 7. PP. Conimbr. cap. 1. de Signis q. 5. art. 2. §. *Deniq; in prima operatione*. P. Hurt. hic diſp. 9. ſect. 2. & P. Arria. in Log. diſp. 14. ſect. 4. nempe, non ſolum dari veritatem in iudicio; ſed etiam in ſimplici apprehenſione: quia tam iſta, quam illud conformantur cum obiecto; quando illud repræſentāt, vt eſt in ſe. Eſt tamen hoc diſcrimen, quod veritas datur in iudicio abſolute, & ſimpliciter: in apprehenſione vero ſolum ſecundum quid. Ratio eſt: quia intellectus per iudicium attingit rem, non vtcunque; ſed vt iudex, qui ſententiā latā in vnam partem contradictionis, eam præ alte-

alterâ ſtabilit. & firmat: per apprehenſionem vero rem attingit, nullam partẽ contradictionis præ alterâ ſtatuendo; ſed proponendo ſibi nude obiectum, vt inde tranſeat ad ferendam ſententiam circa illud.

37. Hinc eſt, quod intellectus omnino conformatur, & adæquatur cum obiecto per iudiciũ, quia ſicut obiectum, eo ipſo quod eſt in rerum natura determinate habet eſſe præ ſuo contradictorio illud determinate, & formaliter excludens à rerum naturâ; ita & iudicium, eo ipſo quod informat intellectum tanquam vera ſententia lata in fauorem vnius partis contradictionis præ aliâ, ſe ipſo formaliter excludit ab intellectu ſententiam pro altera parte contradictionis, quia, vt infra dicemus diſp. 16. ſect. 7. non poſſunt ſimul eſſe in eodem intellectu aſſenſus & diſſenſus circa idem obiectum: Secus accidit in ſimplici apprehenſione: hæc enim aut indifferentem relinquit intellectum ad ferendam ſententiam pro vnâ, vel altera parte contradictionis, vt ſæpè contingit, quando dātur apprehenſiones probabiliter ſuadentes vtranque partem; aut, ſi determinat illum ad ferendam ſententiam pro vna parte præ alia, non tamen excludit ſe ipſa formaliter, & proxime ſententiam pro altera; ſed ſolum virtualiter, & remote, quatenus vel determinat ad ferendam ſententiam pro vnâ, vel excludit fundamenta, quæ in ſententiam pro altera inclinare poſſent. Propterea diximus, apprehenſionem eſſe veram, ſeu conformem obiecto ſecundum quid; iudicium vero ſimpliciter. Id quod ex cõmuni omnium exiſtimatione, & probatione confirmatur: quia quando quis ſimplicem dictionem profert (quæ quidem ſimplici apprehenſioni reſpondet) non cenſetur verum, aut falſum abſolute dicere donec propoſitionem aliquam integre pronuntiet: ergo ex eo eſt, quod ſimplex apprehenſio non eſt abſolute vera, aut falſa.

38. Ex his facile conciliari poſſunt diuerſa Ariſt. loca, in quibus videtur ſibi ipſi contrarius. Nam lib. 1. de Interp. cap. 1. docet, in ſola compoſitione, & diuiſione (hoc eſt in ſolo iudicio affirmatiuo, aut negatiuo) eſſe veritatem: & idem docet 3. de An. cap. 5. text. 22. & 6. Meta cap. 2. & ſubſcribit S. Thom. ad 1. caput. libr. 1. de Interp. lect. 3. & 1. p. q. 16. art. 2. & in alijs locis. Oppoſitum vero docet Ariſtot. 3. de Anim. capit. 6. in fine vbi ait, *intellectum, qui eſt ipſius quid eſt, ex ipſo quid erat eſſe, verum eſſe, etiamſi non aliquid de aliquo* ſupple enuntiet; ac ſi diceret, in intellectu datur veritas circa quidditatem rei, etiamſi per ſolam ſimplicem apprehenſionem cognoſcatur. In quem ſenſum Ariſtotelem explicat S. Thom. ibi lect. 11. Deinde ipſe Ariſt. in eodem loco intellectum in apprehẽſione ſimplicium comparat cum ſen-

ſenſu, quem lib. 2. de An. cap. 6. docuerat, ſemper eſſe verum circa proprium ſenſibile. Eandem doctrinam tradit 9. Meta. capit. 7. tex. 21. & 22. vbi idem docet S. Thom. lect. 11. Explicandi ergo ſunt Ariſt. & S. Tho. iuxta doctrinam à nobis traditam; ita vt, quādo docent, veritatem dari in ſolâ compoſitione, & diuiſione, intelligendi ſint de veritate abſolute, & ſimpliciter ſumptâ: & in hac acceptione definita eſt veritas à S. Tho. adducto ſuprà n. 34. Quādo vero dicunt, veritatem inueniri in ſimplici apprehenſione, intelligendi ſunt de veritate ſecundum quid: & ſic facile conciliantur loca aliàs ſibi contraria.

39 Colligo 2. falſitatem, vt pote quæ oppoſita eſt veritati, eſſe difformitatem actus cum obiecto: quę difformitas in eo cōſiſtit, quod actus repræſentet obiectum aliter, ac eſt à parte rei; vt, ſi, Petro non currente, affirmem, illum currere, talis affirmatio erit falſa, quia attribuit obiecto id, quod reuera non datur in illo. Falſitas datur abſolute, & ſimpliciter in iudicio: in apprehenſione vero datur ſolum ſecundum quid; vt deducitur ex dictis circa veritatem. Et quidem, ſi apprehēſio ſit integræ propoſitionis, vel alicuius termini complexi, certum eſt, poſſe admittere falſitatē (loquor de falſitate ſecundum quid) quia ſi quis apprehendat hanc propoſitionē, *homo eſt hinnibilis*, talis apprehenſio non conformabitur cum obiecto, cum homo reuerà non ſit hinnibilis. Eſt tamen difficultas: An in apprehenſione ſolius ſubiecti, aut ſolius prædicati, vel termini alicuius incomplexi poſſit inueniri falſitas?

40 Negant PP. Conimb. ſuprà art. 4. vbi plures pro ſe afferunt, quibus cōſentiunt P. Hurt. & P. Arriag. ſuprà. Ratio eſt: quia apprehenſio termini incomplexi hominis v. gr. vel repræſentat hominem, vel non. Si primum: erit vera. Si ſecundum: iam non erit apprehenſio hominis; ſed alterius obiecti, reſpectu cuius erit vera: ergo nunquam erit falſa. Ego vero exiſtimo, poſſe dari apprehenſionem termini incomplexi falſam. Moueor: quia quotieſcunque per apprehenſionem fingo aliquē terminum incomplexum, v. gr. relationem inter animal, & rationale, apprehendo illam, ac ſi eſſet realis (ex eo enim illā fingo, quod, cum nō ſit, cognoſco, ac ſi reuera eſſet) ergo falſo illam apprehendo. Patet conſequentia: quia, eo ipſo quod talis apprehēſio repræſentat illam relationem, ac ſi eſſet realis, non conformatur cum illa, quandoquidem illa non eſt relatio realis: ergo eſt falſa apprehenſio.

41 Colligo 3. illationem, ſeu conſequentiam, quæ inuenitur in diſcurſu, non eſſe veram, aut falſam. Ratio eſt: quia veritas, & falſitas conſiſtunt in conformitate, ſeu difformitate actus cum obiecto, quod repræſentatur per illum actum. Illatio autem, ſeu conſequentia non conſiſtit in repræſenta-

Digitized by Google

tatione aliqua obiecti; ſed in eo, quod intellect⁹ determinatus per præmiſſas tanquam per conditiones applicantes illi ſufficienter obiectum concluſionis, aſſentiatur ipſi obiecto concluſionis, vt dictum eſt diſp. 14. num. 48. atq; adeo in illatione nulla inuenitur difformitas, aut conformitas cum obiecto, ratione cuius conformitatis, aut difformitatis dici poſſit vera, vel falſa. Dicitur tamen bona, aut mala: quia, ſi præmiſſæ reuerà proponãt ſufficienter obiectum concluſionis, datur ſufficiens ratio ad aſſentiendum ipſi concluſioni, & ideo dicitur intellectus recte procedere in aſſenſu concluſionis: male vero, ſi obiectum concluſionis non proponatur ſufficienter per præmiſſas, quia non datur ſufficiens ratio ad aſſentiendum concluſioni.

42 Colligo 4. veritatem (& idem eſt de falſitate reſpectu eorum, in quibus inuenitur) primariò conuenire iudicio; reliquis verò ſecundariò, & per analogiam ad iudicium (ſicut ſanitas conuenit animali primariò; reliquis verò (quæ denominantur ſana) ſecundariò, & per analogiam ad ſanitatem animalis) Quia veritas conuenit iudicio ratione ſui; dein de apprehenſioni, & imagini depictæ conuenit propter ſimilitudinem, quam habet cum iudicio vero in ratione repræſentandi obiectum: deinde intellectui, & ſpeciei impreſſæ, quia ſunt cauſa cognitionis veræ: præterea voci bus, quia ſunt ſigna, ſeu ſubſtituta cognitionis veræ: & obiecto facto per directionem cognitionis practicæ veræ, quia eſt ſignum veritatis ipſius cognitionis: denique ens quodlibet dicitur verum, & quia mediâ ſpecie eſt cauſa remota cognitionis veræ; &, quia ex ſe eſt cognoſcibile per cognitionem veram, quatenus reuerà in ſe habet prædicata, quibus conformatur cognitio vera, dum ea repræſentat: vt, dum dicimus, in hoſtia conſecrata eſſe verum corpus Chriſti Domini, nihil aliud ſignificamus, niſi ibi eſſe corpus, quod per verum, & proprium conceptum corporis Chriſti Domini repræſentatur: ſimiliter, dum dicimus, Chriſtum Dominum eſſe verum hominem, ſignificamus, habere eam naturam, quam proprius conceptus hominis repræſentat.

43 Colligo vltimo, vnum actum poſſe eſſe magis verum, aut magis falſum, quàm alterum. Quod ad veritatem attinet, probatur: quia veritas conſiſtit in conformitate actus cum obiecto: ſed poteſt dari vnus actus magis conformis obiecto, quam alter: ergo poteſt dari vnus verior altero. Minor probatur: quia actus affirmans, *hominem eſſe animal rationale*, magis conformatur homini, quam actus ſolùm affirmans *eſſe animal*, quandoquidem ille repræſentat totam eſſentiam hominis; hic verò ſolum repræſentat vnam partem eſſentiæ.

44 Dices: obiectum poſterioris actus ſolum eſt, *hominem eſſe animal*: & tam conformis eſt iſte actus huic obiecto, ac prior actus eſt conformis obiecto, quod affirmat. Sed contrà: hoc obiectum, *homo eſt animal*, reuera identificatur realiter cum rationali; & tamen rationale non repræſentatur expreſſe per prædictum actum: ergo talis actus non eſt tam conformis ſuo obiecto, ſicut eſt alter, qui affirmat, *hominem eſſe animal rationale*.

45 Inſtabis: ergo actus ſolum affirmans, *hominem eſſe animal*, non eſt verus: quia, cum non repræſentet expreſſe rationale, quod idem eſt realiter cum homine, non conformatur cum ſuo obiecto, vt datur à parte rei. Reſpondeo, eum actum eſſe conformem obiecto inadæquatè: quia licet non repræſentet totum, quod à parte rei datur in illo, repræſentat tamen rationem *animalis*, quæ reuera datur in illo; neque negat eſſe conceptum *rationalis*. Ex quo ſequitur, talem actum ex vna parte eſſe conformem homini, quatenus eſt *animal*; ex alia verò non eſſe vllo modo poſitiue difformem illi, quia, licet non affirmet *eſſe rationalem*, non tamen illud negat; ſed præſcindit. Vnde ratione prioris habet veritatem, & ratione poſterioris nullam continet falſitatē, quia, vt docuit Ariſt. *abſtrahentium non eſt mendacium*.

46 Quod verò vnus actus magis falſus ſit, quàm alius, facile probatur: quia actus negans, *hominem eſſe animal rationale*, magis difformis eſt homini, quam qui ſolum negat eſſe *rationalem*: ergo eſt magis falſus ille, quàm iſte: quandoquidem falſitas conſiſtit in diſformitate actus, & obiecti, atque adeo vbi eſt maior difformitas, debet eſſe maior falſitas. Secundò: quia actus affirmans, *quatuor eſſe centum*, magis diſtat à veritate, quam affirmans, *quatuor eſſe quinque*: ergo eſt magis falſus. Patet conſequentia: quia falſitas cum ſit diſformitas actus, & obiecti, inuoluit receſſum à conformitate vtriuſque, in qua veritas conſiſtit: ergo, quo magis recedit actus à veritate, maiorem continet falſitatem.

47 Obijcit P. Arriag. ad quancunque veritatem requiritur exiſtentia obiecti, ſicut per propoſitionem affirmatur: ſed non poteſt magis exiſtere vnum obiectum, quam aliud: ergo neque vnus actus eſſe magis verus, quam alter. Mala conſequentia: quia non ſolum requiritur ad veritatem exiſtentia obiecti, ſicut repræſentatur; ſed etiam repræſentatio illius, vt eſt in ſe. Vnde, licet non poſſit vnum obiectum magis exiſtere, quam aliud, ſi tamen vna repræſentatio magis penetret obiectum, quam alia, erit quidem

magis

magis propria imago illius, quam alia; ergo magis conformis: ergo magis vera: ergo, cum probatum ſit, dari vnam cognitionem magis penetrantem obiectum, quam aliam, neceſſarium erit, quod ſit magis conformis illi, ac perconſequens magis vera.

SECTIO V.

An veritas formalis ſit aliquid diſtinctum ab actu vero?

48 DIximus, veritatem formalem conſiſtere in conformitate cognitionis cum obiecto cognito. Inueſtigandum modo, an hæc conformitas ſit aliquid diſtinctum ab ipſa cognitione? & quidnam ſit? Et omiſſâ ſententiâ aſſerente conſiſtere formaliter in relatione rationis: & ſententiâ aſſerente conſiſtere in ſola entitate actus, quæ facilè refutari poſſunt ex dictis in Logic. diſput. 19. ſect. 4. circa relationem prędicamentalem: & ex dictis in Phyſic. diſput. 5. ſect. 1. circa vnionem materiæ & formæ.

49 Dico 1. veritas actus, qui, cùm verſetur circa obiectum materiale contingens, nec nititur motiuo formali, nec oritur ex principio efficiente, quibus repugnet concurrere in actum falſum, integratur ex ipſa entitate actus, & exiſtentia obiecti eo modo, quo cognoſcitur per actum (idem dicito ſuo modo de falſitate talis actus, nempe integrari ex entitate actus, & non exiſtentia obiecti eo modo, quo cognoſcitur per ipſum actum) Itaque actus, quo affirmo, *Petrus currit, quia Ioannes dicit.* (qui nec nititur motiuo formali impote erroris, nec oritur ex principio efficiente non potente influere in actum falſum, vt ex ſe conſtat) eſt formaliter verus partim per ſuam entitatem, partim per exiſtentiam curſus Petri, & teſtimonij Ioannis. Ita P. Suar. in Metaphyſ. diſput. 8. ſect. 2. num. 9. & P. Arriag. in Log. diſput. 14. ſect. 1. ſubſ. 2. & multi recentiores: & traditur aperte ab Ariſtotele in Log. cap. de *Subſtantia*, vbi docet eandem opinionem (hoc eſt cognitionem probabilem) intrinſece inuariatam poſſe interdum admittere veritatem, & interdum falſitatem ex ſola variatione obiecti: ergo ſentit apertè, veritatem cognitionis probabilis non conſiſtere in ſola entitate cognitionis; ſed in coexiſtentia ipſius cognitionis, & obiecti.

50 Probatur ratione: quia veritas actus conſiſtit in eo, quod cognitio repræſentet obiectum eſſe (loquor de cognitione affirmatiua, & idem eſt ſuo modo de negatiua) & quod obiectum reuera ſit: ſed ex eo quod detur cognitio de facto repræſentans, ſeu affirmans, *Petrum currere, quia Ioannes dicit*, non eſt

neceſſarium, quod Petrus reuerà currat: ergo ex eo, quod detur talis cognitio, non eſt neceſſarium, quod ſit vera: ergo non eſt vera per ſolam ſuam entitatem. Deinde, poſitâ eâ cognitione ſimul cum teſtimonio Ioannis, & curſu Petri, quocunque alio præciſo, datur, quod repræſentetur obiectum, vt reuera eſt in ſe: ergo veritas illius coaleſcit ex ipſa cognitione, & ex obiecto. Quod verò, data tali cognitione, non ſit neceſſarium, quod reuera currat Petrus, eſt certum experientiâ. Et ratio à priori eſt: quia nihil eſt, quod hic, & nunc intellectum moueat ad aſſenſum circa curſum Petri, niſi teſtimonium Ioannis, & ſpecies ex iſto reſultans: teſtimonium verò Ioannis (& idem eſt de ſpecie ex illo reſultante) cum fallibile ſit, poteſt mouere ad aſſenſum, quin detur id, quod teſtificatur; ac perconſequens poteſt dari talis aſſenſus, quatenus ex ſe eſt, quin Petrus reuera currat.

51 Obijcies: prædicta cognitio affirmat, *Petrum reuera currere*: ergo habet connexionem eſſentialem cum Petro reuera currente: ergo eſt talis, quæ dari nequeat, quin Petrus reuera currat. Mala conſequentia: quia certum eſt, dari poſſe cognitionem falſam affirmantem Petrum reuera currere, quin Petrus de facto currat: ergo ex eo, quod prædicta cognitio affirmet, *Petrum reuera currere*, non bene infertur, quod non poſsit dari talis cognitio, quin Petrus reuera currat.

52. Reſpondeo ergo. Conceſſo antecedente, diſtinguo primum conſequens: habet connexionem eſſentialẽ cum Petro reuera currente in actu ſignato, ſeu in apprehenſione, concedo: cum Petro reuera currente in actu exercito, ſeu in re ipſa, nego conſequentiam. Eſt dicere: prædicta cognitio per ſe ipſam eſſentialiter ſignificat, ſeu repræſentat, *Petrũ reuera currere*; ſed, cum repræſentari poſsit, *Petrum reuera currere*, quin de facto ipſe curſum reuerà exerceat, neceſſarium non eſt, quod ea cognitio petat eſſentialiter, quod Petrus reuera currens de facto detur in rerum natura; ſed ſolum quod ſit terminus repræſentatus per illam. Si autem cum hoc, quod eſt eſſe terminum repræſentatum per talem cognitionem coniungatur, quod reuera detur de facto in rerũ natura, erit talis cognitio vera, ſin minus erit falſa.

53 Inſtabis: ex hac doctrina ſequitur, eam cognitionem ordinari ad ſe ipſam, ſeu petere ſe ipſam, quod quidem repugnat: quia ordo, ſeu exigentia non datur niſi inter extrema diſtincta. Sequelam probo: quia per te ea cognitio exigit, quod Petrus reuera currens ſit terminus repræſentatus per illam: ſed Petrus reuera currens conſtituitur in eſſe repræſentati per ipſam cognitionem: ergo non poteſt exigere, quod Petrus reuera currens ſit termi-

terminus repræſentatus per illã, quin exigat ſe ipſam, ſeu ordinetur ad ſe ipſam. Nego ſequelam. Ad probationem diſtinguo maiorem: ea cognitio exigit, quod Petrus currens ſit terminus repræſentatus per illam, ita vt exigentia tendat in terminum repræſentatum ſpecificatiuè ſumptum, cõcedo: in terminum repræſentatũ reduplicatiue prout repræſentatum, nego maiorem.

54 Itaque ea cognitio petit, quod hoc complexum, *Petrus reuera currit*, ſit id, quod repræſentatur per illam, independenter ab eo, quod de facto detur, vel non detur talis curſus Petri in rerum natura: quia, cum intellectus per aliquam cognitionem poſsit illud repræſentare independenter ab eo, quod de facto ſit, vel non ſit in rerum natura, neceſſarium eſt, quod ipſum independenter à ſuâ exiſtentiâ actuali in rerum natura, poſsit terminare talem repræſentationem, ſeu eſſe id, quod repræſentatur per illam: ex hoc autem non ſequitur, quod cognitio exigat ſe ipſam, ſeu ordinetur ad ſe ipſam, vt ex ſe patet; ſed ſolum, quod ordinetur ad obiectum, vt eſt id, quod repræſentatur per illam.

55 Obijcies 2. actus ille per ſuam eſſentiam vel aſsimilatur obiecto, vel non aſsimilatur. Si aſſimilatur, erit verus per ſuam eſſentiam: ſi non aſsimilatur, erit falſus per ſuam eſſentiam: ergo veritas, vel falſitas eſt eſſentialis illi actui. Reſpondeo, actum illum neque per ſuam eſſentiam habere, quod ſit ſimilis obiecto, vt eſt in ſe; neque quod ſit diſsimilis, ſeu non ſimilis; ſed ſolum eſſe fundamentum, quod, ſi accedat exiſtentia obiecti, conſtituitur ſimile, & conforme formaliter ipſi obiecto. Si verò non accedat exiſtentia obiecti conſtituitur diſsimile, & difforme ipſi obiecto.

56 Dico 2. veritas actus, qui ex natura ſua vel nititur motiuo formali, vel habet principium aliquod efficiens, ſeu quaſi efficiens, quibus omnino repugnat concurrere ad actum falſum, non diſtinguitur realiter ab ipſo actu; ſed eſt illi eſſentialis: v. g. actus ſupernaturalis, quo propter teſtimonium Dei non potentis teſtificari falſum credo, Chriſtum Dominum mortuum fuiſſe, eſt verus formaliter per ſolam ſuam entitatem, & eſſentiam; & idem eſt tum de actu, quo Deus ſe, vel alia cognoſcit (quia talis actus quaſi oritur ab eſſentia Diuina, cui ex ſe repugnat actus falſus) tum etiã de omni actu metaphyſice certo, ſeu euidente. Pro hac concluſione eſt P. Hurt. ſupra, & nonnulli recentiores.

57 Probatur: quia veritas conſiſtit in eo, quod actus repræſentet obiectum, vt eſt in ſe à parte rei: ergo, ſi actus per ſuam eſſentiam repræſentet obiectum, vt eſt in ſe à parte rei, per ſuam eſſentiam erit verus: ſed actus ſupernaturalis Fidei Diuinæ, v. g. per ſuam eſſentiam repræſentat obie-

obiectum, vt eſt in ſe à parte rei; ergo per ſuam eſſentiam erit verus. Minorem probo: actus ſupernaturalis Fidei Diuinæ eſſentialiter nititur Diuinâ reuelatione vere exiſtente, tanquam motiuo formali aſſentiẽdi obiecto reuelato: ergo ratione ſuæ eſſentiæ repugnat illi non repræſentare obiectũ, vt eſt in ſe à parte rei. Patet conſequentia: quia Deus non poteſt reuelare rem, niſi, vt eſt in ſe à parte rei: ergo, ſi actus Fidei Diuinæ eſſentialiter aſſentitur obiecto propter Diuinã reuelationẽ vere exiſtẽtem, neceſſarium erit, quod eſſentialiter illud repræſentet, vt eſt in ſe à parte rei.

58 Dices: actus ſupernaturalis Fidei Diuinæ eſt verus præſcindendo à connexione, quam habet cum Diuina reuelatione: ergo nõ eſt verus per ſuam eſſentiam. Cõſequentia patet: quia, ſi eſſentialiter eſſet verus, maximè, quia eſſentialiter nititur, ſeu connexus eſt cum Diuina reuelatione: atque adeo, ſi ſemel conceditur eſſe verum præſcindendo à tali connexione, non erit eſſentialiter verus. Antecedens autem probatur: quia, eo ipſo quod ex vna parte intelligatur talem actum repræſentare obiectum reuelatum, & ex alia obiectum exiſtere à parte rei eo modo, quo per actum repræſentatur, præciſo quocunque reſpectu ad Diuinam reuelationẽ, intelligetur eſſe conformem obiecto: ergo & eſſe verum: quia veritas conſiſtit in conformitate actus cum obiecto: ergo actus ſupernaturalis Fidei Diuinæ eſt verus independenter à connexione, quã habet cũ Diuina reuelatione.

59 Pro reſponſione noto 1. id, quod docui diſp. 14. ſect. 5. nempe actum fidei non ſolum attingere immediatè obiectum reuelatum, ſeu teſtificatum; ſed etiam ipſam reuelationem, ſeu teſtimonium, propter quod aſſentitur obiecto reuelato. Noto 2. ad hoc, vt actus fidei ſit verus, non ſufficere, quod obiectum, quod exiſtimatur reuelatum, exiſtat eo modo, quo repræſentatur per talem actum; ſed eſſe etiam neceſſarium, quod reuera detur reuelatio illius: quia, cum actus fidei aſſentiatur obiecto non propter illud; ſed propter teſtimonium dicentis, non cõformabitur ſuo obiecto adæquato, ſi non detur tale teſtimonium.

60 Ex his infero, ad hoc, vt intelligatur, actum fidei eſſe verum, non ſufficere, quod, cognitã exiſtentiâ obiecti crediti, concipiatur ipſe vt repræſentatio illius: quia ratio repræſentationis obiecti crediti poteſt contrahi & per differentiam reſpicientẽ teſtimonium, ſeu reuelationẽ reuerà exiſtentem; & per differentiam reſpicientem reuelationem, ſeu teſtimonium non exiſtens. Si per priorem differentiam cõtrahatur, erit actus fidei verus; falſus verò, ſi per poſteriorẽ: ergo coexiſtentia obiecti crediti, & actus fidei præciſe vt repræſentantis tale obiectum non conſtituit adæquate veritatem talis actus.

61 Hinc

61 Hinc facile reſpondeo ad obiectionem. Nego antecedens. Ad probationem diſtinguo antecedens: intelligetur eſſe conformem obiecto inadæquato, concedo: obiecto adæquato, nego antecedens. Et deinde nego conſequentiam: quia ad veritatem actus eſt neceſſaria conformatio cum ſuo obiecto adæquato, quia bonum ex integra cauſa. Hinc fit, actum ſupernaturalē Fidei Diuinæ non eſſe verum independenter à connexione, quam habet cum Diuina reuelatione. Vnde, cum talis actus ratione prædictæ connexionis ſit conformis obiecto per ſuam eſſentiam, vt probatum eſt num. 57. neceſſarium eſt, quod ſit etiam formaliter verus per ſuam eſſentiam, & non per coexiſtentiam extrinſecam obiecti.

62 Inſtabis: non poteſt eſſe verus formaliter prædictus actus, quin exiſtat obiectum: ergo exiſtentia obiecti requiritur ad illius veritatem. Diſtinguo cōſequens: requiritur ad illius veritatem tanquam terminus extrinſecus, cui conformatur actus, concedo: tanquam forma inadæquata complens actum in ratione veri, nego conſequentiam: quia, cum ipſe actus per ſuam eſſentiam ſit formaliter conformis obiecto, per ſuam eſſentiam eſt formaliter verus: & ideo non indiget obiecto vt parte integrante veritatem; ſed vt mero termino, cui adæquetur.

63 Ex his colligo 1. actum naturalem fidei nitentem teſtimonio Dei reuelantis obiectum creditum per illum non eſſe verum formaliter per ſuam eſſentiam; ſed veritatem eius compleri per exiſtentiam obiecti reuelati, & Diuini teſtimonij. Ratio eſt: quia, vt diximus diſp. 12. num. 62. talis actus non eſt connexus ex natura ſua cū Diuino teſtimonio reuera exiſtente; ſed ſolum cum illo vere, vel apparenter exiſtente: ergo poteſt dari talis actus, quin teſtimonium Diuinum reuera exiſtat. Ex quo infertur, poſſe talem actum eſſe falſum ex duplici capite. Primò, quia, ſi non detur reuera diuinum teſtimoniū, non erit conformis ſuo obiecto adæquato, quandoquidem ipſe affirmat rem eſſe, quia Deus reuelauit, quum nulla datur reuelatio. Secundò, quia, cum Diuinum teſtimonium ſolum apparenter exiſtens non inferat exiſtentiam obiecti crediti, poterit dari talis actus, quin obiectum creditum exiſtat: atque adeo tunc & iam erit falſus ex defectu conformitatis cum obiecto materiali: ergo veritas huius actus non conſiſtit in ſola entitate illius: ergo completur per exiſtentiam obiecti crediti, & Diuini teſtimonij.

64 Colligo 2. actum repræſentantem obiectum materiale neceſſarium, ſi illi aſſentiatur ex motiuo formali fallibili, & oriatur ex principio actiuo potente ex ſe concurrere ad actum falſum, non eſſe verum formaliter per ſuā

entitatē; ſed per illam ſimul cum exiſtentia obiecti tam materialis, quam formalis. Vt, quando quis credit, Deum exiſtere, quia Petrus dicit, veritas huius actus non conſiſtit in ſola entitatate illius; ſed coaleſcit ex entitate actus, & exiſtentia obiecti formalis. Ratio eſt: quia talis actus, quatenus ex ſe eſt, poteſt dari, quin exiſtat teſtimonium Petri, vt conſtat ex dictis num. 52. In quo caſu deficeret illi veritas formalis ex defectu exiſtentiæ teſtimonij Petri: ergo exiſtentia huius teſtimonij pertinet ad veritatem formalem illius actus. Ex dictis facile intelligitur, quid dicendum ſit circa alios actus.

65 Colligo 4. actum affirmantem obiectum omnino impoſſibile (vt eſt is, quo affirmo *homo eſt equus*) non eſſe falſum adæquate per ſuam entitatem, & eſſentiam; ſed compleri falſitatem eius per ipſum obiectum. Ratio eſt: quia, licet iſte actus ex ſua eſſentia ſit affirmatio obiecti omnino repugnantis; nihilominus nullum habet prædicatum eſſentialiter exigens non conformari obiecto, ac perconſequens eius diſformitas complebitur per ipſum obiectum.

SECTIO VI.

An eadem cognitio poſſit tranſire de falſa in veram; vel e contra de vera in falſam?

66 Diximus num. 49. cognitionem obiecti contingētis (quæ neque habet abiectum formale, neque principium, ſeu quaſi principium efficiens, quibus ex natura ſua repugnet concurrere ad actum falſum) eſſe veram, ſeu falſam partim per ſuam entitatem, partim per exiſtentiam, ſeu non exiſtentiam obiecti repræſentati per illam. Nunc autem inquirimus: an, ſi deficiente obiecto, perſeueret cognitio, quæ, eo exiſtente, erat vera, quia affirmabat eius exiſtentiam, conſtituatur falſa per deficientiam obiecti? v. g. ſedente Petro, affirmaui *Petrum ſedere*; poſtea, eo ſurgente, perſeuerat in meo intellectu eadem affirmatio, numquid ea cognitio, pereunte veritate, qua antea pollebat, induit denuo falſitatem? Et ratio dubitandi eſt: quia ſicut veritas cognitionis affirmantis exiſtere obiectum contingens, completur per exiſtentiam ipſius obiecti; ita etiam falſitas eiuſdem cognitionis integratur per non exiſtentiam eiuſdem obiecti: ſed in caſu poſito, perſeuerante affirmatione ſeſsionis Petri, tranſit Petrus de ſedente in non ſedentem: ergo & ipſa affirmatio tranſit de vera in falſam.

67 Propter hanc rationem P. Suar. in Meta. diſput. 8. ſect. 2. num. 19. docet, actus, de quibus loquimur in præſenti, tranſire de veritate in falſitatem, & è contrà: cui conſentiunt nonnulli recentiores, quibus fauet Ariſt. in Log. cap. de Subſt. vbi ait: *in oratione vero, atque opinione non ita ſit; ſed ipſa*

ipſæ quidem immobiles pœnitus manent: ſi res autem moueatur, ibi tunc euadunt circa ea contraria, oratio autem eadem manet, quem piam, inquam, ſedere: re autem mota interdum vera, interdum falſa fit. Eadem circa opinionem etiam fiunt: ergo ſenſit Ariſt. eandem orationem, & opinionem (hoc eſt cognitionem probabilem) tranſire de vera in falſam, variato obiecto. Idem docet S. Thom. 1. p. q. 14. art. 15. ad. 3. & q. 16. art. 8. in corpore, & ad 3.

68 Contraria ſententia mihi magis arridet cum P. Hurt. hic diſp. 9. ſect. 4. & P. Arria. in Log. diſp. 14. ſect. 2. Dico ergo, cognitionem ſemel veram nō poſſe falſitatem admittere, neque è contrà ſemel falſam, veritatem; etiam ſi obiectum, per quod completur veritas, & falſitas varietur. Probatur: quia cognitio affirmans, *Petrus ſedet*, v. g. vel affirmat ſeſſionem de Petro ſecūdum ſe ſumpto, præſcindendo à tempore; vel de Petro reſpectu alicuius temporis, v. gr. reſpectu huius inſtantis A. Si primum: erit ſemper falſa ea cognitio: quia Petro ſecundum ſe ſumpto non conuenit actu habere ſeſſionem; alioqui ſemper ſederet. Si dicatur ſecundum: erit vera cognitio, ſedente Petro in illo inſtanti: deinde, ſi ea cognitio perſeueret tempore ſequenti, in quo Petrus ſurgat, non poteſt fieri falſa; quia ad hoc, vt ea cognitio fiat falſa, eſt neceſſarium, quod Petrus non ſedeat eo tempore, in quo ſedere affirmatur; ſed hic, & nunc non poteſt Petrus nō ſedere in inſtanti, pro quo ſedere affirmatur: ergo, ſi ſemel fuit ea cognitio vera, non poteſt eſſe falſa poſtea. Maior eſt certa: quia, cum cognitio non affirmet ſeſſionem de Petro, niſi relate ad tale inſtans, veritas, & falſitas eius nō eſt menſuranda per ſeſſionem Petri, niſi relate ad tale inſtans. Minor probatur: quia eadem res non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe in eodem omnino inſtanti reali: ſed, vt in præſenti ſupponimus, Petrus ſedet in inſtanti A: ergo cognitio ſemel repræſentans Petrum ſedere in inſtanti A, in quo ſedebat, non poteſt poſtea eſſe falſa, etiam ſi Petrus poſtea ſurgat.

69 Confirmatur: quia cognitio hodie affirmans, *cras vrgebit calor*, non eſt falſa hodie ex eo, quod hodie calor non vrgeat; nō ob aliam rationem, niſi, quia ipſa non affirmat eſſe hodie calorem; ſed futurum cras: ergo cognitio affirmans, *Petrus ſedet in inſtanti A*, non erit falſa in inſtanti B, etiā ſi, ea perſeuerante, ſurgat Petrus in ipſo inſtanti B. Cuius ratio ea debet eſſe; quod ipſa non affirmat ſeſſionem in inſtanti B; ſed in inſtanti A.

70 Dices: poteſt dari cognitio, quæ non affirmet ſeſſionem Petri pro inſtanti A determinate; ſed vage pro inſtanti ſibi coexiſtente, & in tali caſu, ſedēte Petro pro primo inſtanti, erit vera talis cognitio; deinde, non ſedente pro inſtanti B, erit falſa, quia non ſedet Petrus in inſtanti

tunc

tunc coexiſtente cognitioni, pro quo hęc affirmat ſeſsionem illius. En, qua ratione vna, & eadem cognitio poſsit tranſire de verâ in falſam. Sed contra: vel ea propoſitio eſt vniuerſalis cōprehendens diſtributiue omnia inſtantia ſibi coexiſtētia; vel ſolum particularis, ſeu (quod idem eſt in præſenti) indefinita comprehendens omnia ea inſtantia ſibi coexiſtentia, diſiunctiue.

71 Eſt dicere: vel propoſitio affirmat, Petrum ſedere in omni inſtanti ſibi coexiſtente; vel ſolum affirmat, ſedere in aliquo ex inſtantibus ſibi coexiſtentibus. Si dicatur primum: ab initio erit falſa, ſi Petrus ſurgat in inſtanti B ipſi coexiſtente poſtea: quia propoſitio vniuerſalis, vt ſit vera, debet verificari de omnibus ſingularibus, quæ comprehendit: ergo, cum ea propoſitio non verificetur de omnibus inſtantibus illi coexiſtentibus, nunquam erit vera, ac per conſequens nunquam tranſibit de vera in falſam. Si dicatur ſecundum: ex ſuppoſitione, quod ſederit Petrus in primo inſtanti, erit vera propoſitio adhuc in reliquis inſtantibus? etiamſi pro illis non ſedeat ipſe Petrus; quia propoſitio particularis eſt vera, quando verificatur in vno ex ſingularibus ſignificatis per illam. Sic currente vno homine, vere dicitur, *aliquis homo currit*, etiamſi reliqui non currant. Sed in caſu poſito verificatur de Petro, quod ſedeat in primo inſtanti: ergo propoſitio affirmans ſedere in aliquo ex inſtantibus ſibi coexiſtentibus erit ſemper vera, etiamſi in reliquis præter primum non ſedeat.

72 Inſtabis: hæc propoſitio, *omnes homines, qui ſunt in foro currunt*, ſi hi tres ſint in foro, determinate ſignificat eos currere; ſi vero hi tres non ſint; ſed loco illorum alij tres, determinate ſignificat eos currere: ergo ſimiliter poteſt dari propoſitio affirmans, *Petrus ſedet in inſtanti præſenti*, quæ, ſi inſtans A ſit præſens, determinate ſignificet, Petrum ſedere in illo, ſi vero poſt illud ſuccedat inſtans B determinate ſignificet Petrum ſedere in inſtanti B: ergo poteſt dari cognitio, quæ tranſeat de vera in falſam, quia ſedente Petro in primo inſtanti, eſſet vera, & ſurgente in ſecundo, eſſet falſa. Aduerte in propoſitionibus, ſeu cognitionibus indefinitis, ſeu particularibus eſſe duo diſtinguenda, ſignificationem, ſcilicet, aut repræſentationem, & verificationem; inter quas eſt hoc diſcrimen, quod *ſignificatio*, ſeu *repræſentatio*, cum ſit de eſſentia propoſitionis, non poteſt, propoſitione inuariata, variari: ſecus *verificatio*, quæ completur per aliquid extrinſecum.

73 Ex. gr. propoſitio affirmans, *aliquis homo currit*, ſignificat diſiunctiue omnia ſingularia hominis, & ideo quandiu fuerit eadem, ſignificabit eodem modo. Attamen, vt verificetur, neceſſarium non eſt, quod omnes

Digitized by Google

nos currant; ſed ſufficit, quod vnus ex illis, quicunque ſit, currat. Vnde ſi currat Petrus, verificatur in Petro; ſi vero Ioannes verificatur in Ioanne, & ſic de reliquis: quia veritas eius completur per exiſtentiam obiecti ſignificati, & cum ipſa non magis ſignificet hoc ſingulare, quam illud; ſed vtrunque diſiunctiue; ideſt, hoc, vel illud currere, completur veritas eius per exiſtentiam curſus Petri, quando currit Petrus, & per exiſtentiam curſus Ioannis, quando currit Ioannes: & ita ſeruata ſemper ſignificatione poteſt variari veritas quoad complementum extrinſecum.

74 Idem contingit in ea propoſitione, *omnes homines, qui ſunt in foro currunt*: quæ quidem licet ſupponat eſſe aliquos homines in foro, & affirmet eos currere; non tamẽ ſignificat determinate hos homines, aut illos; ſed diſiunctiue hos, aut illos eſſe in foro; atque adeo ſic reſoluenda eſt prædicta propoſitio: *vel omnes hi homines, vel omnes hi, vel omnes hi, qui ſunt in foro, currunt*. Vnde ſiue exiſtant hi, ſiue illi verificabitur propoſitio; ita tamen, vt, ſi affirmet homines currere pro hac tantùm duratione, ſolum ſit vera reſpectu eorum qui ſunt in foro currentes pro illa duratione: ſi vero affirmet curſum pro vna hora vel vno die erit vera reſpectu eorum, qui in ſingulis durationibus illius horæ currant; atque adeo, cum pro ſingulis durationibus poſſint eſſe diuerſi currentes, inuariata ſemper ſignificatione, variabitur verificatio in ſingulis durationibus pro diuerſitate eorum, qui in ſingulis durationibus currunt. Ex his inſtauro argumentum adductum num. 71. ad probandum eam propoſitionẽ, *Petrus ſedet in inſtanti præſenti*, non poſſe tranſire de vera in falſam: illud repete. Vnde ſit, quod ſignificatio illius propoſitionis eſt ſemper eadem, verificatio vero poteſt variari. Quia ſi Petrus ſedeat in primo inſtanti erit vera ratione ſeſsionis exiſtentis in primo inſtanti, & ſi ſedeat in ſecundo, ratione ſeſsionis in ſecundo, &c. ſi tamen ſemel ſit vera nunquam tranſibit in falſam; neque in veram ſi ſemel ſit falſa.

75 Obijcies 1. hæc propoſitio; *Petrus ſedet in inſtanti A*, non ſolũ affirmat Petrum ſedere in inſtãti A; ſed etiã ipſum inſtans A coexiſtere ipſi propoſitioni: quod quidem totum eſt verum in inſtanti A, in quo primo profertur propoſitio; non vero in inſtanti B, in quo non coexiſtit propoſitioni inſtans A: & propterea trãſit ea propoſitio de vera in falſã. Diſtinguo antecedens: hæc propoſitio, *Petrus ſedet &c.* ſed etiam ipſum inſtans A. coexiſtere ipſi propoſitioni pro ea duratione, ſeu menſura, quam conſtituit ipſum inſtans A. concedo: pro omni menſura, nego antecedens. Vnde nunquam, ea propoſitio tranſit de vera in falſam: quia ſemper eſt verum, quod Petrus ſedet in in-

ſtan-

ſtanti A pro ea menſura, quam ipſemet conſtituit: ſi tūc ſedet: ſi vero tunc non ſedet, ſemper eſt falſa.

76 Obijcies 2. ſi propoſitio affirmet, *Petrus ſedebit in inſtanti D.* & duret vſque dum illud inſtans (in quo reuera ſedeat) prætereat, vel præſens ſit, iam fiet falſa (cum antea eſſet vera) quia affirmat *ſedebit*: &, *non ſedebit*; ſed *ſedit*, vel *ſedet* actu: ergo poteſt vna propoſitio de vera tranſire in falſam. Reſpondeo, dupliciter poſſe eſſe de futuro eam propoſitionē; Primo, ſi intellectus affirmet ſeſſionem Petri in inſtanti D reuera futuro, quin illud exprimat vt futurum: ſecundo, ſi illud exprimat vt futurum. Si primo modo fiat, talis actus intellectus erit propoſitio de futuro per ſolam denominationem extrinſecam: quia, ſicut ipſum inſtans D antequam adueniat, dicitur futurum per negationem ſuæ exiſtentiæ exiſtentem ante ipſam exiſtentiam; dum vero aduenit, dicitur præſens per ſuã exiſtentiam defacto tunc extrinſeco tempori coexiſtentem; denique præteritum per negationem ſubſecutam ad ipſius exiſtentiam: ita etiam cognitio affirmans ſeſsionem Petri pro inſtanti D præſcindendo ab eo, quod id ſit præſens, præteritum, & futurum, dicetur de futuro ante aduentum talis inſtantis; de præſenti vero, dum ipſi coexiſtit; & de præterito, poſt illius exiſtentiam. Quod quidem nihil eſt intrinſecum in ipſa cognitione; ſed ſolum denominatio extrinſeca proueniēs ab eo, quod tale inſtans vel non dum aduenerit, vel defacto ſit, vel negatio eius ſucceſſerit poſt ipſius exiſtentiã. Vnde eadem cognitio intrinſece inuariata, erit vera pro quocunque tempore: & in vno dicetur de futuro; in alio de præſenti; & in alio de præterito, per ſolam extrinſecam temporum variationē.

77 Si ſecundo modo contingat propoſitio de futuro; ea quidem non affirmat, eſſe futurã ſeſſionem Petri reſpectu cuiuſcunque temporis (alioqui ab initio eſſet falſa talis affirmatio cū aliquod tempus detur, reſpectu cuius non ſit futura ſeſsio Petri) ſed relatę ad illud inſtans, in quo primo profertur propoſitio, ita vt ſenſus ſit, *Petrus ſedebit in inſtanti D, quod reſpectu inſtantis A antecedentis eſt futurum.* In hoc autem caſu ſemper erit vera ea propoſitio, adhuc adueniēte, ſeu trãſacto inſtanti D quia, quandocūque comparentur inter ſe inſtans A, & inſtans D, ſemper hoc vltimum ſe habet vt poſterius reſpectu illius prioris: ergo ſemper ſe habet vt futurum reſpectu illius: ergo, quandocunque affirmatur, eſſe futurum, reſpectu illius erit vera talis propoſitio: nõ ergo trãſit de vera in falſam adueniente inſtanti D, ſed potius permanet vera, adhuc eo tranſacto.

78 Obijcies 3. Hæc propoſitio, *Petrus ſedet in inſtanti A.* v. gr. contingenter eſt vera, aut falſa: ergo ex ſe poterit veritatem, aut falſitatem admittere: ergo & poteſt vnam ex illis admiſſam: re-

rum

Digitized by Google

rum deperdere. Diſtinguo antecedens: contingenter eſt vera, aut falſa, antequam ſupponatur exiſtentia, aut non exiſtentia ſeſsionis in inſtanti A, concedo: ſuppoſitâ exiſtentiâ, aut non exiſtentiâ ſeſsionis in illo inſtanti, nego antecedens. Et eodem modo diſtinguendum eſt primum cõſequens: ac deinde neganda vltima conſequentia. Itaque ea propoſitio, quando profertur, eſt contingenter vera, aut falſa, quatenus eſt ex ſe; quia affirmat obiectum, quod, cum dependeat à voluntate libera Petri, poteſt eſſe, & non eſſe. Cæterum ex ſuppoſitione, quod ſemel exiſtat tale obiectum in eo inſtanti, non poteſt eſſe in eo ipſo inſtanti (cum in vna, & eadem duratione nõ poſsit eadem res eſſe, & non eſſe) ac perconſequens propoſitio ſemel verificata circa ſeſſionem Petri in illo inſtanti, non poteſt amittere veritatem; neque enim poteſt eam amittere, quin ſeſsio deſinat eſſe in illo eodem inſtanti, vt conſtat. Ex dictis ſoluitur ratio dubitandi adducta initio ſeſsionis.

79 Ad Ariſtotelem adductum num 67. pro ſententia oppoſita reſpondeo, mentem Ariſt. non eſſe, quod eadem oratio, admiſſâ ſemel veritate tranſeat ad falſitatem (id enim, vt probauimus, eſt impoſsibile) ſed ſolum, quod eadem oratio intrinſece inuariata poteſt eſſe vera, ſi obiectum exiſtat, quando profertur; falſa vero, ſi non exiſtat. Vnde quando dicit, *motu obiecto orationem interdum veram fieri, interdum falſam*, non loquitur de motu contingente in obiecto poſitâ iam oratione; ſed de motu contingente ante ipſam orationem. Si enim Petrus ante orationem affirmantem eſſe album, admiſerit albedinem, & eandem conſeruauerit vſque ad prolationem orationis, hæc erit vera: &, eadem omnino oratio inuariata intrinſece erit falſa, ſi ante eius prolationem Petrus albedinem amiſerit.

80 Aliter explicandus eſt S. Thom. ibidem adductus ex 1. p. q. 14. art. 15. ad 3. vbi aſſerit, noſtram cognitionem variari ſecundum veritatem, & falſitatẽ, ſi, mutata re, eandem opinionem de illa retineamus. Vt, ſi forte, ſurgente eo, qui anteà dicebatur ſedere, perſeueret eadem affirmatio de ſeſsione illius, tranſibit talis affirmatio de veritate in falſitatem. Explicari enim poteſt in hoc loco ita, vt velit, non quod illa ipſa cognitio, quæ erat vera, perſeuerans eadem numero trãſeat in falſam; ſed ſolum, quod alia numero diuerſa, quæ eandem ſeſsionem Sortis affirmet, eo ſurgente, ſit falſa: quia, licet iſta affirmet eandem ſeſsionem, quam prior affirmabat, refert tamen illã ad diuerſum tempus, in quo reuera iam non datur.

81 Hanc explicationem colligo ex ipſo Ang. Doctore 1. p. q. 16. art. 8. vbi docet, conformitatem intellectus, & obiecti (in qua docet conſiſtere veritatem) poſſe dupliciter variari. Primo, ſi, manen-

nente eodem obiecto, opinio mutetur; vt, quũ quis dixit *Sortes ſedet*, ſi adhuc eo ipſo ſedẽte, dicat, *Sortes non ſedet*, opinionem mutat de vera in falſam; non alia de cauſa, niſi quia pro actu affirmatiuo vero ſubrogatur negatiuus falſus. Secundo docet, variari poſſe veritatem, ſi, obiecto mutato, non varietur opinio, vt ſi, Sorte ſurgente, adhuc quis dicat, *Sortes ſedet*. Quod autem hæc variatio non ſit facienda in eodem numero actu, non obſcure indicat verbis, quæ ſubiungit: *Veritas autem noſtri intellectus mutabilis eſt, non quod ipſa ſit ſubiectum mutationis* (ideſt non quod ipſe actus mutetur de vero in falſum) *ſed in quantum intellectus noſter mutatur de veritate in falſitatem: ſic enim formæ mutabiles dici poſſunt*: atqui intellectus noſter non poteſt mutari mutatione non conueniente immediate actui, niſi per receptionem noui actus falſi, qui loco anterioris veri ſubrogetur: ergo de hoc genere mutationis loquitur Doctor Ang.

82 Et quidem non incongrue dicit, tunc non mutari opinionem circa ſeſſionem Petri: quia, quando quis affirmat de ſubiecto idem prædicatum, ac alter; eandem cum illo opinionem habere dicitur, etiam ſi diuerſo actu illud affirmet; imo, & ſi pro diuerſo tempore eandem formam affirmet: neque enim ſi heri relate ad tempus externum dixi, *Sortes eſt albus*; & hodie diuerſo actu idem affirmem relate ad tempus hodiernum, cenſeor mutare opinionem; ſed in eadem perſeuerare.

83 Rogas: An vna, & eadem propoſitio vocalis, ſeu ſcripta mutari poſſit de vera in falſam, vel è contra? Reſpondeo negatiue; quia, cum voces, & ſcripta ſubſtituantur pro conceptibus mentalibus ex inſtitutione hominum, vt ſignificent obiecta concepta per iſtos, ad idem tempus referri debent, ad quod referuntur conceptus, pro quibus ſubſtituũtur. Cuius non leue indicium eſt, quod, ſi ex circunſtantijs nobis non conſtet, ad quod nam tempus relata fuerint à proferente, non dijudicamus circa illorum veritatem vſque dũ, aliunde nobis innoteſcat.

SECTIO VII.

De Veritate propoſitionum de futuro.

84 FVturum comparatione huius inſtãtis dicitur, quod, cum modo non ſit in rerum natura, erit tamẽ poſtea. Neq; ad hoc, vt nunc vere dicatur futurum, eſt neceſſarium, quod nunc detur aliquod eſſe reale in rerum natura, in quo conſiſtat futuritio; quia ex eo præciſe, quod res poſtea habitura exiſtentiã, non ſit modo, vere modo dicitur futura: ergo impertinẽter, & ſine vllo fundamento quidquam aliud requiritur ad rationẽ formalem futuri. Itaque futurum formaliter vt tale dicit in recto exi-

exiſtentiam in tempore ſequente, & in obliquo negationem exiſtentiæ in tempore antecedēte, in quo affirmari ſolet eſſe futurum. Quādo autē dicitur, *res eſt futura*, per τὸ, *eſt*, nihil ſignificatur eſſe de præſenti, quia apud grammaticos, *res eſt futura*, nihil aliud ſignificat, quam *res erit*; per hæc autē verba nullum eſſe de præſenti ſignificatur, vt conſtat: ergo neque per illa. Vnde Aug. lib. 11. Conf. cap. 15. & 18. ſatis oportune dixit, impropriè dici, *res eſt futura*: *res eſt præterita*; nā *præteritum* iam non eſt: *futurum* vero nō dum acceſſit. Addit tamen hanc locutionem tolerādam eſſe, quia, licet ſit impropria, nobis eſt familiarior & corrigitur propriâ intelligētiâ: quandoquidem, *futurum eſt*, idem apud omnes ſignificat, quod *erit*; &, *eſt præteritum*, idē, quod *fuit*. Hæc Aug.

85 Sed obijcies: res in ſua tēporis differētia nō eſt futura; ſed præſens: ergo ante illud inſtans eſt futura: ergo ante illud inſtās datur futuritio illius. Diſtinguo antecedens: res in ſua temporis differentia non eſt futura comparatione illius inſtantis, cui coexiſtit, concedo: comparatione inſtātium antecedentium, nego antecedens. Eſt dicere in ipſo inſtanti, in quo res primo exiſtit, nō poteſt res dici eſſe futura pro illo eodem inſtanti: in inſtantibus vero antecedentibus dicitur res eſſe futura pro illo inſtanti ſequente, quia in illo habebit exiſtentiam. Deinde diſtinguo primum conſequens: ante illud inſtans eſt futura pro tempore præcedente illud inſtans, nego: pro illo inſtanti, concedo conſequentiam. Et nego vltimam conſequentiam, ſi loquatur de futuritione, quæ ante illud inſtans ſit aliquid poſitiuum: quia ad hoc, vt res in hoc tempore futura, ſit pro ſequente inſtanti, nihil aliud requiritur, niſi, quod modo non ſit, & quod poſtea habeat exiſtentiam.

86 Futurum, aliud dicitur neceſſarium, aliud contingens. Neceſſarium eſt, quod ita exiſtit, vt non poſſit non exiſtere ex vi ſuarum cauſarum ſaltem naturaliter loquendo; vt, ortus Solis craſtina die. Contingens eſt, quod reuera exiſtet; ita tamen, vt poſitis omnibus requiſitis ex parte cauſæ, & omnibus ablatis impedimentis, poſſet non exiſtere: vt, peccatum Petri, quod reuera erit cras; ita tamen, vt Petrus tunc poſſet pro ſuo libito non peccare: propterea futurum contingens eſt idem, ac futurum liberum. Rurſus futurum liberum, ſeu contingens, aliud eſt abſolutum, aliud conditionatum. Abſolutum eſt, quod abſolute exiſtet à parte rei dependenter à voluntate libera: vt, peccatum Petri, quod reuera fiet cras libere ab ipſo Petro. Conditionatum eſt, quod, licet forte non ſit ponendum abſolute per voluntatem, foret tamen, ſi poneretur talis conditio: v. gr. licet ego reuera non ſaturus ſim craſtina die li-

librum Petro, darem tamen libere, ſi amicus à me peteret. Eodem modo poteſt diuidi futurum neceſſarium. Aliud enim eſt abſolutum: aliud conditionatum. Abſolutum dicitur, quod reuera erit neceſſario à ſuis cauſis neceſſarijs; vt, ortus Solis de craſtino. Cõditionatum, quod neceſſario eſſet, ſi poneretur talis conditio; vt, motus Petri neceſſario foret cras, ſi ipſe curreret.

87 Quod attinet ad propoſitionem de futuro neceſſario tam abſoluto, quam conditionato; certum eſt apud omnes, eſſe determinate veras, aut determinate falſas. Nunc enim verum eſt dicere, *Sol cras orietur*; & falſum, id negare. Ratio eſt: quia ortus Solis determinate erit craſtina Dei abſq; indifferentia ad non exiſtendum: ergo propoſitio determinate affirmans fore, conformabitur determinate cum illo: ergo erit vera. Difficultas vero eſt circa propoſitiones de futuro contingente, ſeu libero tam abſoluto, quam cõditionato: An ſcilicet, quando proferuntur, determinatam habeant veritatem.

88 Ariſt. lib. 1. de Interp. cap. 8. cum docuiſſet contradictionum omnium vniuerſalium neceſſario fore alteram partem veram, & alteram falſam, quod idem docuit de contradictorijs ſingularium, quæ præterita ſunt, vel præſentia; addidit, in contradictionibus ſingularibus de futuro contingente non eſſe alteram partem determinate, & diſtincte veram; & alterã determinate falſam; ſed quamlibet ex illis eſſe veram, aut falſam diſiunctim, ita vt de nulla ex illis determinate affirmari poſsit, *eſt vera: eſt falſa*; ſed de qualibet ex illis dicendum ſit: *eſt vera, vel falſa* diſiunctim. Non defuere, qui in bonum ſenſum conati ſint Ariſt. interpretari, ne videretur erraſſe in philoſophia: &, cõtra bonã Theologiam Deo ſcientiam denegaſſet futurorum. Sed P. Vaz. 1. p. diſp. 66. cap. 1. & PP. Connimb. lib. 1 de Interp. cap. 8. q. vnica optimis rationibus probant, mentem Ariſt. abſque dubio fuiſſe eã, quam propoſuimus: & in eo ſenſu ſecuti ſunt Ariſt. Cather. in Opuſc. de Verit. Enunt. Aureol. in 1. diſp. 39. q. 1. art. 1. concl. 1. & art. 3. concl. 2. & fauet Caietan. 1. p. q. 14. art. 13. Imo nonnulli ex authoribus noſtræ Societatis licet concedant, Deum per ſuam comprehenſionem vere noſcere futura; dicunt tamen hæc non habere ex natura rei determinatam veritatem, aut falſitatem. Qui quidem intelligendi ſunt quãtum ad nos, hoc eſt, ita vt velint non poſſe à nobis determinate cognoſci vt veras, vel determinate vt falſas. Si enim aſſererent, non habere in ſe ipſis determinatã veritatem, aut determinatã falſitatẽ, nullatenus concederent Deo cognitionem illorum determinate veram. Hi ſunt P. Molin. 1. p. q. 14. art. 13. diſput. 17. §. *Verum tamen contingentia* P. Fonſ 4. Meta. cap. 7. initio. Bellarm. tomo 3. de Gratia cap. 55. P. Perei. in Danielem

niele[m] ad illa verba: *Reſpōderūt Chaldæi.*

89. Probatur hæc ſententia: & primum eſto Ariſtotelis argumentum: quia, ſi modo eſt verum, *Petrus peccabit cras*, neceſſarium erit peccatum Petri craſtinâ die: hoc non eſt concedendum: ergo neque illud. Maior probatur: quia, ſi hodie eſt vera ea propoſitio, fuit vera heri, & nudius tertius, & ſic in infinitum; neque enim eſt maior ratio, cur potius heri, vel nudius tertius, quam ante mille annos cœperit eſſe vera; ergo ab æterno eſt vera; ſed ſi ab æterno fuit verum, *Petrum cras peccaturum*, non poterit non eſſe craſtinâ die peccatum Petri; ergo neceſſariô erit tale peccatum; ergo non erit libere. Minor videtur certa: quia, quod ab æterno eſt futurum, non poteſt non eſſe futurum pro eo tempore, pro quo affirmatur ab æterno eſſe futurum: alioqui, ſi poſſet, non eſſe futurum pro eo tempore, demus, quod non peccet Petrus die craſtinâ: ergo propoſitio ab æterno affirmans, *Petrum cras peccaturum*; eſſet vera, vt ſupponimus, & ſimul falſa, quia reuera nō peccabit, quod quidem eſt omnino implicatorium.

90. Secundo: quia, ſi contradictionum de futuro contingente ſingulari vna pars eſt determinate vera, & altera determinate falſa, ponamus, hanc eſſe veram, *Petrus ſe occidet*; ergo determinate erit occiſio Petri, quia, cum propoſitio ſit vera, vel falſa ex eo, quod res eſt, vel non eſt, non poterit ea propoſitio eſſe determinate vera, quin determinate ſit futura occiſio Petri. Ex quo duo ſequentur abſurda. Primum, quod occiſio Petri non eueniet contingenter, quandoquidem contingens, vtpotè quod inuoluit indifferentiam ad eſſe, vel non eſſe, opponitur determinato ad eſſe. Secundum, quod fruſtra datur conſultatio de futuris contingentibus: conſultatio enim ordinatur ad hoc, vt determinate fiat, vel determinate non fiat, quod poteſt fieri, & non fieri; ſeu ad hæc, vt hoc, vel illo modo fiat, quod pluribus modis poteſt fieri: ſed quod determinate eſt futurum tali modo, non eſt indifferens, vt fiat, vel non fiat, ſeu vt hoc, vel illo modo fiat: ergo fruſtra datur conſultatio de futuris contingentibus. Hæc pro ſententia Ariſtotelis.

91. Oppoſita ſententia tenenda eſt, vt communis iam inter ſcholaſticos; vt conformis bonæ philoſophiæ; & vt neceſſaria in Theologia. Dicendum itaque eſt contra Ariſtotelem, in contradictionibus ſingularibus de futuro contingenti tam abſoluto, quam conditionato alteram eſſe determinate veram ab æterno, & alteram determinate falſam. Ita Capr. in 1. diſt. 39. quæſt. 1. art. 2. ad 3. contra 6. concl. Bonau. in 1. diſt. 38. art. 2. quæſt. 1. ad 2. Gabr. quæſt. 1. art. 1. not. 7. Scot.

in 1. diſt. 39. quæſt. 1. §. *Viſo de contingentia*, & §. *Ad argumenta principalia*. Domin. Soto in cap. 9. Epiſt. ad Rom. P. Suar. in opuſc. de Scientia futurorum lib. 1. capit. 2. P. Vazquez 1. part. diſp. 66. cap. 2. P. Hurt. hic diſp. 9. ſect. 6. ſubſ. 2. P. Arriag. in Log. diſp. 14. ſect. 5. ſubſect. 3. & omnes noſtri Doctores vno agmine fatentur, Deum determinate cognouiſſe ab æterno res contingentes tam abſolute, quam conditionate futuras.

92 Dico 1. In contradictionibus ſingularibus de futuro contingente abſoluto altera pars ab æterno eſt determinate vera; & altera determinate falſa. Ita authores citati. Probatur 1. ex principijs Ariſtotelis; qui, vt bene vidit P. Vazq. ſibi eſt aperte contrarius in hac re: nam lib. 1. de Interp. capit. 8. vbi oppoſitam adſtruit ſententiam, docet, contradictionum omnium vniuerſalium alteram partem eſſe determinate veram, & alteram determinate falſam: ergo ex his duabus, *omnis homo curret cras*: *non omnis homo curret cras*, altera eſt determinate vera; altera eſt determinate falſa. Ponamus priorem eſſe determinate falſam; neque enim credi poteſt, omnes homines curſuros craſtina die: ergo vltima erit determinate vera: ſed non poteſt eſſe determinate vera, quin ſit determinate vera aliqua ex ſingularibus, ipſi ſubiectis continentur: ergo ſecundum principia Ariſtotelis datur propoſitio ſingularis de futuro abſoluto determinate vera.

93 Minor probatur: quia, iuxta regulas inter omnes dialecticos ſatis receptas, ad hoc, vt propoſitio particularis ſit vera, eſt neceſſarium, quod aliqua ex ſingularibus ſub illa contentis ſit vera: verbi gratia: ad hoc, vt hæc, quæ eſt particularis; *aliquis homo eſt albus*, ſit vera, eſt neceſſarium, quod vel Petrus ſit albus, vel Ioannes ſit albus, &c. & ideo ex illa deſcenſu disiunctiuo recte deducitur, *ergo vel hic homo eſt albus, vel hic homo eſt albus, &c.* atqui illa propoſitio, quam ex duobus contradictorijs ſupra poſitis deducebamus eſſe veram, nempe *non omnis homo curret cras*, eſt particularis; æquiualet enim iſti, *aliquis homo non curret cras*: ergo neceſſarium eſt, quod aliqua ex ſingularibus ſub illa contentis ſit determinate vera: ergo datur propoſitio ſingularis de futuro contingente determinate vera.

94 Secundò: hæ duæ propoſitiones, *Petrus peccabit cras*; &, *Petrus non peccabit cras*, ſunt contradictoriæ, vt fatetur Ariſtoteles: ergo hæc propoſitio poſterior negat, quod prior affirmat (id enim eſt de lege contradictoriarum ex Ariſtot. in hoc lib. 1. de Interp. cap. 6.) Vel ergo prior affirmat peccatum Petri determinate futurum craſtina die: vel Petrum eſſe ex ſe indifferentem ad peccandum, ſeu non peccandum.

dum. Si primum: ergo poſterior negat peccatum Petri, craſtinâ die determinate futurum: ergo iuxta tua principia hæc eſt determinate vera, & illa determinate falſa. Patet conſequentia: quia per te antequam adueniat dies craſtinus, non poteſt eſſe determinate futurum peccatum Petri, ne cogamur aſſerere, craſtina die neceſſariò euenire tale peccatum: ergo propoſitio affirmans eſſe determinate futurum, eſt determinate falſa: ergo negans eſſe determinate futurum eſt determinate vera. Si dicatur ſecundum: prior propoſitio erit determinate vera, cum affirmet id, quod reuera datur ex parte obiecti; nempè indifferentiam Petri ad peccandum, vel non peccandum; & ſecunda erit determinate falſa, quando quidem negat indifferentiam ad peccandū, quæ reuera datur in Petro: ergo in quocunque ſenſu accipiantur contradictoriæ ſingulares de futuro abſoluto, eſt vna determinate vera, & altera determinate falſa.

95 Tertiò: neceſſarium eſt, quod, adueniente die craſtinâ, vel Petrus libere ſe determinet ad peccandum; vel quòd non ſe determinet: neque enim fieri poteſt, quod neque vnum, neque alterum tunc contingat. Ponamus ergo, quod adueniente die craſtinâ, Petrus libere ſe determinat ad peccandum. Tunc ſic argumentor. Propoſitio hodie affirmans, Petrum peccaturum craſtino adueniente, erit determinate vera: ergo datur propoſitio ſingularis de futuro contingente abſoluto determinate vera. Antecedens probatur: quia adueniente craſtino, erit determinatio libera Petri ad peccandum, vt ſupponimus: ergo propoſitio hodie affirmans talem determinationem libere futuram craſtino die, repræſentat obiectum, vt erit à parte rei; neque enim quidquam aliud affirmat, niſi id, quod de facto erit: ergo conformatur cum ſuo obiecto: ergo eſt determinate vera. Patet conſequentia: quia veritas propoſitionis conſiſtit in conformatione illius cum obiecto: confirmatio autem conſiſtit in eo, quod cognitio repræſentet obiectum, vt eſt in ſe à parte rei: ergo nihil deeſt illi propoſitioni, vt ſit determinate vera.

96 Quarto probatur Theologico argumento: quia Deus per ſe, & per ſuos Prophetas prædixit multa futura contingentia, vt peccatum Antechriſti; trinam negationem Petri; proditionem Iudæ, & alia plura: vel ergo propoſitiones, quibus Deus hæc prænuntiabat erant tunc determinate veræ; vel non. Si dicas hoc vltimum, eſt plane falſum: quia Deum facis capacem erroris, & mendacij; quod pugnat cum vera Fide; imo & cum lumine naturali tribuente

Deo ſummam perfectionem, cui aduerſatur, quæuis indifferentia ad errorem, & mendacium: quin etiam ex hoc ſequeretur, nõ teneri nos certo, & determinate credere reuelationi Dei circa futura contingentia. Quæ omnia procul eſſe debent ab homine ſanæ mentis, nedum à Theologo, & Catholico. Si verò dicatur primum: ergo dantur in Deo propoſitiones ſingulares de futuro contingente determinate veræ: ergo & in nobis. Patet hæc vltima conſequentia: quia ideo illæ propoſitiones à Deo prolatę ſunt determinate veræ, quia affirmant id, quod reuera erit: ſed, ſi ego tunc idem affirmarem pro meo libito, affirmarem quidẽ id, quod reuera erit: ergo mea propoſitio eſſet determinate vera circa futurum contingens: ſi verò illud, quod Deus affirmat, negarem determinate, determinate eſſet falſa talis propoſitio negãs: ergo dari poſſunt in nobis propoſitiones ſingulares de futuro contingente determinate veræ, & determinate falſæ. Hic adducũtur aliquæ ſolutiones à Thomiſtis, quas inſequuntur noſtri Doctores in tractatu de Scientia Dei. Eas in præſenti omitto, quia Theologicæ ſunt. Veniamus ad futura conditionata.

De propoſitionibus de futuro contingente conditionato.

97. DIco 1. propoſitiones ſingulares de futuro contingente conditionato ſunt determinate veræ, vel determinate falſæ. Ita omnes authores noſtræ Societatis. Pro explicatione obſeruo 1. ad rationem futuri conditionati non eſſe neceſſarium, quod de facto ponendum ſit in rerum natura; ſed ſolum quod detur, ſi ponatur aliqua conditio præſcindendo ab eo, quod de facto ponenda, aut non ponenda ſit. Hinc oritur, ad rationem propoſitionis conditionalis (quæ quidem eſt ea, quæ verſatur circa futurum conditionatum) eſſe neceſſariũ, quod res ſignificata ex parte conditionis ſit aliquo modo principium per ſe requiſitum ad poſitionem rei futuræ; neque enim vnquam dicitur conditio ad alterius exiſtentiam id, quod nullatenus per ſe concurrit ad talem exiſtentiam. Vnde hæc propoſitio, *ſi Papa ſedet Romæ, Ioannes currit Matriti*, & aliæ ſimiles, etſi in modo proferendi videantur conditionales, reuera non ſunt: quia id, quod ſignificatur ex parte conditionis, nullum habet concurſum in effectum, qui ſignificatur vt futurus ſub eâ conditione.

98. Obſeruo 2. ad veritatem propoſitionum conditionalium non eſſe neceſſarium, quod conditio ita connectatur cum re futurâ, vt hæc ſequatur ex illa neceſſariò; ſed ſufficere, quod libere in illam influat. Probatur, quia ratio conditionis requiſitæ ad aliquem effectum ſalua-

ſaluatur in hoc, quod illa per ſe concurrat ad iſtum taliter, vt hic ſine illa non ponatur, vt ex communi omnium conceptione conſtat: ſed cauſa libere influens, vel ſe habens ex parte cauſæ libere influentis in effectum, reuerà concurrit per ſe in effectû libere productum: ergo habet rationē conditionis requiſitæ ad talem effectum producendum.

99 Hinc fit, has propoſitiones (præciſe vt cōditionales ſunt) non eſſe illatiuas. Eſt dicere: ad hoc, vt propoſitiones conditionales verę ſint, non eſt neceſſariũ, quod id; quod ſub conditionem cadit, deduci poſsit per bonam conſequentiam ex eo, quod ponitur ex parte conditionis. Ratio eſt: quia ad hoc, vt vnum deduci poſsit per bonam conſequentiam ex alio, requiritur, quod, hoc poſito, non poſsit illud non poni: ſed ad veritatem propoſitionis conditionalis nō requiritur, quod poſitâ conditione, non poſsit non poni res cadens ſub illam, vt paulo ante dicebamus: ergo neque quod res conditionate futura deducatur per bonam conſequentiam ex cōditione. Maior ab omnibus admittitur. Et ratio eſt facilis: quia deduci vnum ex alio nihil aliud eſt, quam, quod intellectus ex cognitione huius determinetur ad cognitionem illius, hoc eſt, ex cognitione antecedentis determinetur ad cognitionem conſequentis, vt diximus diſp. 14. ſect. 4. Si autem, poſito antecedente, poteſt non poni cōſequens, nō poteſt cognitio illius determinare intellectũ ad cognitionem huius, quia, ſi antecedens poteſt ex ſe eſſe abſque conſequēti, non erit, cur cognitio attingens antecedens, ſecundum ſe nō poſsit eſſe ſine cognitione attingente conſequens. His poſitis.

100 Facile probatur prędicta cōcluſio rationibus adductis pro prima concluſione. Primò, quia quando dico, *ſi, Petrus cras à me petierit librum, dabo illi*; vel adueniente craſtino, & petente Petro, do illi librum; vel non: neque enim fieri poteſt, quod poſitis iam illis conditionibus, neque vnum, neque alterum ex illis duobus contingat. Si dicatur primum: erit hodie determinate vera illa propoſitio, quia hodie affirmat ſub conditione, quod reuerà erit craſtino die, poſitâ tali conditione, ac perconſequens hodie repræſentat ſub conditione obiectum eo modo, quo cras erit, ſi ponatur talis conditio. Si dicatur ſecundum: erit hodie determinate falſa ea propoſitio: quia, cum affirmet ſub conditione id, quod reuerà non erit, etiam ſi ponatur talis conditio, non conformatur cum ſuo obiecto; neque enim illud repræſentat eo modo, quo eſt à parte rei.

101 Secundò: quia hæ duæ propoſitiones, *ſi Deus cras dederit Petro talem cogitationem, libere conſentiet. Non ſi Deus cras dederit Petro talem cogitationem, conſentiet libère*, ſunt contradictoriæ, quarum quidem vna ne-

gat, quod altera affirmat. Vel ergo prima affirmat, quod, poſitâ craſtino die in Petro tali cogitatione, ſequetur determinate conſenſus liber: vel quod, poſitâ eâ cogitatione, erit Petrus indifferens ad conſentiendum, vel non conſentiendum. Quodcunque dicatur, debet eſſe vna determinate vera, & altera determinate falſa; quia, ſi primum: vel, poſita ea cogitatione, ſequetur reuerà determinate conſenſus liber Petri, & ſic prior propoſitio erit determinate vera, quia affirmat id, quod reuerà determinate ſequetur; poſterior verò erit determinate falſa, quia negat, quod reuerà erit. Vel non ſequetur reuerà; & ſic prior erit determinate falſa, quia affirmat, quod reuerà non erit, & poſterior determinatè vera, cum neget id, quod reuerà non erit. Si dicatur ſecundum, nempè, priorem propoſitionem affirmare, quod poſitâ eâ cogitatione, erit Petrus indifferens ad conſentiendum, vel non conſentiendum, prior illa propoſitio erit determinate vera, quia affirmat id, quod neceſſario ſequetur poſitâ eâ cogitatione cum alijs circunſtantijs: neceſſarium enim eſt, quod poſitâ cogitatione inuitante voluntatem ad amorem obiecti, ſi adſit alia retrahens cum reliquis requiſitis, voluntas ſit indifferens ad operandum, vel non operandum. In quo caſu poſterior propoſitio erit determinate falſa; quia negat id, quod vere affirmatur per eius contradictoriam; ergo, quocunque modo ſumantur hę propoſitiones, erit vna determinate vera, & altera determinate falſa.

102 Tertiò denique probatur: quia Deus ſæpe affirmauit futura contingentia conditionata; ergo propoſitio, per quam ea affirmauit, eſt determinate vera. Conſequentia negari nequit; alioqui, ſi talis propoſitio non eſſet determinate vera, ſed vera, vel falſa disiunctim, nihil obſtare poſſet, quominus ſcientiæ eius ſubiaceret de facto falſitas, & affirmaret fore, quod reuerà futurum non eſſet, ac per conſequens, ſcientia eius fallax eſſe poſſet, quod eſt contra Fidem. Antecedens verò probatur ex pluribus Scripturæ locis, in quibus Deus affirmauit propoſitiones conditionales, ex quibus nonnullas adducam. Primus ſit ex 1. Regum capit. 23. vbi, cum timeret David, Saulem venturum Ceilam (vbi tunc erat ipſe Dauid) ſeque illi tradendum à viris Ceilæ, ſi expectaret, conſuluit Dominum dicens: *Si deſcendet Saul?* & reſpondit Dominus, *deſcendet.* Et iterũ Dauid: *ſi tradent me viri Ceilæ, & viros, qui ſunt mecum in manus Saul?* & dixit Dominus, *tradent.* Quo audito, fugit David, & propterea neque deſcendit Saul, neque traditus eſt Dauid in manus eius. Ecce affirmauit Deus, quod ſi Dauid

com-

Digitized by Google

commoraretur Ceilæ, venturus erat Saul, vt illum comprehenderet, & viri Ceilæ illum tradituri erant. Deinde Lucæ 10. ait Chriſtus Dominus: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sydone facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in ſilicio, & cinere ſedentes pœniterent.*

203 Dices; Matthæi 11. haberi eandem ſententiam addita particula, *forte*, quæ coniecturam potius denotat, quam certam ſcientiam circa futurorum euentum. Vnde videtur Chriſtus Dominus prædictis verbis locutus fuiſſe non ex certâ ſcientiâ; ſed quia exiſtimabat veroſimilius rem ita euenturam, ſi cauſarum propenſionem attendamus. Hæc tamen ſolutio nullius eſt momenti: tum quia pluribus in locis non additur particula *forte*, vt eſt in illo Regum 1. vbi Dauid conſulebat Dominum non vt coniecturam ab illo audiret; ſed vt certiſsimum iudicium circa rei euentum haberet. Secundò, quia particula, *forte*, in ſenſu ambiguo maieſtati Dei non poteſt conuenire, vt docet. Hyer. in 2. Ezechiel, & in 26. Ierem. in illa verba: *Noli ſubſtrahere verbum ſi forte audiant*, & Theodoret. ibidem.

204 Ea autem particula frequenter ponitur in Scriptura non ad denotandam incertitudinem affirmationis; ſed vel ad denotandam arbitrij libertatem, vt docent Hyeronim. & Theodoret. ſuprà; vel ad ſignificandam difficultatem talis effectus, vt docet Gregor. Homil. 18. in Ezequielem. Interdum etiam eſt phraſis, & modus loquendi Scripturæ, quæ more humano ad homines loquitur, vt ait Ambroſ. lib. 2. de Pœnit. capit. 5. & ſignificauit etiam Auguſt. tract. 37. in Ioann. & enarratione in Pſalmum 2. ad illa verba, *Ne quando iraſcatur Dominus.* Deinde alibi etiam additur τò *forte* in rebus certiſsimis, Ioann. 7. *Si me ſciretis forſitam & Patrem meum ſciretis*: & Ioann. 5. *Si crederetis Moyſi, forſitam & mihi.* Actor. 8. *Pœnitentiam age, ſi forte remittatur tibi.* Denique in Græcis codicibus ſæpè eſt particula, quæ certitudinem potius, quam ambiguitatem denotat, & verti poteſt, *vtique ſane*, vt notat Abulen. in Math. quæſt. 52. & Ianſen. capit. 47. Concordiæ Euang. Carthuſ. & Titel. in Math. 11. Toletus in Ioann. 4. 5. & 8. Videatur P. Soar. lib. 2. de Scient. condit. futur. c. 1. à n. 5.

205 Reſtat ſoluere Ariſtot. argumenta. Pro quorum ſolutione obſeruo 1. Cum P. Vazq. 1. p. diſp. 68. cap. 4. ex Anſelm. lib. de Concord. præſc. & prædeſt. cap. 1. duplicem diſtingui poſſe neceſsitatem, qua res aliqua dicatur eſſe, vel fore neceſſario. Vna eſt antecedens; altera conſequens: *Antecedens* eſt illa, quam effectus habet à ſuâ cauſa

 ex

ex natura ſua determinatâ ad illam producendam. Dicitur autem *antecedens*, quia prouenit ex cauſa, quæ, cum antecedat effectui, ante huius exiſtentiam inducit neceſsitatem talis exiſtentiæ. Hac neceſsitate oritur calor ab igne, quia ignis producit calorē vt cauſa ex ſe determinata ad illum producendum. Neceſsitas *conſequens* eſt, quæ datur ex ſuppoſitione exiſtētiæ effectus: quia, cum impoſsibile ſit, rem ſimul eſſe, & non eſſe; vel, ſimul fore, & non fore, eo ipſo quod ſit, vel futura ſit in aliquo tempore, eſt neceſſariū, eſſe, vel fore pro illo eodem tempore. Vnde ortum habuit commune proloquiū, *Omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe*: hoc eſt, omne quod eſt in aliqua differentia temporis ſiue præſentis, ſiue futuri, ſiue præteriti, ex ſuppoſitione quod ſit, neceſſe eſt, eſſe pro eâ differentiâ temporis.

106 Hinc colliges, priorem neceſsitatem opponi cum libertate; ſecus poſteriorem. Ratio eſt: quia ad libertatem eſt neceſſarium, quod ea, quæ ante effectū prærequiruntur ex parte cauſæ in actu primo proximo, relinquant illam indifferentem ad operandū, vel non operandum. Hæc autem indifferentia tollitur per neceſsitatem antecedentem; ſecus per conſequentem: quia per illam determinatur cauſa ad vnam partem contradictionis, antequàm effectus ſupponatur eſſe, vel fore in ſe ipſo: hæc verò ſupponit cauſam liberam à ſe ipſa determinatam, ſeu determinandam ad vnam partem contradictionis per ipſam poſitionem effectus, & ideo non poteſt tollere libertatem cauſæ; ſed ipſam iam liberè determinatam, ſeu determinandam, ex ſuppoſitione quod determinata, ſeu determinanda ſit, impedit, ne poſſit non determinari liberè pro eo tempore, quo determinata eſt, ſeu determinanda; quia *Omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe*.

107 Colliges 2. cum neceſſitate conſequente rectè componi poſſe potentiam antecedētem ex parte cauſæ ad hoc, vt res, quę eſt præſens, vel futura, non ſit præſens, vel futura: quia, licèt ex ſuppoſitione, quod res ſit iam præſens, vel futura, nullatenus fieri poſsit, quod ſimul non ſit præſens, vel non ſit futura (hoc enim contradictionem inuoluit) tamen eadem potentia, quæ rem facit exiſtententem, vel futuram, eſt talis ex parte actus primi, quæ, quādo ſe determinabat ad exiſtētiam, ſeu futuritionem, poterat pro ſuo libito, loco exiſtentię, ſeu futuritionis ponere non exiſtentiam, ſeu non futuritionem ipſius rei. Ratio huius eſt: quia neceſsitas conſequēns oritur ex poſitione effectus: atqui per effectus poſitionem non tollitur indifferentia antecedens, quæ ex parte actus primi datur in cauſa ad producendum, ſeu non producendum effectum: ergo neque tollitur potentia antecedens ad non producendum effectum. Conſequentia patet: quia potētia antecedens

cedens ad non producendum effe ctũ inuoluitur in indifferẽtia cauſæ ad illum producendum, vel nõ producendum, atque adeo ſi hæc non tollitur per poſitionem effectus, neque illa tolletur. Minor vero probatur: quia indifferentia antecedens non poteſt tolli, niſi per aliquam determinationem illi oppoſitam; determinatio autẽ oppoſita indifferentiæ antecedẽti debet eſſe etiam antecedens, quia oppoſitorum eadem eſt ratio: atqui ex effectus poſitione nõ poteſt oriri aliquid, per quod cauſa antecedenter determinetur ad effectũ; id enim, quod cauſæ prouenit ex effectu, nõ poteſt eſſe antecedens; ſed potius debet eſſe cõſequens effectum: ergo per poſitionem effectus non poteſt tolli indifferentia antecedens, quæ ex parte actus primi datur in cauſa ad producendum, ſeu non producendum effectum.

108 Obſeruo 2. ſcientiam, quâ futura vt talia cognoſcuntur à Deo, non eſſe natura priorem, & quaſi cauſam talis futuritionis; ſed potius è contrà, futuritionem eſſe quaſi natura priorem ſcientiâ talis futuritionis: & ideo non eſt verum dicere, *quia res cognoſcitur vt futura, eſt futura*; ſed potius è contrà, *quia res eſt futura, cognoſcitur futura*. Id expreſſe docent plures PP. loquẽtes de præſcientia Dei; aiunt enim, ideo rem aliquam à Deo præſciri, quia futura eſt; non è contrà. Videatur P. Suar. ſuprà. Et ratio eſt facilis: quia vel ſcientia, quam Deus habet de futuris, eſt ante decretum liberum Dei circa illorum productionem, vel poſt tale decretũ. Si hoc vltimum: prius erit futuritio rerum, quam ſcientia illorum; vel ſaltem hæc nõ erit prior illâ, quia futuritio rerum ſequitur immediate ex tali decreto. Si dicatur primum: ergo datur aliquod futurum extra Deum independenter à decreto libero Dei; hoc autem dici nequit (quia quæcunque ponuntur extra Deum in rerum natura, oriuntur à Deo libere operãte per decretum liberum, vt in confeſſo eſt apud omnes Theologos) ergo neque illud.

109 Hinc deducitur, contingentiam liberorum futurorum nõ tolli per præſcientiam, quâ Deus illa nouit ab æterno: quia ſi, cum ſcientia futurorum non influat in ipſa futura ſecundum ſe; ſed potius ſupponat, ipſa futura eſſe à ſuâ cauſâ, ſi hæc aliàs ſit ex ſe libera, præſupponentur effectus libere, ac contingenter futuri ante præſcientiam Dei: ergo nõn poterit talis præſcientia eorum contingentiã tollere, & cauſæ libertatem impedire. Confirmatur: quia libertas potentiæ liberæ nõ poteſt impediri, niſi per cauſam, ſeu principium, quod, cum requiratur ex parte actus primi ante effectum, neceſſariam connexionem habeat cum illo: ergo, cum præſcientia non præſupponatur ante effectum futurum, non poterit eius contingentiam tollere, neque libertatem cauſæ impedire.

110 Ex his facile ſoluuntur argu-

argumenta pro ſentẽtia Ariſt. adducta ſuprà à num. 89. Ad primũ ergo, nego maiorem; nẽpe, quod ſi hodie eſt determinate verũ, *Petrus cras peccabit*; neceſſariũ erit abſolute peccatum Petri craſtinã die. Ad probationem fateor, prædictam propoſitionem fuiſſe verã ab æterno: inde tamen non infertur, peccatum Petri fore neceſſarium neceſsitate antecedente; ſed ſolum conſequente; quia eius neceſsitas non oritur ex aliquo principio habente eſſentialem connexionem cum ipſo effectu; ſed ſolum ex ſuppoſitione, quod ipſe ſit futurus. Neceſsitas autem conſequens alicuius effectus non opponitur cum libertate cauſæ illum producentis, vt dictum eſt num. 106.

111 Hinc eſt, quod, licet ea propoſitio, *Petrus cras peccabit*, abſolute loquendo potuerit loco veritatis falſitatẽ admittere, quia ſicut Petrus, adueniente die craſtino, ſe determinabit ad peccatum, poterit ſe in oppoſitum inclinare; tamen factã ſuppoſitione, quod ſemel ſit vera, non poteſt ſimul eſſe falſa. Nunc enim eſt vera, quia ſupponitur futurum peccatũ; ex ſuppoſitione verò, quod futurum ſit, non poteſt non fore, quia *omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe*; & ideo non poteſt ea propoſitio ſimul cum veritate falſitatem admittere. Ex quo conſtat ad omnia, quæ adducuntur pro primo Ariſtotelis argumento.

112 Ad 2. concedo, quod, ſi ea propoſitio, *Petrus ſe occidet*, ſit determinate vera, determinate erit occiſio Petri. Cæterum hæc determinata futuritio non prouenit ex neceſsitate aliqua antecedente; ſed ſolum ex conſequente, & ideo non tollit contingentiam effectus, quia hæc non deſtruitur per determinationem ortã ex neceſsitate conſequente, ſed ſolum per determinationem ortam ex neceſsitate antecedente, vt conſtat ex dictis. Ex quo conſtat ad primum abſurdum deductum in illo ſecundo argumento.

113 Ad ſecundum nego, ex noſtra doctrina inferri, quod fruſtra detur conſultatio de futuris contingentibus: conſultatio enim ordinatur ad hoc, vt fiat, quod antecedenter poteſt fieri, vel non fieri; cum autem per veritatem propoſitionum de futuro non impediatur indifferentia antecedens cauſæ ad faciendum, vel non faciendum effectum futurum, fit, vt neque fruſtra ſit conſultatio circa eius productionem; quin potius ſicut ordine naturæ eſt prius, quod effectus ſit futurus, quam quod propoſitio affirmans eius futuritionem ſit vera; ita etiam conſultatio futura de eius productione eſt prior ordine naturæ, quam eius productio, & veritas propoſitionis illam affirmantis. Sicut enim propoſitio eſt vera ex eo, quod res eſt futura, & non è contra; ita etiam res futura erit ex eo, quod præcedet talis conſultatio, & non è contra.

114 Obijcies; hæc eſt bona con-

Digitized by Google

conſequentia; *Deus cognouit ab æterno Petrum peccaturum ergo Petrus eſt peccaturus*: ergo neceſſario infertur hoc conſequens ex illo antecedente. Conſequentia patet: quia in bona conſequentia, neceſſario infertur conſequens ex antecedente, vt concedunt omnes, & probatum eſt ſupra num. 99. ſed id quod neceſſario infertur ex alio, neceſſario ponitur illo poſito: ergo poſita ab æterno ſcientia, qua Deus nouit, Petrum peccaturum in tempore, neceſſarium eſt, quod Petrus peccet in tempore. Diſtinguo primum antecedens: ea eſt bona cõſequentia à poſteriori, concedo: à priori, nego antecedens. Eſt dicere, ea conſequentia non eſt bona ex eo, quod ſcientia Dei ſit aliquid requiſitum ex parte cauſæ creatæ ad cauſandum peccatum Petri, ſed potius, quia talis ſciẽtia non poteſt dari in Deo, quin peccatum Petri ſupponatur futurum. Hinc oritur, quod, eo ipſo quod detur talis ſcientia, debeat eſſe futurum peccatum Petri, nõ ex vi ſcientiæ, ſed quia ante illam ſupponi debeat futurum; & ideo, eâ poſitâ, eſt neceſſarium peccatum Petri neceſsitate conſequente, non vero antecedẽte: ex quo ſoluta manet obiectio oppoſita.

DISPVTATIO XVI.

De Diuiſione, & oppoſitione actuum intellectus.

EXaminatis ijs, quæ ad eſſentiam cognitionis vt ſic pertinent, gradum facimus ad explicandas eius ſpecies, & earum oppoſitionem examinandam.

SECTIO I.

De Cognitione obiecti in ſe, & in alio.

1 COgnitio obiecti in ſe dicitur illa, quæ habetur per ſpecies proprias, & immediatas ipſius obiecti. Ita S. Th. 1. p. q. 14. art. 5. vbi P. Mol. §. *Iuxta hæc ergo*. P. Vaz. diſp. 60. cap. 3. P. Didac. Ruiz de Scientia diſp. 11. ſect. 3. num. 5. & communiter interpretes. Et merito hæc dicitur cognitio obiecti in ſe: quia cognoſci obiectum in ſe eſt cognoſci per cognitionem, quæ non nitatur in alio obiecto; ſed in ipſo: ſicut enim inter entitates ea dicitur eſſe in ſe, quæ non nititur, ſeu ſuſtentatur in alio, ita etiam inter obiecta cognita illud debet dici cognoſci in ſe, cujus cognitio non nititur in alio. Talis autem eſt cognitio, quæ habetur per ſpecies proprias, & immediatas obiecti; quandoquidem ſpecies non ex alia cauſa dicitur eſſe propria alicuius obiecti, niſi quia illud

repræ-

repræſentat, vt eſt in ſe, hoc eſt, non ad modum alterius. Deinde illa dicitur eſſe immediata, quæ ita obiectum attingit, vt eſt in ſe, vt illud attingat ratione ſui, & nō ratione alterius: quod tunc contingit, quando obiectum ratione ſui terminat cognitionem, ita vt non ſupponatur terminata ad aliud, neque ex cognitione alterius deducatur.

2 Cognitio obiecti in alio dicitur, quæ ita directe attingit vnum obiectum, vt ab eo determinetur ad attingendum aliud. Itaque quādo cognitio aliqua ita directe attingit vnum obiectum; vt, eo ipſo quod illud attingit, debeat attingere aliud, dicitur eſſe cognitio vnius obiecti in alio, in illo videlicet, ratione cuius determinatur ad attingendum tale obiectum. Hinc fit 1. cognitionem vnius in alio non poſſe haberi per ſpecies immediatas illius, quod dicitur cognoſci in alio: quia, ſi tale obiectum cognoſceretur per ſpecies immediatas, non diceretur cognoſci ratione alterius; ſed ratione ſui, ſiquidem ſpecies immediatæ primariò, & per ſe repræſentant obiectum, cuius immediatæ eſſe dicuntur.

3 Fit 2. per cognitionē vnius in alio attingenda eſſe duo obiecta vt diſtincta; quia ſi non attingantur vt diſtincta, ſed ac ſi eſſent vnum, non tam diceretur cognoſci vnum in alio; quam cognoſci vnū, ac ſi eſſet alterum. Propterea cognitio, qua Angelus cognoſcitur per ſpecies iuuenis non diceretur eſſe cognitio Angeli in iuuene; ſed cognitio Angeli, ac ſi eſſet iuuenis, vel ad modum iuuenis: quia videlicet ita determinatur à iuuene ea cognitio ad attingendum Angelum, vt non attingat iſtum vt diſtinctum ab illo; ſed ac ſi eſſent idem, vt diximus diſput. 12. ſect. 6.

4 Fit 3. illud obiectum, quod in alio cognoſci dicitur, debere attingi per eandē cognitionem, per quam aliud attingitur: quia, ſi per diuerſam cognitionem attingeretur, non dicendum eſſet cognoſci vnum in alio; ſed vnum ex alio, quandoquidē ex cognitione vnius determinaretur ad eliciendam cognitionem alterius. Vnde cognitio deducta per diſcurſum, per quem ex cognitione vnius deuenimus in cognitionem alterius, non eſt cognitio vnius in alio, ſi proprie loquendum ſit; ſed vnius ex alio.

5 Fit 4. cognitionem, qua cauſa attingitur vt cōnexa cū ſuo effectu (vel quodlibet relatiuū trāſcendentale prout connexum cū ſuo termino) eſſe cognitionē talis effectus, (ſeu termini) in alio, hoc eſt, in ſua cauſa (vel in illo, cuius relationem terminat) quia, eo ipſo quod cognitio attingit cauſam vt connexam cum ſuo effectu, debet attingere effectum: ergo iſtum attingit ratione illius; ac per conſequens attingit effectum in cauſa, quia nihil aliud eſt attingere vnū in alio, quam attingere vnum ratione alterius, vt dictum eſt.

6 Fit 5. Iudicium euidens ex appre-

Digitized by Google

apprehenſione terminorum, & copulæ; ſi talis apprehenſio, habita eſſet per ſpecies proprias, & immediatas ipſorum terminorum, & copulæ, fore cognitionem illius obiecti in ſe ipſo; quia, licet intellectus non determinetur ad tale iudicium per ſpecies impreſſas ipſorum terminorum; ſed per apprehenſionem illorum iuxta dicta diſp. 14. nu. 16. nihilominus tale iudicium non nititur in alio tanquam in obiecto formali; ſed immediate nititur in veritate ſui obiecti; neque habetur per ſpecies alienas; quandoquidem habetur per ſpecies proprias, & immediatas terminorum apprehenſorum, & copulæ, circa quæ verſatur prædictum iudicium, tanquam circa proprium ſuum obiectum: ergo non eſt, cur hoc iudicium non ſit cognitio ſui obiecti in ſe ipſo. Ex dictis deduci poteſt, quid dicendum eſt circa alias cognitiones?

SECTIO II.

De Intellectione intuitiua, & abſtractiua.

7 NOn parum ſudarunt authores in explicanda diſtinctione intellectionis *intuitiuæ*, & *abſtractiuæ*. Sed meo iudicio facile explicari poteſt, ſi exacte perpendamus ea, quæ in intuitione materiali potentiæ viſiuæ (à qua translatum eſt nomen intuitiuæ ad intellectionem) reperiuntur. *Viſio* ergo, & *intuitio* potentiæ viſiuæ in primis, habetur per ſpecies proprias, & immediatas obiecti viſi, vt fatetur omnes, ac per conſequens debet eſſe cognitio obiecti in ſe ipſo iuxta dicta num. 1. Deinde tendit in obiectum vt exiſtens; neque enim potentia viſiua, poteſt tendere in poſſibilitatem prout præſcindentem ab exiſtentia, vt experientiâ ſatis compertum eſt. Præterea viſio ſemper eſt circa obiectum ſingulare: nullam enim viſionem experti ſumus, quæ nõ tendat in obiectum ſingulare, repræſentando expreſſe eius ſingularitatem, ſaltem incompletam, vt dictum eſt in Log. diſp. 5. n. 34. Denique viſio terminatur ad obiectum vt præſens in aliquo loco, quia potentia viſiua nõ præſcindit ab ſpatio ſua obiecta, vt conſtat. Id tamen non eſt de eſſentia viſionis vt ſic; quia poteſt dari aliqua viſio intuitiua præſcindens ab ſpatio, vt dicebamus ſupra diſput. 11. n. 70. atque adeo, ſi de potentia Dei daretur ſenſatio ſenſibilis proprij (vt dari poſſe probauimus loco citato) ſine ſenſatione præſentiæ, nihil deceret illi ad rationem formalem viſionis actualis ſui obiecti. Ex his facile explicari poteſt natura intellectionis intuitiuæ.

8 Dico ergo, intellectionem intuitiuam formaliter eſſe illam, quæ repræſentat obiectum in ipſo per ſpecies proprias ipſius, ita vt immediate tendat in eius exiſtentiam ſecundum rationem aliquam ſingularem, & propriam talis obiecti, repræſentando illud non ſolum in aliquo loco; ſed etiam in aliquo tempore, ſeu duratione.

Digitized by Google

Hoc vltimum non eſt de ratione formali intellectionis intuitiuæ, quia poteſt dari aliqua intellectio intuitiua, quæ præſcindat à loco, & tẽpore, vt dicebamus de viſione ſenſitiua. Probatur concluſio: quia nomen cognitionis intuitiuæ translatum eſt de viſione corporeâ ad intellectionem: ergo ex ijs, quæ reperiũtur in viſione corporea, colligere debemus naturam intellectionis intuitiuæ; ſed in viſione corporea inueniuntur ea, quæ enumerauimus, præter cognitionem durationis obiecti: ergo ea ſunt de ratione intellectionis intuitiuæ. Additur tamen cognitio durationis: quia ſicut ex natura rei non poteſt inueniri viſio corporea ſine cognitione præſentiæ ſui obiecti, ita etiam non poteſt intuitio intellectiua dari ſine cognitione durationis ſui obiecti; atque adeo ſicut illã dicimus pertinere ad intuitionem corporeã, ita etiam, & hæc pertinere debet ad intuitionem intellectiuam. Prędictam explicationem cognitionis intuitiuæ tuetur P. Did. Ruiz tom. de Scientia diſp. 17. ſect. 5. & licet nonnulli ab ea videantur diſſentire; tamen non eſt adeo cõſona vocis ſignificationi eorum ſententia, ſicut noſtra, vt conſtat ex ratione adducta.

9 Cognitio abſtractiua prout opponitur intuitiuæ in præſenti eſt, quæ vel non eſt rei, vt exiſtentis: vel non repræſentat illam per ſpecies proprias illius: vel non attingit illam in ipſa: ſed in alio, vel nõ attingit ſingularitatem, ſeu indiuiduationem ſaltẽ in adæquatâ. Hinc eſt, quod eſt abſtractiua Primo cognitio poſsibiliũ vt talium, quia non repræſentat res vt exiſtentes: deinde cognitio Angeli, ac ſi eſſet iuuenis, quia non attingit illum per ſpecies proprias illius: præterea cognitio effectus in cauſa, aut cauſæ in effectu, quia non attingit rẽ in ſe; ſed in alio: & deniq; cognitio albedinis vt ſic ad huc habita per ſpecies proprias albedinum ſingulariũ, quia nullam attingit ſingularitatem expreſſè.

10 Rogas: An actus viſionis externę circa albedinem, ſi de potentia Dei abſoluta conſeruetur corrupta albedine, ſit intuitiuus, necne? Reſpondeo, eſſe intuitiuũ: quia talis actus per ſuã entitatem repræſentat exiſtentiã albedinis ſingularis in ipſa per ſpeciem propriam illius, quid ergo deeſt illi ad rationem intuitiui? Dices: hic actus eſſet falſus, quia repręſentaret albedinem exiſtẽtem, cum ipſa non exiſteret: ergo non eſſet intuitiuus. In primis, nego antecedens: nam, licet ille actus repræſentet exiſtentiam albedinis; non tamẽ repræſentat exiſtere in hoc, vel illo tẽpore; quia potentia viſiua nõ eſt cognoſcitiua temporis; vt cõſtat ex diſp. 9. n. 8. & 9. ergo ex eo, quod albedo non exiſtat in hoc tẽpore, nõ recte deducitur illum actum eſſe falſum. Imo abſolute loquendo eſt verus: quia repræſentat albedinis exiſtentiã ſecundum ſe eo modo, quo ipſa eſt ſecundum ſe. Vel 2. reſpõderi poteſt, concedo antecedente, nega-

do

do conſequentiā: quia nullum eſt inconueniens, quod actus intuitiuus ſit falſus; quandoquidem ea omnia, quæ ad rationem actus intuitiui requiruntur, inueniri poſſunt ſimul cum falſitate, vt conſtat ex dictis pro noſtra concluſione.

SECTIO III.

An poſſit dari cognitio intuitiua attingens vnam formalitatem ſine alia eiuſdem obiecti?

11 NOto, duplicē eſſe ſententiā circa præciſionē prædicatorū eſſentialiū alicuius entitatis; vnam, quæ affirmat, vnum prædicatū præſcindi obiectiue ab alio, ita vt, quando cognoſcitur animal, v.g. ſine rationali, cognoſcatur ex parte entitatis hominis prædicatū reale animalis non cognito prædicato reali rationalis: alterā, quæ affirmat vnū prædicatū præſcindi formaliter tātū ab alio; ita vt, quādo cognoſcitur animal ſine rationali, cognoſcatur tota entitas realis hominis; in ordine tamen ad ſolā ſenſationē, per ordinē ad quā eſt animal; & nō in ordine ad ratiocinationē, per ordinē ad quam eſt rationalis. De hoc egimus Logica diſp. 4. vbi ſecuti ſumus ſecundā ſententiā. Et quidem certū eſt per intellectionem intuitiuā non poſſe vnū prædicatū ita cognoſci ſine alio, vt obiectiue præſcindatur ab illo: quia, vt dicebamus diſp. illa 4. n. 7. ad hoc, vt obiectiue præſcindatur animal à rationali, eſt neceſſarium quod in vtroque negetur vnitas rationis, per quā ad inuicem diſtinguantur: hæc autē fingi non poteſt per viſionē intuitiuā, quia, cū rem attingat per ſpecies proprias, nō poteſt in ea cognoſcere, quod vere non eſt in illa. Difficultas ergo præſens ſolū procedit de præciſione formali: An videlicet per cognitionem intuitiuam præſcindi poſsit formaliter vnū prædicatum, ſeu vna formalitas ab alia.

12 P. Vaz. tom. 1. in 1. p. diſp. 50. n. 12. ait, non poſſe per intellectionē intuitiuā videri vnā formalitatē non viſis alijs, quæ ſunt idē realiter cum illa. Idem docuerat diſp. 48. cap. 2. vbi ait, non poſſe videri à Beatis vnū attributū Dei, quin alia cū illo videātur, & quoad hoc idē docent P. Mol. 1. p. q. 12. art. 8. diſp. 4. P. Suar. 1. p. lib. 2. de Attributis c. 22. P. Herize diſp. 50. cap. 1. & 2. Ratio huius ſentētiæ eſt: quia per intellectionē intuitiuā videtur obiectū clare, & vt eſt in ſe à parte rei; ſed omnes eius formalitates ſunt in ſe à parte rei idē; ergo non poteſt videri vna clare, quin clare videatur eſſe idē cū reliquis: atqui nō poteſt clare videri eſſe vnū, & idem cū reliquis, quin reliqua videantur: ergo &c. Secūdò, quia cognitio, quā videtur vnū prædicatū ſine alijs cū ipſo realiter idētificatis, eſt ſēper abſtractiua: ergo nō poteſt eſſe intuitiua. Patet conſequētia: quia cognitio intuitiua opponitur cū abſtractiua. Antecedens videtur certum: neque enim quid aliud eſt abſtrahi vnū prædicatum ab alijs, quam cognoſci ſine illis.

13 Oppoſita ſententia videtur mihi verior. Eam tenent P.

Salas

Salas. 1. 2. tr. 1. art. 2. diſp. 4. ſect. 2. P. Granad. tracta. 5. de Viſione diſp. 5. & 7. ſect. 1. Ægid. luſit. lib. 5. q. 14. art. 3. §. 3. Hi enim aſſerunt, poſſe videri intuitiue vnum attributum Dei ſine alijs. Probatur: quia non repugnat dari intellectionem habitam per proprias ſpecies obiecti exiſtentis, & ſingularis in ipſo quæ quidem non attingat expreſſe omnes formalitates ſui obiecti: ergo non repugnat intellectio intuitiua vnius formalitatis ſine alia eiuſdem obiecti. Conſequentia patet ex dictis circa naturam cognitionis intuitiuæ. Antecedens autem probatur: quia de facto datur viſio corporea habita per ſpecies proprias albedinis exiſtentis, & ſingularis in ipſa; quæ quidem non attingit expreſſe omnes formalitates albedinis: neque enim attingit expreſſe reſpectum, quem vt creatura habet ad Deum, neque reſpectum, quem vt accidens habet ad ſubſtantiam: ergo datur cognitio, quæ, cum habeat omnes proprietates viſionis intuitiuæ, nihilominus non exprimat omnes formalitates obiecti.

14 Dices, ideo viſionem corpoream non exprimere prædictas formalitates albedinis, quia tales formalitates non continentur intra latitudinem obiecti potentiæ viſiuæ. Bene. Ergo iam concedis vnum, & idem obiectum reale ad vnam & eandem potentiam viſiuam, & intuitiuam pertinere ſecundum vnã formalitatem, quin pertineat ſecundum alias: ergo nulla eſt repugnãtia in eo, quod vnum, & idem obiectum ſecundum vnam formalitatem terminet intuitionem intellectus, quin eam terminet ſecundum alias. Patet conſequentia: quia, ſi aliqua eſſet, maxime, quia intuitio intellectus verſatur circa ſuum obiectum per ſpeciem propriam repræſentantem illud, vt eſt in ſe: ſed potentia viſiua verſatur circa ſuum obiectum per ſpeciem propriam repræſentantem illud, vt eſt in ſe, vt fateris; & nihilominus non penetrat omnes formalitates illius: ergo non eſt, cur repugnare debeat intuitio intellectus, quæ, cum tendat in ſuum obiectum per ſpeciem propriam repræſentantem illud, vt eſt in ſe, nihilominus non penetret omnes formalitates illius.

15 Inſtabis, obiectum ſenſibile per potentiam corpoream non eſt ſenſibile ſecundum omnes ſuas formalitates; ſed ſolum ſecundum aliquas: at vero obiectum intelligibile, eſt intelligibile ſecundum omnes ſuas formalitates. Hinc eſt, quod viſio corporea repræſentans nonnullas formalitates ſine alijs tendit in ſuum obiectum, vt eſt in ſe ſenſibile; at vero intellectio, quæ repræſentaret vnam formalitatem obiecti, nõ repræſentatis alijs, non repræſentaret obiectum, vt eſt in ſe intelligibile, ac per conſequens nõ eſſet intuitiua: quia de ratione intuitiuæ eſt repræſentare obiectum, vt eſt in ſe.

16 Sed contra: vel de ratione cognitionis intuitiuæ eſt videre obiectũ, vt eſt in ſe a parte rei,

vel

vel ſolum, vt eſt in ſe cognoſcibile. Si dicas primum: vel dicendum eſt, viſionem corpoream non eſſe intuitiuã, quia cum non repræſentet omnes formalitates, quę à parte rei dantur in obiecto, nõ poteſt dici repræſentare obiectum, vt eſt à parte rei: vel, ſi dicitur repręſentare obiectum, vt eſt à parte rei, etiamſi nõ repræſentet omnes formalitates, idem dici poterit de cognitione intellectiua, etiãſi non attingat expreſſe omnes formalitates obiecti. Si dicatur ſecundũ: ergo, ſi obiectum in ſe eſt cognoſcibile per intellectiuã intuitionẽ repræſentantem clare vnam formalitatem ſine alia, iam per talẽ intuitionem attingetur, vt eſt in ſe cognoſcibile. Vnde ergo probas, non eſſe cognoſcibile in ſe per talem cognitionem?

17 Dices: eſt intelligibile in ſe ſecundum omnes ſuas formalitates, & ideo, dum cognoſcitur per intellectionẽ repræſentãtem vnam tantum, non intelligitur, vt eſt in ſe intelligibile. Sed contra: obiectum eſt in ſe intelligibile per omnes intellectiones, per quas poteſt attingi eius entitas ab intellectu: atqui nullã adducis rationẽ, qua probes, non eſſe poſsibilẽ intellectionẽ intuitiuã repræſentantem vnã formalitatem obiecti ſine alijs: ergo nulla eſt ratio, quæ probet, obiectum per illã cognionem non videri, vt eſt cognoſcibile.

18 Confirmatur: quia intellectio albedinis directe excitata per viſionem corporeã ipſius albedinis eſt intuitiua in conſenſu omnium; & nihilominus nõ repræſentat omnes formalitates obiecti; quia, vt experientiâ conſtat, non repræſentat plures formalitates, quã viſio ipſa corporea: ergo iam admittitur intellectio intuitiua albedinis, quæ nõ attingat expreſſe omnes formalitates ipſius albedinis.

19 Dices: ea eſt imperfecta intuitio; quia habetur per ſpecies acceptas à potentia viſiua, quæ cum clare attingat aliquas formalitates, nõ tamen poteſt attingere omnes formalitates albedinis. Bene. Ergo, ſi dentur poſsibiles ſpecies non acceptę à potẽtia viſiua; ſed infuſę à Deo, quæ quidẽ nõ repræſentẽt clare reliquas formalitates obiecti, non repræſentatis alijs, erit poſsibilis intellectio independens à ſenſib⁹, quæ ſit intuitiua vnius formalitatis ſine alijs: ſed nulla eſt ratio, quę probet, nõ eſſe poſsibiles tales ſpecies: ergo neque vlla erit ratio, quæ probet eſſe impoſsibilem talem intellectionem intuitiuã. Minor conſtat ex dictis; nam, ſi aliqua eſſet, maxime, quia de ratione cognitionis intuitiuæ eſt videre obiectum, vt eſt in ſe à parte rei ſecũdũ omnes ſuas formalitates: atqui hæc ratio iã probatũ eſt eſſe malã exẽplo viſionis corporeę, & intellectionis directe excitatę per ſpecies acceptas à potentia viſiua: ergo, &c.

20 Ratio à priori noſtræ cõcluſionis eſt: quia ad hoc, vt expreſſe & diſtincte cognoſcatur aliqua formalitas alicuius obiecti, eſt neceſſarium, quod ſimul cum entita-

te ipſius obiecti attingatur cõnotatum, per ordinẽ ad quod conſtituitur talis formalitas: ſed nõ repugnat ſpecies propria, & intuitiua alicuius obiecti, quę ſimul cũ illo repræſentet connotatũ vnius formalitatis, quin repręſentet cõnotatum aliarum, vt ſatis conſtat ex rationibus adductis pro noſtra concluſiono: ergo neq; repugnat intellectio intuitiua vnius formalitatis ſine alijs eiuſdem obiecti.

21 Pro ſolutione argumẽtorũ Noto 1. hoc, quod eſt videre obiectũ, vt eſt in ſe à parte rei, duplicem ſenſum habere poſſe. Primũ, ita vt denotet, videri diſtinctè obiectum ſecundũ ea omnia, quæ in illo ſunt idem à parte rei, per ordinem ad omnia ſua connotata: qua ratione cognoſcit Deus omnia obiecta, vt ſunt in ſe à parte rei: & hoc eſt adæquatè videri obiectum, vt eſt in ſe à parte rei. Secũdò, ita vt denotet, videri nõ per ſpeciẽ alterius, ſeu ad modũ alterius, ſicut cognoſcitur à nobis Angelus admodũ iuuenis; ſed per ſpeciem propriã directè repræſentãtem propriã entitatẽ ipſius obiecti eo modo, quo eſt, etiãſi diſtinctè nõ repræſentetur in ordine ad omnia ſua connotata: qua ratione cognoſcimus albedinẽ per viſionẽ corpoream, & per intellectionem directè excitatã per illam: & hoc eſt inadæquatè videre obiectũ, vt eſt in ſe à parte rei: quia ex vnâ parte ita cognoſcitur, vt non cognoſcatur per ſpeciẽ alterius, ſeu ad modum alterius: & ex alia nõ cognoſcũtur diſtinctè ea omnia, quæ reperiũtur in illo. Noto 2. cognitionem abſtractiuã poſſe ſumi ſtrictè, prout opponitur intuitiuæ; & largè prout cõprehendit omnem cognitionẽ præſcindentẽ vnũ prædicatum ab alijs. His poſitis.

22 Ad primũ argumentũ oppoſitæ ſententiæ adductũ num. 12. diſtinguo maiorẽ: per intellectionem intuitiuã videtur clarè obiectum, & vt eſt in ſe à parte rei, adæquatè, vel inadæquatè, concedo: adæquatè ſolùm, nego maiorem. Deinde cõceſſã maiori, diſtinguo cõſequens: ergo nõ poteſt adæquatè videri vna formalitas clarè, quin clarè videatur eſſe idẽ cum reliquis, cõcedo: nõ poteſt inadæquatè videri vna clarè, quin clarè videatur eſſe idem cum reliquis, nego conſequentiã. Hęc doctrina ſatis clara eſt ex prænotatis.

23 Ad ſecundũ diſtinguo antecedens: cognitio, quã videtur vnũ prædicatũ ſine alijs cum ipſo identificatis, eſt ſemper abſtractiua eo genere abſtractionis, quod opponitur cum intuitiua, nego: eo genere abſtractionis, quod poteſt competere intuitiuæ, cõcedo antecedens: & nego cõſequentiã. Ex dictis in tota hac ſectione ſatis conſtat, qualis ſit abſtractiua cognitio, quæ opponitur cum intuitiua. Et quidem, ſi rectè perpendantur authores oppoſitæ ſentẽtiæ, nobis non aduerſantur: quia illi non tam videntur negare cognitionem intuitiuam, quæ formaliter ſolum præſcindat vnam formalitatem ab alia, quam quæ obiectiuè vnam ab alia præſcindat.

§ E-

SECTIO IIII.

De cognitione quidditatiua, & comprehenſiua.

26 Diſtinctum quid eſt, quidditatem rei cognoſcere, & rẽ quidditatiue cognoſcere. Nã cognoſcere quidditatem dicitur, qui quouis modo eſſentiã rei attingit, ſiue expreſſe, ſiue cõfuſe: at verò quidditatiue, ſolus ille, qui explicite, clare, & diſtinctè eſſentiam propriã rei repręſentat. Hoc diſcrimẽ adducit P. Suar. in Met. diſp. 30. ſect. 12. n. 5. ex Caie. quibus ſubſcripſit P. Hur. diſp. 10. de Ani. ſect. 3. qui bene diuidit cognitionẽ quidditatiuã in *intuitiuam*, & *abſtractiuã*. Illa eſt, quæ abſolute, & ſimpliciter quidditatiua dicitur, quia clare, & explicite cognoſcit eſſentiã propriã rei, vt eſt in ſe. *Abſtractiua* verò eſt duplex. Alia, quæ talis dicitur ex eo ſolũ, quod abſtrahit ab exiſtentia; qualis eſt cognitio, qua Deus cognoſcit poſsibilia, quæ quidẽ propriè quidditatiua dicitur. Alia quę talis dicitur, quia habetur per ſpecies alienas, ſiue quæ rẽ attingunt vt exiſtentẽ, ſiue ſolũ vt poſsibilẽ: talis eſt ea, qua ex effectibus diſtincte cognoſcimus, hominẽ eſſe *animal rationale*. Hæc quidẽ impropriè ſatis quidditatiua dicitur, quia imperfecte proponit nobis quidditatẽ rei, quandoquidẽ eã repræſentat ad modũ alterius.

27 Hic aduertit P. Hurt. non eſſe quidditatiuã quanlibet cognitionẽ intuitiuã. quia, cum eminus colorẽ intuemur cõfuſe, habemus cognitionẽ intuitiuã eius, & tamẽ ta'is cognitio nõ eſt quidditatiua, quia nõ repręſentat clare propriã differentiã illius coloris. Ego tamen dicerẽ, eã non eſſe quidditatiuã cognitionẽ talis coloris; bene tamẽ coloris vt ſic: quia, licet differentiã propriã talis coloris non repræſentet diſtincte, repręſentat tamẽ propiã rationẽ coloris vt ſic.

28 Circa cognitionẽ cõprehenſiuã, nota, duplicẽ acceptionẽ habere hoc nomẽ *cõprehẽſio*. Vna eſt lata, & impropria pro apprehẽſione, ſeu cõſequutione rei, quam inueſtigamus. In hoc ſẽſu loquitur Paul. 1. Cor. 9. dũ dicit: *Omnes quidẽ currũt; ſed vnus accipit brauium: ſic currite, vt cõprehendatis* & ad Philip. 3. *ſequor autẽ, ſi quo modo cõprehendã*, & ad Ephe. 3. *vt poſitis cõprehendere cũ omnib⁹ ſanctis, quæ ſit lõgitudo, latitudo, &c.* In hoc ſenſu applicari ſolet prædictũ nomẽ viſioni beatificæ, quæ eſt cõſequutio, ſeu apprehẽſio ſummi boni. Altera acceptio eſt ſtricta, & proprijſsima pro illa tãtũ cognitione, quę ſui obiecti cognoſcibilitatẽ prorſ⁹ adęquat eo modo, quo explicabitur in ſequentibus. In hac acceptione agendũ nobis eſt de cõprehenſione in præſenti.

29 Sic eã definit Aug. Epiſt. 112 ad Paulin. c. 8. initio: *Totũ autem vidẽdo cõprehẽditur, quod ita videtur, vt nihil illius lateat videntẽ, aut cuius fines circunſpici poſſunt.* Hãc definitionẽ admittũt omnes Theol. cũ S. Th. 1. p. q. 12. art. 7. in corpore. Ex qua colligitur 1. cõprehẽſionẽ nõ ſolũ debere attingere omnia ea, quę ſunt intrinſeca

obiecto cōprehenſo; ſed etiam ea, cum quibus tale obiectum habet connexionē, & quæ in eius virtute cōtinentur adhuc ſine cōnexione: hæc enim omnia dicuntur eſſe aliquid obiecti; &, cum nihil obiecti latere debeat cōprehendentē, neceſſarium eſt, quod comprehenſio ad ea omnia protendatur.

30 Et in hoc intellectualis cōprehenſio diſtinguitur à corporeâ (à qua protractum eſt nomen ad intellectualē) nam ad corporalē ſufficit, quod ea, quæ intrinſeca ſunt corpori cōprehenſo, claudātur corpore cōprehēdente: at verò ad intellectualē eſt neceſſariū, quod vltra intrinſeca obiecti alia illi extrinſeca attingantur per cōprehenſionē. Ratio vtriuſque eſt: quia ea ſolum dicuntur corporaliter pertinere ad rem corporeā, quæ in illa corporaliter cōtinentur intrinſece, & ideo, his clauſis, totū corpus corporaliter claudi neceſſe eſt. At verò ad rem intelligibilē, prout ad intellectū refertur, non ſolū pertinēt prædicata, aut partes intrinſecæ illius; ſed etiā ea, ad quæ ordinatur, & quæ in eius virtute cōtinentur; neque enim perfecte cognoſci exiſtimatur, niſi hęc omnia cognoſcantur, & ideo non comprehendetur intellectualiter, ſi aliquid horum effugiat cognoſcentem.

31 Colligitur 2. eſſe neceſſariū ad cōprehenſionē, quod tam prædicta extrinſeca, quam intrinſeca obiecti cōprehenſi clare, & euidēter cognoſcantur: ſi enim aliquid horū obſcure cognoſceretur, iam aliquid obiecti lateret cognoſcētem, quia quod obſcure cognoſcitur, non omnino manifeſtatur cognoſcenti. Exiſtimo tamē, ea, quæ extrinſece pertinent ad obiectum cōprehenſum, nō eſſe videnda clare, & euidenter ſecundum omnes ſuas formalitates; ſed ſolū ſecundum eas, ratione quarū dicuntur ad obiectum comprehenſum pertinere, quia ratione harum ſolum dicuntur eſſe aliquid obiecti.

32 Colligitur 3. ad comprehenſionē eſſe neceſſariū, quod cognitio non ſolū attingat de facto ea, quæ de facto cōtinentur in virtute productiua obiecti; ſed etiam quod, quatenus eſt ex ſe, extendatur ad ea omnia repræſentanda, quæ obiectū, quatenus ex ſe eſt, cōtinet in ſua virtute productiuâ. Rē explico. Iuxta dicta in *Phyſ.* diſp. 10. à n. 40. Dei omnipotētia non ſolum continet in ſua virtute creaturas, quæ de facto dātur poſſibiles; ſed etiā continet quatenus eſt ex ſe, hyrcoceruū, & alias creaturas impoſsibiles: quia ſi per impoſsibile hæ fierēt poſsibiles, abſque vlla variatione intrinſecâ omnipotentię poſſent ab ea produci, ſicut reliquæ, quæ de facto ſunt poſsibiles. Ad hoc ergo, vt cognitio aliqua ſit cōprehenſio Dei, eſt neceſſariū, quod, quatenus eſt ex ſe, ſit repræſentatio earū impoſsibiliū, ſi fierēt poſsibilia, ita vt ſine vlla variatione intrinſecâ ſui extenderetur ad illa repræſentanda in eo caſu.

33 Moueor aliàs: quia comprehenſio debet adæquare totam cog-

cognoſcibilitatem obiecti: ergo in ratione cognitionis debet ſe extendere ad ea omnia, ad quæ ſe extendit obiectū: atqui, ſi, quatenus eſt ex ſe, non ſit cognitio eorum, quæ obiectū, quatenus eſt ex ſe, continet in ſua virtute modo explicato, non ſe extendet in ratione cognitionis ad ea omnia, ad quæ ſe extendit obiectum, quatenus eſt ex ſe vt conſtat: ergo neceſſarium eſt, quod, quatenus eſt ex ſe, ſit cognitio eorū, quę obiectū, quatenus eſt ex ſe, continet in ſua virtute modo explicato.

34 Propterea exiſtimo Aug. lib. 12. de Trin. cap. 18. poſt medium dixiſſe, *Quidquid ſcientia comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur*: neque enim obiectum ſcientiā finietur, niſi hæc in ratione cognitionis ad ea omnia, quæ in ſe continet obiectū, extēdatur eo modo, quo obiectum ea continet, ita vt ſi obiectum ea cōtinet abſolute, eadē abſolute cognoſcantur à ſcientiā; ſi verò obiectum ſolum ea continet, quatenus eſt ex ſe, ſcientia etiā ſit ſolū cognitio eorū, quatenus eſt ex ſe. Ex his colligam in tract. de Viſione Dei, nullatenus comprehendi poſſe Deum à creaturâ bene tamē à ſe ipſo. Nonnulli alias addunt conditiones ad rationē cōprehenſionis, nempe quod ea, quę continentur in obiecto, debeāt cognoſci in ipſo obiecto; &, quod cognitio debeat eſſe æque perfecta, ac obiectū. Cæterum hæc pro libito ſuorum authorū confinguntur, cū nullatenus ex definitione Auguſt. (cui ſtandum eſt) deduci poſſint. Longam eorū impugnationē dabo, Deo volēte, in tract. de Viſio.

35 Rogas: an ad comprehenſionem alicuius cauſæ requiratur cognitio effectuū, quos actu recipit, vel efficit? Reſpondeo affirmatiue: quia in ſententia omnium ad comprehenſionē cauſæ requiritur cognitio effectuum, quos poteſt producere: ergo & cognitio effectuum, quos actu producit. Patet conſequentia: quia effectus poſsibiles dicuntur eſſe aliquid cauſæ ex eo, quod poteſt communicare illis exiſtentiā; etiam ſi nō habeat connexionē cum illis: ergo & effectus exiſtētes debent eſſe aliquid cauſæ ex eo, quod de facto illis cōmunicet talē exiſtentiam, etiāſi non cōnectatur cum illis vt exiſtentibus. Patet cōſequentia: quia multo plus eſt actu cōmunicare exiſtentiā, quā illā poſſe communicare: ergo, ſi propter hoc effectus poſsibiles dicūtur eſſe aliquid cauſæ, multo melius dicentur eſſe aliquid cauſæ effectus exiſtentes.

SECTIO VII.

An aſſenſus, & diſſenſus circa idē omnino obiectum poſsint eſſe ſimul in eodē ſubiecto?

36 DOcui iam diſp. 14. ſect. 2. *aſſenſum* eſſe iudiciū, quo rem affirmamus eſſe; *diſſenſum* verò eſſe iudiciū, quo rem eſſe negamus. Vide, quæ ibi diximus. Inquirimus in præſenti: an poſsint coniungi ſimul in eodē intellectu circa idē omnino obiectū? hoc eſt, an quis poſsit affirmare, & ſimul negare

gare rẽ eſſe. Et valde cõmunis ſententia eſt nõ poſſe dari ſimul in eodẽ intellectu aſſẽſũ, & diſſẽſũ circa idẽ obiectũ adhuc de potẽtia Dei abſoluta. Nihilominꝰ nõ deſunt, qui putent id eſſe poſsibile ſaltẽ miraculoſe. Ita Gabr. in 4. diſ. 10. dub. 3. apud noſtrum Turrian. de Fide diſp. 8. dub. 3. & nõnulli recẽtior. Pro huiꝰ difficultatis enodatione.

37 Pono 1. idem, quod docui ſupra diſp. 9. n. 13. nempe obiectũ repreſẽtari formaliter intellectui per ſpeciẽ expreſſam vt illi vnitã, ſiue intellectio formaliter cõſiſtat in tali ſpecie ſola, ſiue in ſola actione, per quã producitur, ſiue in vtraque. Pono 2. ſpeciẽ expreſſã poſſe produci à ſolo Deo in intellectu ſine cõcurſu actiuo ipſius intellectus. Id probatũ eſt ibidem n. 62.

38 Pono 3. quãdo intellectus cõcurrit efficienter ad productionem ſpeciei expreſſæ pertinentis ad iudicium, dupliciter cõtingere poſſe talẽ productionẽ. Primò, ita vt obiecto iudicij ſufficiẽter propoſito vel per apprehenſionẽ terminorũ, vel per præmiſſas, vel per teſtimoniũ extrinſecũ intellectus à ſe ipſo, vel à volũtate intelligẽtis determinetur ad eliciẽdã talẽ ſpeciẽ expreſſam. Secundo, ita vt obiecto iudicij nullomodo, vel ſaltem non ſufficiẽter propoſito determinetur intellectus à Deo ad ſpeciẽ expreſsã producẽdã, quod quidẽ præſtare poteſt Deus tribuẽdo illi cõcurſum tunc tẽporis indebitũ eo modo, quo diſp. 7. n. 47 diximus, poſſe Deũ determinare potentiã intellectiuã ad eliciẽdã intellectionẽ ſine ſpecie impreſſa; quia videlicet poteſt cõcurſũ, qui aliàs, ſi adeſſent omnia requiſita ad operandũ, eſſet debitus, tribuere, quãdo ex defectu requiſitorum eſt indebitus. Pono 4. quãdo intellectus ſe determinat ad iudicium, dupliciter cõparari poſſe ad aſſenſum, & diſſenſũ circa idẽ obiectũ. Primò, ſi actu cognoſcat (id, quod eſt lumine naturæ notũ) nullã rem poſſe ſimul eſſe, ac nõ eſſe. Secundò, ſi diſtractus id non conſideret actu. His poſitis.

39 Dico 1. in nullo caſu cõiungi poſſunt adhuc de potentia Dei abſoluta aſſenſus, & diſſẽſus circa idẽ omnino obiectũ taliter, vt vterque ſit ſimul verus. Id eſt certum apud omnes. Ratio eſt clara; quia actus cõſtituitur verus ex eo, quod obiectũ detur eo modo, quo affirmatur, aut negatur per illũ actũ: ergo ad hoc vt duo actus, quorum vnus dicit, *Petrũ eſſe*, & alter dicit, *Petrũ non eſſe*, ſint ſimul veri, eſt neceſſariũ, quod ſimul ſit Petrus, & nõ ſit: ſed implicat, Petrũ ſimul eſſe, & non eſſe: ergo & dari tales actus ſimul veros. Idẽ dicẽdum eſt, ſi vterque actus ſit ſimul falſus: quia ſicut implicat duo cõtradictoria eſſe ſimul, ita etiã implicat, nullũ ex illis eſſe, iuxta principium illud per ſe notiſsimum, *Quodlibet eſt, aut non eſt.*

34 Dico 2. ſi Deus ſe ſolo producat ſpeciẽ expreſſam aſſenſus, & diſſenſus, poteſt vterque ſimul coniungi in eodẽ intellectu circa idẽ omnino obiectũ, dũmodo vnus ex illis ſit falſus, & alter verus.

Hoc

Hoc vltimũ ex ſuppoſitione; quod tales actus cõiungãtur, eſt neceſſarium, vt cõſtat ex num. præced. Quod vero poſsint coiungi in eodem intellectu modo dicto, facile probatur; quia ex eo, quod Deus producat ſimul in eodẽ intellectu vtranque illã ſpeciẽ expreſſam, nullũ ſequitur contradictoriũ ex parte obiecti: neque enim ad hoc, vt eo modo cõiungantur tales actus, eſt neceſſariũ, quod obiectũ ſimul & ſit, & non ſit, vt cõſtat ex dictis. Neque ſequitur vllũ contradictoriũ ex parte intellectus: quia ex vna parte intellectus nõ ſe determinat ad illos, vt ſupponimus; ſed ſolus Deus illũ determinat: ex aliã verò ipſi actus nõ opponuntur contradictorie inter ſe, quia vnus nõ eſt negatio alterius; ſed vterque eſt entitas poſitiua: ergo nõ eſt, vnde repugnet in eodem intellectu coniunctio talium actuũ. Idẽ exiſtimo dicẽdũ, quãdo intellectus cõcurreret efficienter ad tales actus, ita tamẽ, vt neq; à ſe ipſo, neq; à volũtate intelligentis determinaretur ad illos eliciẽdos; ſed à ſolo Deo: in hoc enim caſu eadẽ ratio eſt, ac in præcedẽte.

41 Dico 3. ſi intellectus actu noſcat principiũ illud per ſe notũ, *Impoſsibile eſt eadẽ rem ſimul eſſe, & non eſſe*, non poteſt ſe determinare ad eliciendũ aſſenſum, & diſſenſum ſimul circa idẽ omnino obiectum; imò neq; determinari poteſt à ſua voluntate. In hanc concluſionẽ conſentiunt fere omnes authores. Omiſsis rationibus aliorum, Probatur: quia ſemel cõceſſis præmiſsis, eſt neceſsitatus intellectus ſaltẽ quoad ſpeciẽ ad aſſentiendũ concluſioni, quæ legitime ſequitur ex præmiſsis. Id eſt certum apud omnes, & cõtinetur in ipſa eſſentia ſyllogiſmi, qui dicitur eſſe *Oratio, in qua, quibuſdã poſitis, aliud quidpiam neceſſario* (ſaltẽ quoad ſpeciẽ) *ſequitur*, &c.

42 Itaque ſi ſemel intellectus aſſentiatur præmiſsis, licet poſsit in exercitio abſtinere ab actu cõcluſionis, nequit tamẽ inclinari in actũ oppoſitũ concluſioni: quia id eſt eſſe determinatũ intellectum quoad ſpeciem, vt diximus ſupra diſp. 14. n. 60. ergo ſi ſemel poſito in intellectu hoc aſſenſu, *Nulla res ſimul eſt, & nõ eſt, ſeu caret eſſe*, affirmat intellectus, *Petrus eſt*, erit neceſsitatus ſaltẽ quoad ſpeciem ad concluſionẽ, quæ legitime infertur ex his præmiſsis: concluſio autẽ legitima eſt, *ergo Petrus nũc non caret eſſe*: ergo nõ poterit ipſe intellectus elicere eius cõtradictoriũ: atqui contradictoriũ illius eſt *Petrus nunc caret eſſe*: ergo, ſi, ſemel poſito illo principio euidẽte, intellectus habeat aſſenſũ circa eſſe Petri, nõ poteſt habere diſſenſum circa idem eſſe Petri.

43 Hæc videtur mihi demonſtratio noſtræ cõcluſionis. Et quidem, ſi ſemel poſito illo principio poſſet intellectus ſe determinare ad aſſenſum, & diſſenſum circa idẽ omnino obiectũ, nulla eſſet vis ſyllogiſtica ad cõuincendã veritatẽ: quia, cum intellectus poſſet ſimul aſſentire, & diſſentire eidẽ obiecto, non poſſent præmiſſæ, quantumuis eui-

euidentes illum cogere ad nō negandam conſequentiam: ergo nihil vnquā conuincerent præmiſſę.

44 Quod autē, intellectus ſic diſpoſitus non poſsit à ſuâ voluntate determinari ad diſſenſum cōiungendū ſimul cū aſſenſu, eſt certum: quia potentiæ diſtinctæ à voluntate nō ſubduntur ipſi volūtati in eis operationibus, ad quas ipſę ex natura ſua ſunt determinatę, vt cōſtare poteſt inductione: ſed intellectus ex natura ſua eſt determinatus ad nō diſſentiendū concluſioni poſitis præmiſsis: ergo non poteſt determinari à volūtate ad talem diſſenſum.

45 Prędicta cōcluſio non ſolū eſt vera loquendo naturaliter; ſed etiā de potētia Dei abſoluta: quia licet Deus de potentia abſoluta poſsit determinare intellectū ſimul ad aſſenſum, & diſſensū, vt dictum eſt in 2. concl. nō tamē poteſt facere, quod intellectus, ſemel poſito illo principio per ſe noto, ſe determinet, aut determinetur à voluntate ad vtrunq; ſimul: quia, vt dictū eſt, ſi poſito illo principio, intellectus eliciat aſſenſum circa eſſe Petri, ex natura ſua eſt neceſſitatus ad nō eliciēdū diſſensū circa idē eſſe Petri: ergo non poteſt fieri de potētia Dei, quod ad talē diſſenſum determinetur, niſi illi addatur ſupernaturaliter aliquid, quod eum determinet, quādo quidē ex ſe potius habet determinationē ad oppoſitū: ſi autē illi ſupernaturaliter addatur aliquid, quod eum determinet, iam ipſe nō determinabitur à ſe, aut à volūtate: ergo adhuc de potētia Dei nō poteſt fieri, quod in caſu poſito ſe determinet intellectus ad coniungendum diſſenſum cum aſſenſu circa idem omnino obiectum.

46 Dices: poteſt fieri, quod cū præmiſsis, quæ inclinant ad aſſenſum, cōiungātur aliæ, quę inclinēt ad diſſenſum: ergo in eo caſu poterit intellectus ſe determinare ad vtrunq; ſimul. Admiſſo antecedēte (de cuius veritate nō curo modo) nego cōſequentiā, ſi in eo caſu intellectus actu admittat illud principiū, *Impoſsibile eſt, rē eſſe ſimul, & nō eſſe*: quia, cū clare videat, nō poſſe ſimul cōiungi in rerū natura eſſe, & nō eſſe rei, pro cōperto debet habere, aliquas ex illis prǣmiſſas eſſe falſas: atq; adeo ſuſpendet iudiciū cōcluſionis, quouſque, veritate illarū præuio examine perpenſâ, in cōcluſionē earū, quas deprehenderit veras, ſe determinet.

47 Dico 4. ſi intellectus actu nō aduertat ad illud cōmune principiū, *Impoſsibile eſt, eādē rem ſimul eſſe, & non eſſe*, poterit ſimul ſe determinare ad aſſenſum, & diſſenſum circa idem omnino obiectum. In hunc ſenſum intelligēdū puto Gabr. & nonnullos recentiores, qui dicunt, poſſe ſimul coniungi naturaliter aſſenſum, & diſſenſum in eodē intellectu circa idem omnino obiectū. Probatur: quia ratio, propter quā intellectus nō poteſt ſe determinare ad aſſenſū, & diſſenſum ſimul, eſt, quia nō poteſt iudicare coexiſtere ſimul ea, quę videt ſibi inuicē cōtradicere: ſed in caſu poſito non aduertit ea duo

duo ſibi inuicē contradicere, quia non aduertit repugnare inter ſe *eſſe*, & *non eſſe* eiuſdem rei: ergo non eſt, cur non ſe determinet ad aſſenſum, & diſſenſum ſimul. Hinc eſt, quod, quando quis, conceſſis præmiſsis, negauit cōſequentiam legitime ex illis illatam, deducimus illum ad impoſsibile, vt viſā contradictione ortā ex his, quæ conceſsit, ac negauit, reſipiſcat à primo iudicio, & velit nolit, concedat conſequentiam, quam antea negauerat.

SECTIO VIII.

De Opinione, Fide, Dubio, Formidine, & Suſpicione.

48 Opinio eſt *Actus intellectus deductus ex principijs, quæ ex ſe neque impediunt dubium, aut formidinem circa obiectum, neque determinata ſunt ad eliciendum actum verum.* Per primam partem definitionis diſtinguitur *Opinio* à cognitione euidēte morali, ſeu phyſica: quia licèt iſtæ poſsint admittere falſitatem abſolute loquendo, vt conſtat ex dictis diſp. 15. num. 8. & 9. oriuntur tamen ex principijs, quæ vel moraliter iuxta regulas prudentiæ; vel phyſice, hoc eſt, ſtādo principijs phyſicis rerum, ex natura rei non-poſſunt admittere dubium circa ſuum obiectum: & propterea non cenſentur actus opinionis; ſed euidentes. Per ſecundam partem definitionis differt *Opinio* ab actu certo, qui, vt diximus ibidem num. 21. oritur ex principijs ex ſe determinatis ad eliciendum actum verum; ſecus *Opinio*, quæ licet probabiliter aſſentiatur ſuo obiecto, poteſt nihilominus eſſe falſa.

49 Fides eſt *Actus, quo quis aſſentitur obiecto propter teſtimonium alterius, quem veracem putat.* Itaque obiectum formale, quo nititur actus fidei, includit & teſtimonium, & veracitatem alterius: in qua veracitate cōtinetur, & quod teſtificans non decipiatur, & quod non velit decipere. Quod autem hæc omnia requirantur, vt credamus, facile probatur; nam, ſi alter non teſtificetur aliquid, fidem non adhibebimus illi, quantumuis verax ſit. Deinde ſi teſtificetur aliquid & exiſtimetur decipi, aut velle decipere, non habebit fidem apud audientes: ergo ad fidem requiritur & teſtimoniū alterius, & quod exiſtimetur non decipi, aut velle decipere. Dicuntur autem hæc omnia pertinere ad obiectum formale fidei, quia illis mouemur ad prębendum aſſenſum teſtificatis. Et quidem pertinent ad obiectum formale proximum: quia actus fidei ita nititur illis, vt immediate attingat illa ſimul cum obiecto. *Fides* diuiditur in *Diuinam*, & *Humanam*. *Diuina* nititur teſtimonio & veracitate Diuinâ, & fallere nequit, quia teſtimoniū Diuinum, quo nititur, eſt omnino infallibile vt pote ortum à Deo, qui neque falli, neque fallere poteſt. *Fides humana* nititur teſtimonio, & veracitate humana, & eſt fallibilis quia teſtimonium humanum, quo nititur, oritur ab homine, qui falli, & fallere poteſt. Sub no-

nomine fidei humanę comprehende eam, quæ adhibetur Angelo, & cuilibet creaturæ peccabili.

50 Hic eſt difficultas: An actus fidei vt talis deduci poſsit per diſcurſum. De quo late Theologi in tractatu de Fide. Breuiter tamen dicendum eſt, actum fidei vt talem non poſſe deduci per diſcurſum. Ratio eſt: quia actus Fidei vt talis nititur veracitate & teſtimonio dicentis ſecundum ſe ſumptis tanquam obiecto formali: atqui concluſio per diſcurſum deducta vt deducta per diſcurſum non poteſt niti teſtimonio, & veracitate dicentis ſecundum ſe ſumptis: ergo &c. Maior eſt certa: quia, eo ipſo quod nobis prudenter proponitur teſtimonium, & veracitas dicentis, etiamſi hæc nō ſint diſpoſita in figura aliqua ſyllogiſtica, aſſentimur ſæpe rei teſtificatæ; atque adeo non mouent ad aſſenſum ratione diſpoſitionis ſyllogiſticæ; ſed præciſe ratione ſui.

51 Minor vero probatur in hoc ſyllogiſmo: *quidquid Deus dicit, eſt; Deus Chriſtum Dominum dicit hominem; ergo Chriſtus Dominus eſt homo*, in quo datur concluſio, quæ, licet nitatur teſtimonio Dei; non tamen ſecundum ſe ſumpto; ſed prout vnito cū extremis in præmiſsis. Vnde obiectum formale talis concluſionis non tā eſt teſtimoniū Dei, quā vnio illius cū extremis; ex hac enim conuincitur intellectus ad aſſentiendum per concluſionem vnioni extremorum inter ſe: ergo talis concluſio non eſt actus fidei.

52 Confirmatur: quia obiectum cognitum per præmiſſas nō tribuit ſecūdum ſe certitudinem, aut incertitudinem concluſioni; ſed ratione præmiſſarum, per quas cognoſcitur: & ideo ſi cognoſcitur per præmiſſas certas, & euidentes cauſat concluſionem euidentem; probabilem vero, & incertam, ſi cognoſcatur per præmiſſas probabiles, vt fatentur omnes: ergo ſi reuelatio, aut teſtimonium dicentis non mouet ad aſſenſum rei teſtificatæ, niſi per diſcurſum, non tribuet certitudinem tali aſſenſui ratione ſui; ſed ratione præmiſſarum, per quas immediate attingitur: atqui reuelatio Diuina non tribuit certitudinem aſſenſui credendi ratione cognitionum, per quas proponitur intellectui; ſed ratione ſui immediate; alioqui non haberet certitudinem Theologicam, ſiquidem non deſumeretur ex Deo; ſed ex modo attingendi Deum: ergo talis reuelatio non mouet ad aſſenſum Fidei per diſcurſum; ſed immediate ratione ſui.

53 Hinc fit 1. teſtimonium, & veracitatem dicentis debere attingi immediate per ipſum actum fidei: alioqui non poterunt ſecundum ſe ſumpta eſſe obiectum formale illius. Fit 2. quod quamuis præmiſſæ eliciantur ab habitu infuſo fidei (quod quidem tunc continget, quando aſſenſus præbeatur illis, quia reuelatæ ſunt à Deo) concluſio tamen non elicietur ab ipſo habitu, neque ad illum pertinebit tanquam actus proprius

prius illius. Ratio eſt clara: quia ad habitum fidei infuſæ ſolū pertinēt actus, qui nitūtur motiuo formali ipſius fidei, quod quidē eſt teſtimonium infallibile Dei: ſed ille actus non nititur teſtimonio Dei: ergo non pertinet ad habitū fidei.

54 Dices, illum actum niti teſtimonio Dei, quia nititur præmiſſis, quæ proxime nituntur ipſo teſtimonio Dei, quod quidem ſufficiet, vt dicatur pertinere ad habitum fidei tanquam actus proprius illius. Sed contrà: ille actus pertinere debet ad habitum, ad quem pertinet obiectum formale proximum illius: ſed obiectum formale proximum illius non pertinet ad habitum fidei, ſed ad habitum Theologiæ: ad illū enim pertinet actus nitens teſtimonio Dei; ad iſtum vero actus nitens præmiſſis, quarum altera, vel vtraque ſit de fide: ergo &c. Confirmatur: quia concluſio deducta ex principijs non pertinet ad habitum principiorum; ſed ad habitum ipſius concluſionis, hoc eſt, ad habitum ſcientiæ, quæ proxime nititur illis principijs: ergo idem dicendum eſt de concluſione deducta ex præmiſſis de fide. Antecedens eſt certum inter omnes philoſophos ſubſcribentes Ariſtoteli. Id, quod dictum eſt de Fide Diuina, dicendum etiam eſt de fide humana, quę quidem ab opinione differt in eo; quod opinio nititur ſuo obiecto propoſito per præmiſſas probabiles; fides vero humana nititur teſtimonio humano immediate attingendo illud.

55 *Dubium*, aut *heſitatio* eſt *Actus intellectus iudicans, neutrā partem contradictionis ſufficienter oſtendi, & propterea neutri eſſe præbendum aſſenſum.* Hinc eſt, quod dubium pugnat cum determinato iudicio alterius partis. *Formido* eſt *Actus reflexus, per quem iudicamus, propoſitionem, cui aſſentimur, poſſe eſſe falſam.* Hæc opponitur cum determinato iudicio alterius partis contradictionis, dummodo non ſit certum, aut euidens.

56 *Suſpicio* eſt *Actus intellectus, quo iudicamus probabile eſſe hoc, aut illud fieri.* Vt cum ego iudico, probabile eſſe, ſeruum ea, quæ domi ſunt, furari. Quod ſi leui fundamento nixa ſit talis *ſuſpicio*, erit temeraria; probabilis vero, ſi probabili fundamento nitatur. Hæc differt ab opinione, quia *opinio* vni parti contradictionis directe aſſentitur; *ſuſpicio* vero nulli parti directe aſſentitur; ſed reflexe iudicat, vnam ex partibus contradictionis eſſe probabilem, in quo etiam differt à *dubio*, quod quidem reflexe iudicat, neutram partem contradictionis eſſe probabilem. Hæc de natura, & quidditate prædictorum actuum. Modo examinandū eſt: an oppoſitionem habeant inter ſe, & cum ſcientia?

Digitized by Google

SECTIO IX.

De Oppoſitione prædictorum actuū ſecundum ſe.

57 PRimo certum eſt, *Dubiū*, & *Formidinem* non poſſe componi cum Fide Diuina circa idem obiectum. Hæc enim aſſentitur obiecto propter teſtimoniū Dei vt omnino infallibile: ergo certum conſtituit cognoſcentem de veritate obiecti: ſed cum certitudine de veritate obiecti non poteſt componi *dubium*, aut *formido* circa veritatem talis obiecti: ergo &c. Minor probatur: quia, qui certus eſt de veritate obiecti, iudicat non poſſe aliter ſe habere; qui vero dubitat, aut formidinem habet, iudicat poſſe aliter ſe habere: ſed non poteſt quis ſimul iudicare, rem aliquam poſſe, & non poſſe aliter ſe habere; haberet enim ſimul aſſenſum, & diſſenſum circa idem obiectū, quod impoſsibile eſſe probauimus ſupra num. 41. ergo ſimul cum Fide Diuina non poteſt coniungi dubium, aut formide circa idem obiectū. Quod intellige, niſi quis alio diſtractus nō aduerteret opponi interſe hoc, quod eſt ſimul poſſe, & non poſſe rē aliter ſe habere, quia in tali caſu dicendum eſt idem, quod de diſſenſu, & aſſenſu diximus ſupra num. 47. Id quod dictum eſt de Fide dicendum eſt de *Scientia*, videlicet, quod non poſſe componi ſimul cum *Dubio*, & *formidine* circa idem obiectum.

58 Certum eſt 2. non poſſe componi *Dubium* cum *Opinione*, aut *Fide humana* circa idem obiectum: quia qui opinionem elicit, habet aliquod fundamentum, ratione cuius aſſentiatur alteri parti contradictionis: ergo non poteſt habere iudicium affirmans nō eſſe fundamentum ad aſſentiendū vni ex illis partibus, ac per conſequens non poteſt habere *dubium*, quia hoc conſiſtit in tali iudicio. Conſequentia patet: quia alioqui iudicaret, ſe habere fundamētum ad aſſentiendum, quandoquidem aſſentiret propter illud; & ſimul iudicaret, ſe non habere fundamētum: quod implicat, vt ex dictis conſtat. Certum eſt 3. *Formidinē* non opponi cum *Opinione*, aut *Fide humana*; quia iſtis actibus poteſt ſubeſſe falſum: ergo illis exiſtentibus poteſt quis iudicare, propoſitionem, cui aſſentitur, poſſe eſſe falſam.

59 Difficultas ergo eſt: An poſſint dari ſimul *Scientia*; & *Fides* aut *opinio*, de eodem obiecto. Prima ſententia aſſerit, non poſſe cōiungi in eodem intellectu Scientiam, & Fidem de eodem obiecto adhuc per diuerſa media, & motiua. Hanc tenent Caiet. 2. 2. q. 1. art. 4. & 5. & reliqui Thomiſtæ ibi, Scotus in 3. diſt. 24. q. 1. P. Mol. 1. p. q. 1. ar. 2. diſp. 4. & alij. Probatur 1. quia fides eſt obſcura; actus vero ſcientificus clarus, & euidens: ſed claritas, & obſcuritas circa idem obiectum contradictorie opponuntur: ergo non poſſunt tales actus coniungi ſimul in eodē intellectu. Secundo: quia

Digitized by Google

fides eſt argumentum non apparentium: ergo non poteſt coniungi cum cognitione euidenti. Tertiò: quia quādo illuminat ſplēdidiſsima lux Solis, nihil efficit lux exiguæ candelæ: ergo in præſentia actus ſcientifici ſaltem intuitiui, qui eſt clariſsimus, nihil operatur fides, quæ eſt obſcura.

60 Dico 1. de eodem obiecto materiali per diuerſa media poſſunt dari ex natura rei ſimul in eodem intellectu actus Fidei Diuinæ, & actus euidens naturalis ſiue intuitiuus, ſiue abſtractiuus. Ita P. Salm. ad Hebr. diſp. 21. ad 4. dub. P. Suar. diſp. 3. de Fide ſect. 9. n. 7. & alij. Probatur: quia ſi prædicti actus coniungi non poſſent, maxime, quia ſtante vno ſuperfluit alius; vel quia inter ſe opponantur: atqui ex nullo ex his capitibus repugnat eorum coniunctio ex natura rei: ergo nō eſt, vnde repugnet. Minor probatur: & quidē facile quoad priorē partē: quia per actum euidentē naturalem clarius cognoſcitur obiectum, quam per fidem ſupernaturalem, vt notum eſt: deinde per fidem ſupernaturalem certiùs attingitur, quam per actum euidentem naturalem, vt cōmuniter docent authores, quibus ſubſcripſi ſupra diſp. 15. ſect. 3. n. 30. ergo aliquē effectū tribuit quilibet ex illis actibus, quem non præſtat alter: ergo nullus ex illis poteſt dici ſuperfluere in præſentia alterius: neque enim dici poteſt ſuperfluere in præſentia alterius id, quod muniat, quod alterum exercere non poteſt. Adde, quod, licet nullus ex illis clariùs, aut certiùs obiectum attingeret, tamen nullus dici deberet ſuperfluus; quia vnus tendit in obiectum per diuerſum medium, ac alius: atque adeo quilibet ex illis præſtat effectum diuerſæ rationis, ac alter.

61 Deinde probatur, ſecunda pars illius minoris propoſitionis ſupra adductæ numer. 60. nempe non opponi inter ſe actum Fidei Diuinæ, & actum euidentem naturalis ordinis: quia actus intellectus non opponuntur, niſi ratione alicuius oppoſitionis, quę vel in ipſis reperiatur, vel ex ipſis refundatur in obiectum: at prædicti actus non opponuntur ratione oppoſitionis, quæ ex ipſis refundatur in obiectum, quia, cum vterque ſit affirmatiuus, non poteſt deduci ex illis, quod obiectum ſimul ſit, & non ſit, ſicut deducitur ex aſſenſu & diſſenſu, neque vlla alia refundi poteſt in obiectum: deinde non opponuntur ratione alicuius oppoſitionis, quæ in ipſis reperiatur; quia, ſi aliqua, maxime, quod vnus ſit obſcurus, ſiue non clarus, & alter clarus: atqui claritas, & obſcuritas, ſiue non claritas non opponuntur in eodem intellectu adhuc circa idem obiectū materiale, ſi ſint in diuerſis actibus, & per diuerſa media, ſeu motiua formalia: ergo &c. Minorem probo: quia apprehenſio, & iudicium poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu reſpectu eiuſdem obiecti, vt fatentur omnes, & tamen iudicium eſt affirmatio, aut negatio;

tio; apprehenſio vero non eſt affirmatio, aut negatio: ergo, licet fides attingat obiectum obſcure ſeu non clare, & actus euidens clare, non opponentur in eodem intellectu, adhuc reſpectu eiuſdem obiecti: neque enim eſt maior ratio vnius, quam alterius.

62 Dico 2. poteſt in eodē intellectu dari Fides Diuina ſimul cum actu euidente ſupernaturali, ſiue intuitiuo, ſiue abſtractiuo circa idem obiectum materiale per diuerſa media: Ita P. Hurt. hìc diſp. & P. Arr. hic diſp. 6. n. 107. & alij. Probatur argumentis adductis pro 1. concl. Probatur deinde, quia exiſtente actu euidente ſupernaturali in meo intellectu, poteſt mihi proponi reuelatio Dei veracis mihi teſtificantis idē obiectum, quod cognoſco per actum illum euidentem: cur ergo non poterit mea voluntas per piū affectum determinare intellectū, vt aſſentiatur illi obiecto propter teſtimonium Dei?

63 Dices: quia in præſentia actus euidentis præſertim intuitiui non poteſt teſtimonium extrinſecum mouere ad aſſentiendū obiecto viſo. Certe ego neſcio, cur nō poſsit? Et quidem experientiā noui me videntem intuitiue lucem aſſentire exiſtentiæ illius propter teſtimoniū alterius hominis. Et ratio à priori id ſuadet: quia teſtimonium dicentis monet ad fidem ratione veracitatis illius, qui rem teſtificatur: ſed in præſentia actus intuitiui non minuitur veracitas teſtificantis, & adeſt teſtimonium eius, vt ſupponimus: ergo non eſt, cur non poſsit mouere intellectū ad aſſentiēdū obiecto. Id quod dictū eſt de actibus *Fidei*, & *Scietiæ*, dicēdū eſt de habitibus illis reſpōdentibus: quia, ſi actus non opponuntur, multo minus opponentur habitus.

64 Ex his colliges, nō ſolū Fidē Diuinā; ſed etiā fidē humanā poſſe cōiungi in eodē intellectu ſimul cū actu euidente tā naturali, quā ſupernaturali; tā intuitiuo, quā abſtractiuo circa idem obiectum materiale. Rationes enim adductæ pro 2. concl. id etiā probant. Dices: *Opinio*, & *Fides humana* ſunt aſſenſus obiecti cū formidine: ſed *Formido* nō poteſt coniungi cum actu euidenter attingēte obiectū: ergo neq; *Opinio*, & *Fides humana*. Reſpondeo, *Opinionē*, & *Fidē humanā* eſſe aſſenſus, qui quidem nō inuoluunt in ſuo intrinſeco cōceptu formidinem; ſed, quatenus eſt ex ſe, illā cauſant, ſeu ſecum admittunt, ſi non detur aliquod impedimētum; cū autem datur actus euidens circa idem obiectū, impeditur formido per talē actū, & propterea dantur in eo caſu fides, & opinio ſine formidine: quia, licet iſta opponatur cū euidētia, illæ tamē ſecundū ſe non opponuntur cū ipſa euidentia, vt probatum eſt.

65 Nunc facile ſoluentur argumenta 1. ſententiæ. Ad 1. cōceſſā maiori, diſtinguo minorem: claritas, & obſcuritas circa idē obiectū opponantur cōtradictorie reſpectu eiuſdem actus, concedo: reſpectu diuerſorum, negó minorem: & dein-

Digitized by Google

deinde nego conſequentiã. Ad ſecundum diſtinguo antecedens: Fides eſt argumentum non apparentium per [illegible] ium ipſius Fidei, cõcedo; per aliud medium, nego antecedens. Hac ratione explicandi ſunt PP. qui dicunt fidem eſſe, qua credimus, quod nõ videmus, & alia ſimilia: intelligendi enim ſunt ita, vt ſolum negent, nos credere per idem medium, per quod videmus. Itaque non eſt de eſſentia Fidei, quod, quando ipſa eſt in aliquo intellectu, non appareat illi ſuum obiectum per vllum medium; ſed ſolum, quod non appareat per mediũ, quod eſt propriũ fidei: cum quo recte componitur, quod appareat per aliud medium: ſicut cũ apprehẽſione, quæ eſt actus nõ affirmans, aut negans ſuum obiectum, recte componitur iudicium affirmans, ſeu negans idem obiectum.

66 Tertium argumentũ deſumptum ex luce exiguæ candelæ in præſentia ſplendidiſsimæ lucis Solis, certe nullius eſt momẽti: quia vel exigua candela habet intenſiorem lucem, quã medium illi approximatum, & in tali caſu augebit aliquantulum in illo lucem, quia, cum ex vna parte habeat virtutem ad illud augmentum producendũ, vt ſupponimus; & ex aliâ talis virtus non ſit occupata in conſeruandis gradibus inferioribus, quia iſti conſeruantur à Sole, non eſt, cur non producat de facto tale augmẽtum. Si vero exigua illa cãdela nõ habet intenſiorem lucem, quam medium; ſed ſolum æqualem, vel minorem, nullũ augmentum intenſionis producet in ipſo medio, quia nullum agens poteſt intendere paſſum æquè, vel magis intenſum, vt diximus in lib. de Gen.

67 Fides vero non illuminat intellectum producendo aliquid in illo; ſed illum informando: cum autem effectus formalis illius non opponatur cum effectu formali viſionis, non eſt, cur non poſsit eſſe ſimul cum illo in eodem intellectu. Et quidem ſi viſio, & fides nõ poſſent eſſe ſimul ex eo, quod viſio eſt clariſsima, & fides nõ adeo clara, repugnaret etiam viſio intuitiua cum ſcientia abſtractiua eiuſdem obiecti: quia illa reſpectu iſtius ſe habet, vt lux ſplendidiſsima reſpectu lucis exiguæ admodũm, & imperfectiſsimæ. atqui hæ cognitiones non pugnant inter ſe (cum cõiunctæ fuerint in Chriſto Domino, qui plura ex ijs, quæ per ſcientiã infuſam intuitiue cognoſcebat, cognoſcebat ſimul per notitiam abſtractiuam per ſenſus acquiſitam, vt docent Theologij) ergo neque *Viſio*, & *Fides*.

68 Rogas: An idem actus poſsit eſſe ſcientia & fides de eodem obiecto materiali per diuerſa media aliàs adæquata? v. gr. ſi poſitis præmiſsis euidentibus, ex quibus euidenter deduci poſſit, dari vnum Deum, proponatur mihi reuelatio Dei id teſtificantis, potero ne vno, & eodem actu aſſentire illi veritati per præmiſſas euidentes, & per teſtimonium Dei dicentis? Respondeo affirmatiue cum P. Arria. diſp. 6 [illegible] An.

ſect.

ſect. 6. ſubſect. 3. Id mihi perſuadeo: quia, ſi duæ cauſæ phyſicæ alias adæquatæ reſpectu vnius effectus ſimul applicentur, poſſunt illum ſimul producere per concurſum indiuiſibilem ab vtraque procedentem, vt docent communiter philoſophi: cur ergo, ſi duo motiua, quorum quodlibet adæquate moueret aliâs intellectum ad aſſentiendum alicui veritati, ſimul applicentur, non poterunt mouere ipſum intellectum, vt per actum indiuiſibilem aſſentiatur illi veritati propter vtrunque? Certe nulla poteſt aſsignari ratio implicationis.

69 Dices: vnunquodque ex illis motiuis eſt ſufficiens ad eliciẽdum adæquate aſſenſum illius veritatis: deinde non opponuntur in eodem intellectu aſſenſus diuerſi illius veritatis propter diuerſa illa motiua: ergo propoſitis illis duobus motiuis elicientur duo actus adæquati propter illa; non vero vnus propter vtrũque. Conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: propoſitis illis duobus motiuis elicientur duo actus adæquati, ſi voluntas determinet intellectum ad duos actus, concedo: ſi determinet ad vnum propter vtrunque motiuum, nego cõſequentiam. Poteſt autem voluntas pro ſuo libito determinare intellectum ad vnũ, vel duos actus: quia non ſolum actus fidei eſt liber quoad exercitium, vt fatentur omnes; ſed etiã concluſio deducta ex præmiſsis euidentibus, vt diximus diſp. 14. ſect. 6. & ideo, propoſitis præmiſsis euidentibus, & teſtimonio Diuino, poterit intellectus ex determinatione voluntatis obiecto reuelato aſſentire vel vno actu indiuiſibili nitente vtroque illo motiuo tanquam obiecto adæquato, vel duobus actibus, quorum quolibet adæquate aſſentiatur eidem obiecto propter vnum ex illis motiuis.

70 Obijcies: ille actus eſſet ſcientia, & fides ſimul; ergo eſſet euidens, & obſcurus ſimul. Antecedens videtur certum; quia niteretur motiuo ſcientiæ, & motiuo fidei. Conſequentia patet: quia de ratione ſcientiæ eſt eſſe euidentẽ, & de ratione fidei eſt eſſe obſcuram: atqui repugnat eundem actũ eſſe ſimul euidẽtem, & obſcurum: ergo repugnat ille actus, qui eſſet ſimul ſcientia, & fides. Reſpondeo, illum actum fore ſcientiam, & fidem, non tamen fore poſitiue & abſolute obſcurum; quia non eſt de ratione fidei, quod ſit abſolute obſcura; ſed ſolũ præciſiue, hoc eſt, quod non habeat claritatem ratione ſui motiui: neq; enim eſt vllum fundamẽtum ad tribuẽdam illi obſcuritatem alio modo, vt docet P. Suar. diſp. 3. de Fide ſect. 9. num. 23. cum Alenſi. 3. p. q. 68. Durand. in 3. diſt. 31. q. 4. vbi etiam Maior & Baſſol.

71 Et in hunc ſenſum explicant Paulum, dum ad Hebr. 11. ait, fidem eſſe *argumentum non apparentium*; videlicet ex motiuo ipſius fidei. Prædictus autem actus, licet ſit euidens, id tamen non habet ex motiuo fidei, ſed ex

mo-

motiuo ſcientiæ, & ideo verificatur de illo, quod ſit obſcurus præciſiue, hoc eſt, quod non ſit clarus ratione motiui fidei. Nihilominus hoc ſufficit, vt dicatur abſolute euidens; non tamē, vt dicatur abſolute obſcurus: quia, cum τὸ *obſcurus* ſit terminus negatiuus (inuoluit enim negationē claritatis) vtpote malignantis naturæ deſtruit omnem claritatem, atque adeo nō poteſt vere applicari niſi actui, qui ex nullo capite ſit clarus: at verò τὸ *euidens* eſt terminus affirmatiuus, qui quidem abſolute verificari poteſt de actu, qui ex aliquo capite habet claritatem, ſicut de eo, qui inter alia accidētia habet albedinē, abſolute verificari poteſt, quod ſit alb⁹.

SECTIO X.

Nonnulla expediūtur de actu practico, & ſpeculatiuo.

71 DE eſſentia actus practici, & ſpeculatiui egi in Log. diſp. vnica proœm. ſect. 8. acturus hic de alijs quæſtionibus ad illos pertinentibus. Rogas 1. An idem actus poſsit eſſe ſimul practicus, & ſpeculatiuus? In primis certum eſt, eundē actum, ſi diuerſa obiecta ſimul attingat, poſſe ſimul eſſe practicum, & ſpeculatiuū: quia, ſi eodem actu quis cognoſcat, hominē eſſe animal, & domū ędificandam eſſe ex lapidib⁹, &c. reſpectu prioris obiecti erit ille actus ſpeculatiuus, & reſpectu poſterioris practicus. Quod verò eādem cognitione poſsit attingi duplex obiectum realiter diſtinctum, probaui ſup. diſ. 12. ſect. 6. Et quod attinet ad Angelos, communiter admiſſū eſt, poſſe vnica cognitione plura obiecta realiter diſtincta attingere.

73 Secundo certū eſt, eundem actū reſpectu diuerſarū formalitatum obiecti poſſe habere ſimul rationē practici, & ſpeculatiui, vt ſi eodē actu cognoſceretur, definitionē eſſe conſtruendam ex genere, & differentia taliter diſpoſitis; &, conuerti cū ſuo definito: ratione huius poſterioris eſſet talis act⁹ ſpeculatiuus; quia ratione huius non dirigit ad illā efficiendā: ratione verò prioris eſſet practicus, vtpotè qui ratione illius dirigeret ad conſtruendam definitionem.

74 Tertiò certū eſt, vnum, & eundē actū reſpectu eiuſdē formalitatis obiecti non poſſe eſſe ſimul practicū, & ſpeculatiuū in eodem ſubiecto: quia de ratione practici eſt, quod ex natura ſua dirigat ad efficiendū ſuum obiectū; de ratione vero ſpeculatiui, quod ex natura ſua dirigat ad ſolā contēplationē veritatis: ſed vnus, & idē actus exiſtens in vno, & eodē ſubiecto non poteſt ſiſtere in ſola contēplatione ſui obiecti, & ſimul dirigere ad illud efficiendum per repræſentationē eiuſdē formalitatis, quia iam non ſiſteret in ſola contemplatione illius formalitatis, ſed tranſiret ad illā efficiendā: ergo, &c. An verô in diuerſis ſubiectis poſſit eſſe practicus, & ſpeculatiuus, dicam infra. Id, quod dictum eſt de actibus, dicendum eſt de habitibus illis reſpondentibus.

75 Rogas 2. an idē actus tranſire poſsit de practico in ſpeculatiuum; &, è contrà de ſpeculatiuo in practicum? Pro reſponſione Noto 1. non eſſe neceſſarium ad rationem actus practici, quod in actu 2. dirigat ad faciendū ſuum obiectum; ſed ſolum, quod ex natura ſua ſit aptus dirigere: neque enim in actu 2. dirigit, niſi quando effectus ſit actu ab agente per directionem eius; & tamen certū eſt, actū proponentē mihi, domū eſſe conſtruendā hoc modo, eſſe practicum, etiamſi actu non concurrā ego ad efficiendā ipſam domum: ergo ad rationē actus practici nō eſt neceſſariū, quod dirigat in actu 2. ad effectum; ſed ſolum, quod ex ſe ſit aptus dirigere. Tunc autem dicitur aptus dirigere, quādo proponit artifici modū operis efficiēdi, ita vt ipſe poſsit vti eâ propoſitione ad tale opus efficiendum.

76 Noto 2. adhuc in ſententia (quam ſecuti ſumus ſuprà diſp. 13 ſect. 3.) aſſerente cognitionē conſiſtere in ſola actione, & paſsione, rationem practici non conuenire proxime, & formaliter actioni; ſed ſpeciei expreſſæ: quia hæc eſt, quæ formaliter repræſentat artifici, quo modo cōſtruenda ſit domus. Noto 3. ſpeciem expreſſam non ſolum connecti eſſentialiter cum obiecto (loquor de creatâ) ſed etiā cum natura intellectiua, a qua elicitur; ſpecies enim expreſſa elicita ab anima rationali, ex natura ſua petit ab illa oriri; &, ſpecies expreſſa elicita ab Angelo petit ex ſe oriri à natura Angelica; &, quæ eſt elicita ab Angelo ſuperiori, petit ex ſe ab illo oriri. Ratio eſt: quia, quo perfectior eſt natura intellectiua, debetur illi perfectior ſpecies expreſſa, hoc eſt, quæ ad plura ſe extēdat obiecta ſimul, vel, ſi ad eadē, maiori tamē claritate: ergo ſpecies expreſſa, quę eſt proportionata naturæ perfectiori reſpondebit illi ex natura ſua, & quæ proportionata eſt imperfectiori, ex ea petet oriri ex natura ſua. His poſitis.

77 Dico 1. ſi actus docens, quo modo faciendū ſit obiectū, ex natura ſua connectitur cum natura reali potente ex ſe in omni ſtatu producere tale obiectū per directionem ipſius actus, erit ex ſe, & eſſentialiter practicus. Ratio eſt; quia talis actus ex natura ſua eſt aptus dirigere eam naturā in quocunque ſtatu ad faciendū ſuū obiectū: ergo ex natura ſua eſt practicus. Cōſequētia patet ex definitione practici. Ex hoc infero, prædictum actum fore practicū, etiamſi natura realis, quam conſequitur miraculoſe priuetur potentia, vel aliter ab extrinſeco impediatur producere obiectum talis actus: neq; enim id ſufficiet, vt ille act⁹, quatenus eſt ex ſe, dicatur impotens dirigere naturam illam in quocunque ſtatu ad faciendum ſuum obiectum. Infero 2. talem actum non poſſe tranſire de practico in ſpeculatiuum, quia in ſua eſſentia conuenit illi eſſe practicū per determinatam connexionem cum natura, quæ in quocunq; ſtatu poteſt ex ſe producere obiectū

tal.s

Digitized by Google

talis cognitionis per directionem huius, vt ſupponimus.

78 Dico 2. actus per ſe conſequens naturā realē ex natura ſua non potentē producere obiectum talis actus per eius directionē in quolibet ſtatu, eſt eſſentialiter ſpeculatiuus. Ratio eſt: quia talis actus ex natura ſua petit ſiſtere in contemplatione veritatis; neque enim poteſt ex natura ſua ordinari ad opus, ſi ſubſtātiæ reali, quam conſequitur, repugnat, quatenus ex ſe eſt, tale opus elicere in omni ſtatu ſibi connaturali.

79 Obijcies: ſi Angelus ex ſe cognoſcens, quomodo producendus ſit homo, aſſumatur à Deo ad illū producendū, dirigetur ad talem productionē per eam cognitionem, quæ ex ſe, & eſſentialiter erat ſpeculatiua iuxta doctrinam traditam: ergo poteſt cōtingere, quod cognitio eſſentialiter ſpeculatiua tranſeat in practicā. Reſpōdeo, dupliciter poſſe intelligi, quod Deus aſſumat Angelum ad producendū hominē. Primò, tribuendo illi potentiā, quā ipſe poſſit per imperiū ſuę volūtatis applicare ad producendū hominē. Secūdò, tribuendo illi cōcurſum ad talē productionē indepēdēter ab imperio voluntatis ipſius Angeli. Si hoc 2. modo cōtingeret nō dirigeretur Angelus ad productionē hominis per cognitionē ipſius hominis: quia cognitio nō aliter dirigit ad producendū ſuū obiectū, niſi proponendo voluntati modū, quo faciendū eſt, vt voluntas per ſuum imperiū determinet potentiā excentricē ad producendū tale obiectū: cum autē in caſu poſito productio hominis nō oriretur ab Angelo depēdenter ab imperio volūtatis eius, nullatenus diceretur dirigi per eā cognitionē: ac per cōſequens neq; ipſa cognitio rationē practicę ſortiri poſſet.

80 Si verò 1. modo contingeret productio hominis ab Angelo, tunc ea cognitio obiret quidē munus cognitionis practicæ; ipſa tamē eſſentialiter, & intrinſece eſſet ſpeculatiua: quia, cū illa potentia productiua nō conueniat Angelo ex natura rei, neque effectus ille per ſe petat oriri ab Angelo, ſemper eſt verū, quod illa cognitio ex natura ſua conſequens Angelū vt quandā ſubſtantiā naturalē, ſiſtat, quatenus eſt ex ſe, in contēplatione veritatis: in hoc autē conſiſtit ratio formalis cognitionis ſpeculatiuæ: ergo ſemper manet ſpeculatiua formaliter: ſicut quantitas manet formaliter quātitas, etiāſi illi auferatur extenſio actualis, quia eſſentia eius non conſiſtit in actuali extenſione; ſed in ſola exigentia talis extēſionis, quæ quidē exigētia perſeueraret adhuc ablatâ extenſione actuali. Neq; in prędicto caſu ea cognitio dici poſſet practica: quia eſſētia practicę cōſiſtit in eo, quod ex natura ſua ſit apta dirigere ad opus; quod quidem neutiquā conueniret illi cognitioni, vt conſtat ex dictis.

81 Dico 3. actus per ſe conſequens naturam rationalem, cui connaturalis ſit duplex ſtatus, in quorum vno ex ſe ſit potens pro-

ducere obiectum talis actus per eius directionem; ſecus in altero, eſt ex ſe practicus, & ſpeculatiuus ſimul. Talis eſt actus cognitionis, quo anima rationalis in hac vita cognoſcit, quomodo facienda ſit ſaltatio (ſuppono animæ rationali eſſe connaturalem tam ſtatum ſeparationis a corpore, quã coniunctionis cum illo, vt conſtat ex diſp. 2. num. 79.) quia non magis connaturalis eſt animæ ſtatus cõiunctionis cum corpore, inquo eſt illi debita potentia ad ſaltandũ, quam ſtatus ſeparationis, in quo illi non debetur talis potẽtia: ergo actus per ſe conueniens animæ (qualis eſt is, de quo loquimur in præſenti) in vtroque ſtatu, per ſe coniungitur in vno cum potentia ad faciendũ eius obiectũ; & in alio cum carentia talis potentiæ: ergo ex ſe eſt potens dirigere animã in vno ſtatu ad faciendũ ſuũ obiectũ, & in alio non eſt ex ſe potens ad talem directionẽ. Patet conſequẽtia: quia tunc actus ex ſe eſt potẽs dirigere animã ad faciendũ ſuum obiectum, quãdo ex vna parte repræſentat illi modum obiecti efficiendi, & ex alia datur ex natura rei in anima potentia ad illud faciendum: ſed in vno ſtatu dantur hæc ex natura rei, & non in alio: ergo in vno eſt ex ſe potens dirigere animã ille act⁹; ſecus in alio: ergo ex ſe eſt practicus reſpectu vnius ſtatus, & ſpeculatiuus ex ſe reſpectu alterius. Hinc colliges, hunc actum eſſe ex natura ſua practicum, & ſpeculatiuum ſimul.

82 Dices: tranſacto ſtatu coniunctionis nõ poteſt ille actus dirigere animam ad operandũ ſuum obiectum: ergo trãſacto illo ſtatu non eſt practicus: deinde in ſtatu coniunctionis non erat ſpeculatiuus: ergo nunquã eſt practicus, & ſpeculatiuus ſimul. Primũ antecedens probatur: quia tranſacto ſtatu coniunctionis nõ habet anima potentiã ad ſaltandũ, imo neque eam poteſt habere ex natura rei, quia no poteſt ex natura rei iterum coniungi cum corpore: ergo non poteſt per illum actum dirigi ad ſaltationẽ: ergo iam non manet ex ſe practicus. Pro reſpõſione aduerto, actum cognitionis in hac vita elicitũ, ex ſe nõ magis petere elici ab anima coniuncta corpori, quã ab anima ſeparata: quia, licet ad primam acquiſitionem ſpecierum dependeat anima à corpore; at poſtquam ſemel eas acquiſiuit, poteſt illis vti ſiue in hac, ſiue in alia vita ad eliciendas cognitiones eiuſdem rationis, vt fatentur communiter authores.

83 Hinc colligo, quenlibet ex iſtis actibus ex natura ſua non magis petere coniunctionem animæ cũ corpore, quã ſeparationẽ: ſed ex ſe eſſe ſemper indifferentẽ ad vtrunque, & ideo ex ſe eſſe indifferentem, vt coniungatur cum potentia ad ſaltandum, vel cum carentia illius potentiæ, ac percõſequẽs, quatenus eſt ex ſe, ſemper eſſe capacẽ dirigẽdi animã ad ſaltationem, vel ceſſandi à tali directione. His poſitis facile ſoluitur obiectio. Diſtinguo primum antecedens; tranſacto ſtatu coniunctionis

ctionis non poteſt ille actus, quatenus eſt ex parte ſui, dirigere animam ad producendum ſuum obiectum, nego: non poteſt ex defectu potentiæ in anima, quem defectũ non magis petit ex ſe actus, quàm ipſam potentiã, concedo antecedens. Et deinde nego conſequentiã; quia, vt ſit practicus, ſufficit, quod actus ille ex natura ſua ſit aptus dirigere ad opus; id autem habet, quando eſt in eo ſtatu (quãuis non habeat prout in illo; ſed ſolum ſecundum ſe) & ideo in illo ſeruat rationem practici. Cæterum quia ille ſtatus, in quo non poteſt dirigere, eſt iuxta naturam talis actus, quia is ex ſe eſt indifferens ad vtrunque, ideo eſt etiã ex ſe ſpeculatiuus, ac per conſequens practicus, & ſpeculatiuus ſimul.

84 Ex dictis colligo: diuiſionẽ actus intellectus in practicum, & ſpeculatiuum non eſſe adæquatã: eſt enim aliud membrum, nempe actus, qui eſt ſimul practicus, & ſpeculatiuus. Dices: differentiæ oppoſitæ non poſſunt ſimul coniungi in eadem ſpecie, ſeu indiuiduo: ſed practicũ, & ſpeculatiuum ſunt differentię oppoſitæ actus intellectus: ergo non poſſunt ſimul dari in eodem actu. Diſtinguo minorem: ſunt differentiæ oppoſitæ in eodem actu reſpectu eiuſdẽ formalitatis obiecti, & eiuſdẽ ſubiecti in eodem ſtatu, concedo; in eodem ſtatu reſpectu diuerſarũ formalitatũ obiecti, ſeu diuerſi ſubiecti, ſeu relate ad diuerſos ſtatus, eiuſdẽ ſubiecti, nego maiorẽ: quia in tali caſu non ſunt eiuſdem de eodem, & ideo non poteſt eſſe oppoſitio inter eas rationes.

85 Tandem aduerto, quod, ſi aliqua ſpecies expreſſa repręſentans aliquod obiectũ producibile ab aliqua natura rationali, & non ab alia, ſit ex natura ſua indifferens ad afficiendam vtranque illã naturam, erit ex ſe practica, & ſpeculatiua ſimul: quia ex ſe erit apta vnã naturam dirigere ad opus, & aliam non dirigere, eo modo, quo philoſophati ſumus de cognitione animæ rationalis illi conuenienẽte in ſtatu coniunctionis cum corpore, & in ſtatu ſeparationis.

DISPVTATIO XVII.

De Voluntate, eius actibus, & obiecti.

1 LOnge, lateq; diſputauimus in præcedentibus de intellectu, eius obiecto, & actibus. Agẽdum reſtat de voluntate, cuius operatio operationẽ intellectus ſubſequitur. Eſt ergo voluntas *Potentia appetitiua ſpiritualis.* Per τὸ *appetitiua* conuenit cum appetitu ſenſitiuo, & differt à potentia cognoſcitiua tam materiali, quales ſunt ſenſus; quàm ſpirituali, qualis eſt intellectus. Eſt autem hoc diſcrimen inter potentiam cognoſcitiuam, & appetitiuam, quod hæc ſuum attingit obiectum per actum, quo ipſa dicitur ferri in illud; & ideo dixit Augu-

gustinus, *Amor meus pondus meũ; illo feror, quocunque feror*: quia videlicet voluntas per ſuum actũ quaſi inclinatur, ſeu trahitur ad obtinendum obiectum. Potẽtia vero cognoſcitiua attingit propriũ obiectum per actum, quo dicitur illud ad ſe trahere: quia, cum actus potẽtiæ cognoſcitiuæ ſit vera obiecti repræſentatio, neceſſarium eſt, quod obiectum fiat præſens potentiæ per talem actum. Deinde additur in definitione. τὸ *ſpiritualis*, vt voluntas diſtinguatur ab appetitu ſenſitiuo; qui quidẽ materialis eſt, & ideo repugnat voluntas, quæ non ſit immaterialis.

SECTIO I.

Quod ſit obiectum adæquatum voluntatis?

2 DVplex actus tribui ſolet voluntati, *amor*, videlicet, & *odium*: ille fertur in bonum, & dicitur *proſecutio*; hic verò in malum, & dicitur *fuga*: vnde obiectũ adæquatum voluntatis eſt bonũ, & malum reale, vel apparens: voluntas enim amat bonum, & odio habet malum, quod illi repræſentatur per intellectum vt tale. Intellectus verò aliquando repræſentat id, quod vere eſt bonum, aut malum in ſe; aliquando vero id, quod ſolum eſt bonum, aut malum per operationem ipſius intellectus fingentis talem bonitatem, aut malitiam.

3 *Bonum*, ſeu *bonitas*, alia dicitur *entitatiua*; alia *conuenientiæ*. Bonitas *entitatiua* eſt integritas prædicatorum eſſentialium cuiuſcunque rei. Hæc eſt, quæ cõmuniter dicitur paſsio entis, & in eo ſolum diſtinguitur ab illo, quod *ens* formaliter vt tale ſolum dicit ſua prædicata eſſentialia; *bonitas* vero formaliter vt talis dicit prædicata eſſentialia vt connotantia amorem, ſeu complacentiam, per quam voluntas complacet de integritate talium prædicatorum: ad eum modum, quo *verum* ſupra ens ſolùm addit connotare actum intellectus, per quem vere cognoſcitur ab ipſo intellectu. Circa hanc bonitatem verſatur voluntas per amorem, ſeu complacentiam, quæ quidem, quando eſt de integritate prædicatorum eſſentialium alicuius naturæ rationalis ſecundum ſe conſideratæ (eo modo, quo dicemus infra ſect. 3. num.) dicitur amor beneuolentiæ: quia bonitas entitatiua naturæ rationalis ſecũdum ſe ſumpta eſt obiectum formaliſsimum, & proprium amoris beneuolentiæ: quando vero eſt de integritate prædicatorum cuiuſuis rei diſtinctæ à natura rationali, & non habetur ex complacentia alicuius perſonæ, ſeu naturæ rationalis, dicitur *amor ſtrictus*.

4 Eſt tamen aduertendum, hos actus non tendere in bonitatem entitatiuam, prout formaliter diſtinctam à ratione entis: bonitas enim entitatiua diſtinguitur formaliter à ratione entis per cõnotationem prædictorum actuũ, vt paulo ante dicebamus: at prædicti

dicti actus non verſantur circa integritatem prout connotantem ipſos; ſed circa illam ſecundum ſe ſumptam, vt experientiâ conſtat: ac perconſequens non verſatur circa bonitatem prout formaliter diſtinctam à ratione entis; ſed circa bonitatem fundamentaliter ſumptam, quæ nihil aliud eſt, quã ratio entis ſecundum ſe, vt in ſimili dicebamus de intellectu, cujus obiectum diximus eſſe *verum* non formaliter; ſed fundamentaliter ſumptum, quod quidẽ nihil aliud eſt, niſi ens ſecundum ſe ſumptum. Vide, quę diximus diſp. 12. n. 32. & 33. Et eodem modo philoſophandum eſt de voluntate tendẽte in bonitatem entitatiuam per actus ſupradictos. *Malum*, ſeu *malitia* oppoſita bonitati entitatiuæ eſt negatio, ſeu carentia entis, circa quam verſatur voluntas per ſimplicem quandam diſplicentiã.

5 Bonum *conuenientiæ* dicitur illud, quod eſt tale reſpectu alterius; quia videlicet eſt alteri congruum, ſeu conueniens. Et eſt triplex, *honeſtum*, videlicet, *delectabile*, & *vtile*. Bonum *honeſtum*, dicitur illud, quod ratione ſui eſt conſonum naturæ rationali vt tali, hoc eſt, prout apta eſt operari ſecundum regulam rectę rationis. Hoc dicitur etiam bonum morale; quia pertinet ad bonos mores; imo per illud conſtituuntur boni mores: bene enim morati homines dicuntur, qui operantur iuxta regulam rectæ rationis.

6 Bonũ *delectabile* dicitur illud, quod eſt conueniens taliter, vt ex ſe ſit cauſatiuũ delectationis. Hac bonitate eſt bonũ, quidquid ratione ſui conſentaneũ eſt, & proportionatũ naturæ cognoſcitiuæ, ſi cognitioni eius ſubeſſe poteſt. Id, quod traditur ab Ariſt. 10. Ethic. c. 4. vbi ait: *Quouſque autẽ ſenſibile, vel intelligibile, & id, quod iudicat, vel contẽplatur, tale fuerit, quale eſſe debet; in operatione inerit voluntas*: ac ſi diceret: quando id, quod per ſenſũ, aut intellectũ percipitur, eſt congruũ, & proportionatũ naturæ cognoſcenti, ex ſe aptũ eſt delectationẽ excitare, ac percõſequẽs delectabile. Idẽ docet S. Tho. 1. 2. q. 32. art. 1 vbi ait: *Reſpondeo, dicendũ, quod, ſicut ſupradictũ eſt, ad delectationẽ duo requiruntur, ſcilicet, conſecutio boni cõuenientis. & cognitio huiuſmodi adeptionis.*

7 Bonũ *vtile* dicitur, quod eſt conueniens, nõ quidẽ ratione ſui; ſed in ordine ad aliud bonũ conſequẽdũ. Talis eſt potio, ſeu ſanguinis emiſsio, quæ quidẽ ſecundũ ſe eſt ſæpe iniucunda; conueniens tamen in ordine ad conſequendam ſanitatem. Hæc tria bonorũ genera poſſunt in eandẽ entitatẽ realẽ conuenire; ſub diuerſa tamen ratione; nam erogatio eleemoſynæ poteſt eſſe honeſta, delectabilis, & vtilis. *Honeſta*, quatenus eſt iuxta regulã rectæ rationis, præſcindendo ab eo, quod moueat ad delectationẽ. *Delectabilis*, quatenus voluntatẽ mouet ad delectationẽ de ipſa erogatione eleemoſynę. *Vtilis* verò, quatenus eſt mediũ cõducens ad cõſequendã beatitudinẽ.

8 Circa hæc tria bonorũ genera verſatur voluntas per amorem, quo ea perſonæ, cui conueniẽtia ſunt, amat ex cõplacentia bonitatis ipſius, qui amor prout ad illa bona terminatus dicitur concupiſcentiæ; beneuolentiæ vero prout terminatus ad bonitatem perſonæ ratione talis bonitatis. Inter bonũ autem honeſtũ, & delectabile ex vna parte, & vtile ex alia, eſt hoc diſcrimen, quod illa duo, cum ſint bona ratione ſui cõuenientia perſonæ amatæ, habent rationẽ finis; bonũ verò vtile, cum non ſit conueniens, niſi in ordine ad aliud conſequendũ non habet rationẽ finis; ſed ſolum medij iuxta dicta in Phyſ. diſp. 16. ſect. 1.

9 Dices: bonũ delectabile nõ eſt conueniens ratione ſui; ſed in ordine ad delectationem, quæ per illud excitatur in appetitu: ergo non poteſt habere rationem finis; ſed ſolũ medij. Nego antecedens: quia licet ex ſe ſit aptum cauſare delectationem in appetitu; per ſe tamen eſt conueniens naturæ, etiamſi de facto non cauſet delectationem: obiectum enim pulchrum per ſe eſt conueniens viſui; etiamſi ex viſione illius non oriatur de facto delectatio in appetitu, imo ex eo appetitus delectatur de viſione obiecti pulchri, quia ſecundum ſe eſt conueniens naturę: ergo non eſt, cur non poſsit amari ratione ſui, & propter ſe ipſum. Bene video, poſſe etiam appeti vt vtile ad excitandam delectationẽ in appetitu, & tunc non habebit rationem finis; ſed ſolum medij amari propter delectationem tanquam propter finem.

10 Huic triplici bono opponitur triplex malum; *inhoneſtum*, videlicet; *iniucundum*; & *inutile*: circa quæ verſatur voluntas per *odium*, qui dicitur *abominationis*; quando ea odit quia mala alicui perſonæ, quã amore proſequitur. Dum vero perſona aliqua ratione alicuius ex iſtis malitijs conſtituitur mala, eſt obiectũ odij *inimicitiæ*, quo eam odit voluntas, quia malitiã in ſe habet. Qua ratione odit Deus peccatores grauiter delinquentes, quia, videlicet, ratione malitiæ in ipſis exiſtentis conſtituuntur mali, & Deo odibiles.

11 Aduerto 1. *bonum honeſtum, & malum* illi oppoſitum eſſe obiecta ſolius voluntatis, quæ eſt appetitus rationalis: quia ad ſolũ appetitum rationalem pertinet operari iuxta, vel contra regulam rectæ rationis. Et idem eſt de bono *vtili*, quia ad amandum bonum vtile vt tale prærequiritur cognitio proportionis mediorum cum fine, ad cuius conſecutionem vtilia ſunt: hæc autem cognitio ſolum videtur inueniri in his, qui ratione vtuntur, vt diximus in Phyſ. diſp. 16. ſect. 4. ergo illis ſolum conuenit appetitus boni vtilis. Secus eſt de bono delectabili; ad hoc enim extenditur appetitus brutorum, quæ quidem & appetunt, quæ iucunda ſunt, & fugiunt iniucunda.

12 Aduerto 2. id, quod malum eſt entitatiue, poſſe ſortiri rationem boni reſpectu alterius; vt

n. 92.

negatio caloris intenſi, quę eſt malum entitatiuum, eſt bona reſpectu mei, quia à me remouet nimiū calorem, qui me torqueret: imo id, quod eſt malum alicui in vno genere, poteſt eſſe bonum illi in altero; vt, dolor, qui eſt malus homini, quatenus illum torquet, poteſt eſſe bonus illi, vt Deo placeat, ſatisfaciat pro peccatis, & gloriam promereatur.

SECTIO II.

An Voluntas poſsit amare malum formaliter vt malum; & odio habere bonum formaliter vt tale.

13 DIximus ſect. præced. voluntatem ferri in bonum per actum amoris, qui *proſecutio* dicitur; & in malum per odiū, qui appellatur *fuga*. Modo inquirimus, an fieri poſsit, quod in malum vt tale (hoc eſt nulla in ipſo conſiderata ratione boni) feratur per actum amoris; & ; è contrà in bonum vt tale (hoc eſt nulla conſiderata ratione mali) feratur per actum odij? Et ſunt, qui dicant voluntatem poſſe per actum amoris, ſeu proſecutionis ferri in malum vt malum. Ita OKam in 3. q. 13. ad 3. dubium. Maior, Angeſto, & alij adducti à P. Vazq. 1. 2. diſp. 35. in idemque inclinatur Scot. ibi adductus, & ſubſcribunt recentiores aliqui ex noſtris.

14 Præcipua probatio eſt: quia, quando quis odio habet inimicum, vult illi malum, quia malum illius eſt ex diſplicētia ipſius: ergo affectu proſecutionis fertur in malum formaliter vt malum: neque enim alia ratione intēdit, ſeu parat inimico mortem, infamiam, &c. niſi, quia malum illius eſt. Cōfirmatur: quia actus odij, & amicitiæ ſunt actus contrarij, & inter ſe oppoſiti, vt fatentur omnes: ergo debent habere obiecta omnino oppoſita; ſed amor amicitię fertur in bonum amici, quia bonum illius eſt: ergo odium debet ferri in malum inimici, quia malum illius eſt.

15 Vera tamen, & communis ſententia eſt, voluntatem nō poſſe per actum amoris, ſeu proſecutionis ferri in malum vt malum. Ita P. Vazq. ſupra cap. 2, vbi pro ſe adducit S. Thom. Caiet. Cōrrad. & recentiores Thomiſtas 1. 2. q. 8. art. 1. quibus ſubſcribit P. Arriaga diſp. 7. de Anim. ſect. 1. ſubſect. 2. Probatur: quia obiectum actus amoris, ſeu proſecutionis eſt bonum: ergo non poteſt amor, ſeu proſecutio tendere in aliquid niſi ſub ratione boni. Conſequentia eſt bona: quia nullus actus poteſt verſari circa id, quod non habet rationem ſui obiecti. Antecedens probatur ex communi Patrum, & Philoſophorum conſenſu, qui omnes vno ore definiunt, amorem non eſſe niſi boni.

16 Prodeat primus Princeps philoſophorum Ariſt. qui pluribus in locis ad nauſeam vſque id tradit. Lib. 1. Et hic cap. 1. ait *omnis ars, omniſque doctrina, atque actus itidem, & intellectio bonum quoddam appetere videntur.* Qua

Digitized by Google

propter bene veteres bonum ipſum id eſſe dixerunt, quod omnia appetunt. Deinde 3. Ethic cap. 4. tex. 23. ait. *Nam ſi ſit affectabile, erit continuo bonum.* Et. 8. Ethic cap. 2. text. 3. *Non enim omne quodnis amari videtur, ſed ipſum amabile: hoc autem* (ſcilicet amabile) *aut bonum* (hoc eſt honeſtum) *aut iucundum, aut vtile eſſe videtur.* Et cap. 5. text. 23. *Nam amabile quidem & id expetibile eſſe videtur, quod eſt abſolute bonum, aut iucundum, &c.* In quibus locis expreſſe tradit ſolum bonum eſſe appetibile, quod eſt idem, ac amabile affectu proſecutionis.

17 Idem docent plures ex PP. Anſelm. lib. de Côc. lib. arb. & præd. *Nihil vult volantas, niſi commoditatem, aut rectitudinem: quidquid enim aliud vult, aut propter commoditatem, aut rectitudinem vult, & ad has, etiamſi fallitur, putat ſe referre, quod vult.* Dioniſ. de Diuinis. nom. ca. 4. *Nemo propoſito ſibi malo facit, quod facit.* Vnde deſumptum eſt prouerbiũ illud ab omnibus receptum, *Nullus intendens ad malum operatur.* Tandem S. Tho. 1. p. q. 19. art. 6. & q. 62. art. 8. ait: *Impoſſibile eſt, quod aliquod malum, in quantum huiuſmodi, appetatur.* Cùm ergo philoſophi, & PP. expreſſe aſſerant, nihil eſſe amabile, ſeu expetibile, niſi bonum, ſentiunt aperte, ſolum bonum eſſe obiectum appetitionis, ſeu proſecutionis: ergo malum vt tale non poteſt terminare tales actus. Idem dicendum eſt de bono reſpectu odij: nam, ſi ſolum bonũ eſt obiectum amoris, ſolum malũ erit obiectum odij, & ideo nunquã poſſumus odiſſe bonum, niſi ratione alicuius mali.

18 Reſpondent aduerſarij Ariſt. & prædictos PP. non eſſe intelligendos de affectu, quo quis aliquid amat inimico, quia, cum eum odio habeat, non poteſt illi amare bonum; ſed ſolum intelligendos eſſe de affectu, quo quis ſibi aliquid amat: talis enim affectus ſemper verſatur circa bonũ, quia nemo carnem ſuam odio habet. Sed contrà: In primis nullatenus admitti poteſt prædicta explicatio: quia expreſſe aſſerunt prædicti doctores, nihil eſſe amabile, ſeu expetibile, niſi bonũ; &, quidquid voluntas appetit, appetere ſub ratione boni; &, impoſſibile eſſe, quod malum in quantum malum appetatur. Hæc autẽ omnia inepte ſatis ita abſolute proferrentur, ſi volũtas poſſet aliquo modo proſequi malũ vt tale; imo & ſi poſſet amare aliquid non ſub ratione boni. Ex quibus refutati manent, qui dicunt, poſſe quemlibet ſe amare, nullâ in ſe cognitâ ratione boni.

19 Sed age iam, probemus, quod, ſi quis non poteſt velle ſibi malũ, niſi ſub aliqua ratione boni, neq; alteri velle poſſit, niſi ſub aliqua ratione boni: vel quod, ſi alteri poteſt velle malũ vt malum, poteſt etiã ſibi. Quia vel malũ, ratione cuius perſona aliqua diſplicet, ſecundũ ſe eſt ſufficiens motiuum ad amãdũ illi malũ vt malũ ex diſpli-

plicentia ipſius, nullâ conſideratâ ratione boni; vel nõ eſt ſufficiens motiuũ. Si hoc vltimum: ergo non poſſum velle malum inimico ex diſplicentia ipſius, niſi ſub aliqua ratione boni.

20. Si dicatur primum: ergo, ſi detur in me aliquod malũ, ratione cuius mea perſona mihi diſpliceat, potero velle mihi malũ vt tale ex diſplicentia mei, nulla cõſiderata ratione boni in proſecutio ne talis mali. Conſequentia videtur bona. Sed ſic eſt, quod poteſt dari in me aliquod malũ, ratione cuius ego met mihi diſpliceã; ergo &c. Minor eſt pluſquã certa; quia dũ me ipſum cõſidero peccatorẽ, mihimet ipſi diſpliceo: deinde poſſum mihi velle aliquod malũ, puta pœnã, ſeu dolorẽ ex diſplicẽtia mei vt peccatoris: ergo, ſi malum, ratione cuius perſona diſplicet, eſt ſufficiens motuum ad hoc, vt poſsit amari malũ vt tale ex diſplicẽtia talis perſonæ, nulla eſt ratio, propter quam non poſsim mihi velle malum vt tale ex diſplicentia mei.

21 Pro ſolutione rationis adductæ ab aduerſarijs Noto 1. perſonã quamlibet conſiderari poſſe vt bonã in ſe, & vt bonã alteri. Vt bona in ſe eſt obiectũ formale amoris beneuolẽtiæ, ſeu amicitiæ; quia ratio formalis beneuolentiæ cõſiſtit in hoc, quod eſt, velle bonũ perſonæ alicui ex cõplacẽtia ipſius, hoc eſt, quia eſt bona in ſe: at vero vt eſt bona alteri, ſolũ terminat amorẽ cõcupiſcẽtiæ; quia, dũ amamus alios, quia bonos nobis, nos potius, quã illos amamus, & ideo dicimur illos nobis cõcupiſcere. Simili modo philoſophãdũ eſt circa malitiã perſonæ: poteſt enim cõſiderari vt mala in ſe, & vt mala alteri: vt mala in ſe eſt obiectũ formale odij inimicitiæ; quia ratio formalis huius conſiſtit in hoc, quod eſt velle malum perſonæ ex diſplicẽtia ipſius, hoc eſt, quia eſt mala in ſe: at vero prout eſt alteri mala, eſt obiectũ odij abominationis; quo odio habemus ex cõplacẽtia noſtri ea, quæ mala nobis ſunt.

22 Noto 2. vnã, & eandẽ perſonã poſſe eadẽ bonitate eſſe bonã in ſe, & bonam alteri; & ſimiliter, poſſe eſſe eadẽ malitiã in ſe malã, & malã alteri: v. g. is, qui erogat eleemoſynã pauperi per talẽ erogationẽ conſtituitur bonus in ſe, quia operatur iuxta regulã rectæ rationis benefaciendo alteri, & fit dignus gloriâ: deinde conſtituitur bonus alteri: quia illi benefacit. Hinc eſt, quod ratione illius bonitatis poteſt amari & amore amicitiæ, & amore concupiſcentiæ: nã, ſi illi velim bonũ aliquod ex cõplacẽtia ipſius vt miſericordis, ita vt miſericordia in illo exiſtẽs me moueat, vt illi velim bonũ, quia bonũ illi eſt, erit actus amicitiæ: at vero, ſi illi vt miſericordi amem bonũ aliquod ex cõplacentia pauperis, ita vt miſericordia in illo exiſtẽs me moueat ad amãdũ illi bonũ: quia pauperi eſt bonũ, quod ipſe habeat tale bonũ, erit actus cõcupiſcẽtiæ reſpectu hominis miſericordis, & amicitiæ reſpectu pauperis. Idem dicito circa odium: quia,

quia, ſi inimico velim malum ex diſplicẽtia ipſius, quia, videlicet, in ſe eſt malus, talis actus erit odij inimicitiæ; ſi vero mihi diſpliceat perſona eius, quia mala mihi ex complacentia mei, talis diſplicentia erit odium abominationis reſpectu inimici; non vero odium inimicitiæ.

23 Noto 3. idem bonum poſſe amari ex complacentia amici, & ſimul ex complacentia mei tanquam ex vno motiuo formali adæquato. Ratio eſt: quia vna, & eadem res poteſt eſſe bona mihi, & amico meo: ergo poteſt ſimul amari ex complacentia mei, & amici. Neque obeſſe poteſt, quod ego, & ille ſeorſim poſsimus eſſe obiectũ adæquatum vnius actus, quo cuilibet ſeorſim ametur bonum illud ex complacentia ipſius. Hoc, inquam, non obeſt: quia, licet Petrus, & Ioannes poſsint ſeorſim cognoſci quilibet per diuerſum actum, nihilominus poteſt dari vnus actus, qui vtrunque ſimul repræſentet; quid enim prohibet, quod vno, & eodem actu cognoſcam Petrum, & Ioannem currere? Ergo, licet quælibet perſona poſsit amari per diſtinctum actũ; nihilominus poterit dari aliquis actus, qui vtrãque ſimul amet propter ſemetipſam, ita vt ex vtrãque reſultet vnum obiectum formale adæquatum illius actus.

24 Eſt tamen aduertendum, quod prædictus actus, quo ego amarem mihi, & alteri bonum ex complacentia vtriuſque, prout terminatus ad perſonam alterius eſſet vero actus amicitiæ, quia ita terminaretur ad illam, vt eſſet volitio boni alterius perſonæ ex cõplacentia ipſius, quia, videlicet; in ſe eſt bona; non quia alteri eſt bona: ergo terminaretur ad illam, vt eſt obiectum formale amicitiæ, ergo non eſt, cur talis actus deficiat à ratione amicitiæ. Præterea idem actus eſſet amor beneuolentiæ propriæ, quia eſſet volitio boni proprij ex complacentia propria.

25 Hinc facile colligitur, non eſſe contra rationem odij inimicitiæ, quod quando inimico volo malum ex diſplicẽtia ipſius, quia, videlicet, in ſe eſt malus, ſimul velim per eundem actum illud malum vt bonum mihi ex complacentia mei: quia ratio formalis odij inimicitiæ cõſiſtit in eo, quod ego velim malum inimico ex diſplicentia ipſius, quia, videlicet, in ſe eſt malus: ſed quamuis illo actu velim illud malum vt bonum mihi, poſſum illud velle illi ex diſplicentia ipſius, quia in ſe eſt malus: ergo recte componitur in eodem actu vera ratio odij inimicitiæ cum ratione beneuolentiæ propriæ. Minor probatur ex dictis. quia, quando eadem res eſt bona alteri, & mihi, poſſum eodem actu illam velle alteri ex complacẽtia ipſius, & mihi ex cõplacentia mei, vt probatum eſt nu. 23. ergo, quãdo eadem res eſt ſimul mala alteri, & bona mihi, poſſum eodem actu velle illam alteri ex diſplicentia illius, & mihi ex complacentia mei.

Imo

Digitized by Google

26 Imo hoc eſt neceſſarium in omni actu odij inimicitiæ: quia, cum non poſſit affectus proſecutionis terminari ad malum, niſi ſub aliqua ratione boni, vt probatum eſt à nu. 16. neceſſarium eſt, quod, dum amo inimico malum ex diſplicentia ipſius, inueniam in illo malo aliquam rationem boni, ratione cuius poſſim illud amare: hæc autem nulla alia eſſe poteſt, niſi, quod mihi, vel amico meo ſit bonum malefacere inimico: ergo, quotieſcunque feror in inimicum odio inimicitiæ, feror eodem actu in me, vel in amicum amore beneuolentiæ.

27 Itaque in actu odij inimicitiæ, in eo videlicet, quo odio habeo inimicum, datur triplex reſpectus formaliter diſtinctus: vnus ad perſonam inimici vt malam in ſe, ratione cuius reſpectus, prædictus actus dicitur *odium inimicitiæ*; alter ad me ipſum vt in me bonum, ratione cuius reſpectus dicitur *amor beneuolentiæ propriæ*; alius denique ad id, quod eſt malum inimico, & bonũ mihi, ratione cuius ille actus dicitur *amor concupiſcentiæ*. Hic autem tertius reſpectus habet pro obiecto materiali rem concupitam, vt eſt mala inimico, & pro formali eandem rem vt mihi bonam. Ipſa vero res vt mala inimico, & vt bona mihi eſt obiectum materiale totius actus; & obiectum formale adæquatum illius eſt perſona inimici, vt mala in ſe, & mea perſona vt in ſe bona.

28 Ex his facile ſoluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. Ad primam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: quia, licet actu odij velit quis inimico malum, quia malum illius, ſemper conſiderat in eo malo aliquam rationem boni, ratione cuius amat illud malum, vt ex dictis conſtat. Ad confirmationem fateor, odiũ ferri in malum inimici, quia malum illius eſt, ſicut amor amicitiæ fertur in bonum amici, vt bonum illius eſt. Cæterum, ſicut non eſt contra rationem amicitiæ, quod bonum volitum amico ex complacentia ipſius ametur eodem actu ex complacentia propria; ita etiã non eſt contra rationem odij inimicitiæ, quod malum volitum inimico ex diſplicentia ipſius, quia malum illius eſt; ametur eodem actu vt bonum illius, qui odit, ex complacentia ipſius.

An malum vt malum poſſit odio haberi, quin præcedat amor boni oppoſiti?

29 PRo reſponſione diſtinguẽdum eſt duplex malum: vnum, quod conſiſtit in priuatione boni; alterum, quod poſitiue, & ratione ſui eſt malum alteri. Tale eſt peccatum, ſi conſiſtat in diſſonantia poſitiua ad rationem, vt probabilior opinio fert: quia iuxta hanc ſententiam eſſet nobis malum ratione ſui, etiamſi non expelleret gratiam à ſubiecto, in quo admittitur: talis eſt etiam triſtitia, quæ quidem ratione ſui eſſet nobis mala, etiamſi aliàs nõ poſſemus habere lætitiam. Deinde

de aduerto, bonum dupliciter opponi poſſe malo: vel enim illi opponitur tanquam forma incompoſsibilis cum illo in eodem ſubiecto; ſicut opponitur gratia cum peccato; lætitia cum triſtitia; & viſus cum priuatione ſui: vel opponitur tanquam ſubiectum, cui malum diſconueniens eſt; ſic opponitur natura rationalis cũ peccato; & homo cum priuatione potentiæ viſiuæ: quia, eo ipſo quod hæc ſunt illis diſconuenientia, dicuntur opponi illis. His poſitis.

30 Dico 1. odium mali conſiſtentis in priuatione boni ſupponit ſemper amorem boni, quod tali malo opponitur forma vt. Ita S. Tho. 1.2.q.29.art.2.& cũ eo cõmuniter Theologi. Ratio eſt: quia prædicta priuatio ex eo ſolum eſt mala, quia priuat bono conueniente: ergo ex eo diſplicet, ſeu odio habetur, quia amatur bonum oppoſitum. Patet cõſequentia: quia ea priuatio non eſſet mala, ſi non priuaret bono oppoſito: ergo non eſſet, cur diſpliceret, ſi non placeret bonum oppoſitum. Confirmatur: quia priuatio non eſſet mihi diſconueniens, ſi non remoueret à me bonum mihi conueniens: ergo non eſſet, cur eam fugerem per odiũ, niſi per amorẽ vellẽ mihi cõiungere bonũ illi oppoſitũ. Patet conſequentia: quia, ſi ego nõ vellẽ mihi coniungere formã aliquã poſitiuã, non eſſet, cur vellẽ à me remouere priuationẽ illi oppoſitã: ergo, ſi non velim conſequi bonũ mihi conueniens, non erit, cur fugiam priuationem illi oppoſitam.

31 Dico 2. malum, quod poſitiue & ratione ſui eſt malũ alicui perſonæ, poteſt odio haberi, quin præcedat amor alicuius boni, quod illi opponitur vt forma. Ita nonnulli recentiores, & cõſentire videtur P. Vaz 1.2.diſp. 95. nu. 43. Probatur: quia prædictum malum, peccatum v.g. ratione ſui, & independenter à gratia illi oppoſita eſt mihi diſcõueniens: ergo independenter ab amore gratiæ poſſum illud odio habere. Confirmatur: quia, etiãſi nõ cognoſcerẽ eſſe poſsibilẽ gratiam, aut eam expelli per peccatũ, poſſem cognoſcere peccatũ eſſe ex ſe diſſonum, & diſcõueniens naturæ rationali: ergo cognoſcerẽ illud vt obiectũ diſplicentiæ independenter ab aliquo oppoſito, quod eſſet obiectũ cõplacẽtiæ: ergo poſſẽ illud odio habere, etiãſi non amarẽ bonũ aliquod cõueniens, illi oppoſitũ. Idẽ eſto de triſtitia, quæ ratione ſui, & independenter ab oppoſita lætitia eſt mala.

32 Eſt tamen aduertendũ odiũ horũ malorũ ſemper oriri ex amore bonitatis perſonæ, cui ſunt diſconuenientia: ex eo enim odio habeo malum mihi diſconueniens, quia me amo: & ideo eſt vera ſententia S. Thomæ ſupra adducti aſſerentis, omne odium oriri ex amore boni oppoſiti, hoc eſt, quod eſt oppoſitum vel vt forma, ſicut eſt bonum conueniens eidem perſonæ, cui malum eſt diſcõueniens; vel vt ſubiectum, qualis eſt perſona, cui tale malum dicitur diſconueniens.

SEC-

SECTIO III.

Varij Volũtatis actus explicãtur.

33 Ex dictis ſupra diſp. 13. in qua egimus de natura intellectionis, conſtat, volitionem quamlibet formaliter conſiſtere in actione & paſsione, per quam voluntas ſibi vnitam producit qualitatem, quæ dicitur pondus in obiectum. Modo explicanda nobis eſt natura ſingulorum actuum voluntatis. In primis ergo datur actus, qui dicitur *ſimplex cõplacẽtia* de bono, ſeu *diſplicentia ſimplex* de malo. Hæc terminatur ad bonum, ſeu ad malum ſecundum ſe præſcindendo ab eorum conſecutione, vel fuga; & dicitur *ſimplex*, quia ita afficit voluntatem circa obiectum, vt præſcindat ab eius conſecutione, vel fuga.

34 Deinde circa bonum datur actus alius, qui dicitur *deſideriũ*, quo amatur bonũ non ſecundũ ſe præciſe; ſed prout cõſequendũ; & ſupponit cognitionẽ, qua repræſentetur vt poſsibilis conſecutio talis boni. Is actus ſemper tendit in bonum vt conſequendũ ex cõplacentia alicuius perſonæ: quia, qui bonũ appetit, adhuc vt conſequendũ, & non illud appetit ex cõplacentia perſonæ, non tã dicitur deſiderare illud, quã cõplacere de bonitate, aut de conſecutione illius. Poteſt autem *deſiderium* eſſe efficax, & inefficax. *Efficax* deſiderium eſt, quod ex ſe determinat ad conſecutionẽ boni: &, ſi ſit cũ aliquo periculo, dicitur *audacia*. *Inefficax* eſt, quod, licet talẽ appetat cõſecutionẽ, nõ tamen ex ſe determinat ad illã exequendam de facto; ſed eo poſito manet voluntas indifferens ad bonũ exequendum, vel non exequendum de facto. Deſiderio reſpõdet odiũ mali cogniti vt poſsibilis, quod verſatur circa malum vt euitandum ex complacentia perſonæ, & dici poteſt *fuga*. Eſt autẽ *efficax*, quando ex ſe determinat ad euitandum malum; *inefficax* vero, quando non determinat ex ſe ad illud euitandum.

35 Præterea datur alius actus, qui dicitur *intentio*, & eſt actus tendens in bonum vt conſequendum, non vtcunque; ſed per media: & eſt *efficax*, quando ex ſe determinat ad electionem, ſeu poſitionem mediorum; *inefficax* vero, quando ex ſe non determinat ad talem poſitionem; ſed eo poſito; poteſt voluntas pro libito ponere, aut nõ ponere media. Actus vero, quo voluntas amat media vt vtilia ad conſequendum finem, dicitur *electio*. An vero electio ſit actus diſtinctus realiter ab intentione, dictum eſt in Phyſ. diſp. 16. vbi late dedimus ea omnia, quæ ad intentionem, & electionem pertinent, & diximus, hos actus non cõuenire brutis, ſed eſſe proprios ſolius naturæ rationalis.

36 Alius actus datur, qui dicitur *ſpes*, & *Eſt deſiderium quo efficaciter quis deſiderat obtinere ubi bonum ab alio*. In primis, eſt *deſiderium*; neque enim quis dicitur *ſperare*, niſi ea, quorum conſecutionem, ſeu adeptionem expetit. Debet autem eſſe *efficax* tale deſiderium

riũ, quia, vt ait Cicero. q. 4. Tuſculan. *Spes eſt expectatio boni futuri*: & non dicitur proprie expectare bonum futurum, qui inefficaciter tantum illud deſiderat; ſed, qui ita illud appetit, vt ſe accingat ad eius conſecutionem. Denique hęc conſecutio boni *obtinenda eſt ab alio*, libere nobis illam cõferente, vt bene docet P. Vazq. 1. 2. diſp. 40. cap. 2. nu. 6. ex Paulo Oroſio in Apologia pro libe. arb. longe ante medium, vbi ait; *ſperare autem non eſt poſsibilitatis propriæ; ſed largitatis alienæ.* Et ratio eſt: quia nullus dicitur *ſperare*, ſeu *expectare* bona, quæ in tua poteſtate ſunt poſita independenter à voluntate alterius libere conferentis talia bona.

37 Propterea ad ſpẽ præſupponi debet iudicium formale, ſeu virtuale, quo quis non ſolum noſcat eſſe potentiam in alio ad bonum illud conferendum, ſed etiã probabiliter ſaltem credat, tale bonum hic & nunc eſſe ſibi conferendum ab illo: quis enim bonum aliquod ſperet ab alio apponẽdo media, quę eius excitent voluntatem ad talis boni collationem, ſi nullatenus credat, illum alium tale bonum collaturum? Hinc dicitur ſpes eſſe circa *bonum arduum, & difficile*, & habere modum quẽdam *erectionis*: quia, eo ipſo quod bonum eſt ab alio obtinendum, cenſetur arduum, ſeu difficile, cũ non ſit in noſtrâ poteſtate: & eſt neceſſarium, quod voluntas, quaſi erigatur, ſeu animetur per actum ſpei ad apponenda media, quę neceſſaria ſunt ad mouendam voluntatem alterius, vt bonum illud conferat.

38 Itaque hæc omnia inuoluuntur in *Spe*. In primis requiritur *iudicium* ſaltem virtuale, quo quis noſcat, eſſe potentiam in alio ad illi benefaciendum: deinde requiritur, quod per idem iudiciũ, ſeu per aliud, certo, vel ſaltẽ probabiliter credat, conferendum ſibi eſſe ab alio donum aliquod, ſi apponat hæc, vel illa media: hoc iudicium ſubſequitur *deſiderium* ſeu *intentio efficax*, qua quis ex complacentia ſui intendit conſequi per media congruentia bonũ illud ab alio potente, & voliturо illud conferre. In hoc deſiderio, ſeu intentione conſiſtit formaliter actus *Spei*, & habet pro obiecto tum bonum conſequendum; tum etiam alteram perſonam, vt potentem, & volituram illud conferre; tum denique bonitatem ipſius perſonæ deſiderantis, quæ ex complacentia ſui bonum illud ſibi deſiderat.

39 Quæ quidem obiecta ita ſe habent, vt bonum deſideratum, ſit obiectum materiale talis actus; bonitas perſonæ deſiderantis ſit obiectum formale, ratione cuius ille actus determinatur ad eſſe beneuolentiæ propriæ, & diſtinguitur ab actu charitatis, ſeu beneuolentiæ alienæ, qui ſemper habetur ex complacentia alterius. Potentia vero alterius, & futura voluntas dãdi beneficium, ſeu ipſum beneficium deſideratum vt prouenturum à potentia, & voluntate alte-

terius (iuxta diuerſas ſententias examinandas in tractatu de Spe) ſunt obiectū, ratione cuius actus ille contrahitur ad rationem formalē ſpei. Ex prædicto deſiderio, ſeu intētione efficaci ſequitur poſitio mediorum congruentium ad mouendam voluntatem alterius. Spei reſpondet alius actus circa malum, qui dicitur *timor*, & eſt odium efficax mali imminentis, quod creditur euenturū: niſi enim quis credat malum euenturū, non dicitur illud timere; ſed odiſſe tantum, aut fugere.

40 Eidem *ſpei* opponitur alius actus, qui dicitur *deſperatio*, quæ quidem eſt *actus, quo voluntas cum quadam animi deiectione recedit, aut deſiſtit à conſecutione boni arduj, ſeu adipiſcibilis ab alio, ob arduitatem illius*, hoc eſt, quia credit tale bonū non eſſe hic, & nunc ſibi ab alio conferendum. Itaque iſte eſt actus odij abominationis, quo conſecutio boni ab alio adipiſcibilis ita deſperanti diſplicet ob arduitatē, quam in illa cognoſcit (hoc eſt, quia putat non poſſe ſibi conferri, vel non eſſe ſibi conferendum hic, & nunc) vt nullum medium velit apponere ad illius conſecutionem. Dicitur autē eſſe *cum quadā animi deiectione*, quia per talem actū determinatur voluntas ad non apponenda media, quæ conducere poſſent, vt bonum ab alio obtineret. Obiectum materiale huius actus eſt bonū, à cuius conſecutione recedit; & formale, negatio collationis prout ab alio prouenientis; ſeu bonum prout non conferendum ab alio iuxta dicta circa Spem.

41 Præter dictos eſt alius actus, qui dicitur *delectatio*, ſeu *gaudiū*, quod quidē in eo diſtinguitur iuxta plurium ſentētiam à deſiderio, quod hoc eſſe debet circa bonum abſens; gaudiū vero circa bonum præſens. Ego verò non acquieſco huic ſententiæ: quia deſiderium efficax, vtpote quod eſt cauſa boni deſiderati imperans eius conſecutionē, coniungi debet cum ipſo bono; actus enim voluntatis efficaciter imperans executionē alicuius actus exterioris perſeuerare debet, vel ſaltem poteſt, vſque ad executionem talis actus: ergo non eſt de ratione deſiderij eſſe circa bonum abſens; alioqui nunquā poſſet cū ſuo obiecto cōiungi.

42 In eo ergo diſtinguendū arbitror *gaudiū à deſiderio*, quod hoc eſt circa bonū vt conſequendū, & ideo debet ſēper præſupponi prioritate ſaltē naturæ ad conſecutionem boni; gaudium vero eſt circa bonū iam obtentū, & poſſeſſum; & ideo ex natura ſua ſupponit prioritate ſaltē naturæ conſecutionē, ſeu poſſeſſionē boni. Et in hoc ſenſu explicari poſſunt authores, qui dicūt deſiderium eſſe boni abſentis; gaudiū verò præſentis, ita vt per bonū abſens intelligant bonū conſequendū, quia cēſetur abeſſe ante conſecutionē; & per bonū præſens intelligant bonum poſſeſſum, quia per poſſeſſionē fit præſens. *Delectatio, & gaudiū* diſtinguuntur tanquam ſuperius, & inferius, quia delectatio extenditur ad alia, quæ cō-

uenientia ſunt tã ſecundũ ſenſum, quam ſecundũ rationẽ; gaudium verò ad ea ſolum, quæ conuenientia ſunt ſecundum rationẽ: & ideò delectatio inuenitur in homine, & brutis; gaudiũ vero ſolũ in homine. Ita S. Tho. 1. 2. q. 31. *Gaudio, ſeu delectationi* opponitur *dolor*, ſeu *triſtitia*, quæ eſt odium, ſeu diſplicentia de malo præſenti.

43 His adde alium actum, qui dicitur *amor ſtrictus*, & eſt ſimplex quædam complacentia de qualibet bonitate entitatiua (dummodo nõ ſit natura rationalis) ſecundum ſe conſideratã præſcindendo ab eo, quod ametur ex cõplacentia alicuius perſonæ. Si verò cõplacentia ſit de bonitate entitatiua perſonę, ſeu naturæ rationalis, pertinebit ad amorem beneuolentiæ. *Beneuolentia* eſt actus, quo volumus bonum alicui perſonæ, ſeu naturæ rationali ex complacentia ipſius, hoc eſt, ex cõplacentia bonitatis, qua in ſe eſt bona talis perſona. Hic actus prout terminatus ad bonitatẽ perſonæ amatæ dicitur beneuolẽtia; quia bonitas perſonæ amatę eſt obiectum formale, & proprium beneuolentiæ: prout terminatus vero ad bonum amatũ perſonæ dicitur amor concupiſcẽtiæ, vt ſupra dicebam; non quia in eo actu detur duplex amor; ſed vnus ſolum cum diuerſis reſpectibus, ſeu denominationibus. Quando verò amatur bonũ ex cõplacẽtia ipſius perſonæ amãtis, dicitur actus *beneuolẽtiæ propriæ*: &, quãdo amatur ex cõplacentia perſonæ alterius diſtinctæ ab amante, dicitur *beneuolentia alterius*, & habet rationẽ *amicitiæ*, ſi ille alter mutua beneuolẽtia correſpõdeat. Videatur Ariſt. 8. Ethic. c. 2.

44 *Beneuolentia* verò, & *concupiſcentia*, ita ſe habent inter ſe, vt non poſsit dari amor concupiſcentiæ, qui non inuoluat beneuolentiam perſonæ, cui amatur bonũ per cõcupiſcentiã; neq; dari poſſit beneuolentia, quæ, ſaltẽ quatenus ex ſe eſt, non inferat concupiſcentiã boni alicuius erga perſonã beneuole amatã, & odiũ cuiuſuis mali grauiter illi diſplicentis. Ratio prioris eſt: quia qui rem appetit, & nõ ex cõplacentia perſonæ, non tã dicitur illã concupiſcere, quam complacere de bonitate illius, vt in ſimili dicebamus ſupra de deſiderio. Ratio poſterioris eſt: quia beneuolẽtia eſt amor perſonæ ratione ſuæ bonitatis: nõ autem cenſetur vere amare perſonã is, qui nullum illi bonũ amat, ſi videt illo indigere, & qui non odit omnia mala, quæ illi grauiter diſplicere noſcit: ergo amor beneuolentiæ vel includit amorem concupiſcentiæ, vel ſaltem illum virtualiter continet.

45 Hinc colliges amorẽ beneuolentiæ debere ſemper eſſe efficacem, quatenus eſt ex ſe, inamãte ad hoc, vt, ſi poſsit, procuret efficaciter perſonæ amatæ bonum, quo videt illam maximopere indigere, & procuret efficaciter auertere omne malũ, quod illi maxime diſplicet: ſi enim bonum illud non procuret, aut hoc malũ non auertat, cum poſsit, qui dicetur illam

am-

Digitized by Google

amare? Tunc autẽ dicetur amor beneuolẽtiæ efficax, quatenus eſt ex ſe, ad procurandũ perſonæ amatæ bonum, aut malũ auertendum; quando eſt talis, qui quatenus ex ſe eſt, determinet amantem ad remotionẽ mali, & conſecutionem boni, ſi illud remouere, & hoc cõſequi poſsit. Vnde gaudium, quo quis de bono poſſeſſo à perſona amata gaudet ex cõplacentia ipſius, erit proprie beneuolentia, ſi prout ad perſonã terminatus ſit talis, qui illud bonũ procuraret illi, ſi periculũ adeſſet illud amittendi.

46 Si vero talis amor eſſet ex ſe inefficax, non eſſet beneuolẽtia proprie propter rationẽ traditã: & idem dicito de quouis alio amore inefficaci, quo quis vult bonum alteri ex cõplacentia ipſius. Reducitur tamẽ ad beneuolentiã; quia, licet non habeat efficaciã, quæ eſt de ratione formali beneuolentiæ, terminatur tamen ad obiectũ formale beneuolẽtiæ. Sicut in ſentẽtia omniũ aſſerentiũ, ſpem eſſe deſideriũ efficax, quo quis deſiderat obtinere ſibi bonũ ab alio potẽte, & volituro illud cõferre, deſideriũ inefficax nõ eſt proprie ſpes, quia deeſt illi efficacia pertinẽs ad eſsẽtiam ſpei; ſed reducitur ad ſpem, quia habet idem obiectũ cum illa.

47 *Beneuolẽtiæ* opponitur *maleuolentia*, quæ eſt odium inimicitiæ, quo volo malũ alicui ex diſplicentia ipſius, de quo late egimus ſect. preced. Hic actus ſi ſit efficax, erit proprie *maleuolentia*; ſecus, ſi inefficax iuxta dicta de beneuolẽtia. Deinde, quando perſona vult ſibi malũ ex diſplicẽtia ſui, eſt *maleuolẽtia propria*: & *alterius*, quando vult alteri malũ ex diſplicẽtia illius: & erit *inimicitia*, ſi ſimile odium in alio correſpondeat. Hic ſolet diſputari? an ſit poſsibilis actus volũtatis abſolutus ex parte actus, & cõditionatus ex parte obiecti, ille videlicet, quo quis velit aliquid agere ſi ponatur talis cõditio; ita vt poſitâ eâ conditione idẽ actus perſeuerans exequatur abſolute rem, quã antea volebat ſub cõditione. Dicẽdũ eſt eſſe poſſibilẽ talẽ actũ, ſicut eſt poſsibilis ſcientia conditionata. Sed de hoc agitur in tract. de Volunt. Dei.

SECTIO IIII.

De oppoſitione actuum voluntatis inter ſe.

48 DIco 1. nõ poſſunt cõiungi ſimul in eadẽ volũtate cõplacẽtia, & diſplicẽtia ſimplices circa idẽ obiectũ ſub eadẽ omnino ratione formali. Probatur: quia obiectũ formale cõplacẽtiæ eſt bonitas vt talis: obiectũ verò diſplicentiæ malitia vt talis: atqui idẽ obiectum ſub eadem ratione non poteſt eſſe bonum, & malum: ergo &c. Dices; calor vt octo vt talis eſt in ſe bonus igni; mihi vero malus: ergo idem obiectum ſub eadẽ ratione poteſt eſſe bonũ, & malũ. Nego conſeq. quia, eo ipſo quod formalitas caloris vt octo cõparatur ad diuerſa extrema, induit diuerſas formalitates, ratione quarum poteſt eſſe bonus, & malus reſpectu diuerſorũ. In quo caſu poſſunt dari circa illud diſplicen-

tia, & complacentia ſimul: quia hæc non repugnant circa diuerſas formalitates eiuſdem obiecti, vt experientiâ conſtat.

49 Dico 2. ſub diuerſis rationibus circa idem obiectum non repugnat odiũ efficax, & ſimplex complacentia; neque è contrà, amor efficax, & ſimplex diſplicẽtia. Id conſtat experientiâ: nam efficaciter amat ægrotus cauterium, quia vtile ad ſanitatem, & tamen illi diſplicet, quia iniucundum eſt, & moleſtum.

50 Dico 3. eadem voluntas non poteſt ſe determinare ſimul ad odium efficax, & ad amorẽ efficacem circa idem obiectũ, adhuc ſub diuerſa ratione formali, ſi actu aduertat, non poſſe ſimul coniungi *eſſe*, & *non eſſe* eiuſdem rei. Ratio eſt: quia amor efficax tẽdit ad poſitionem, ſeu productionẽ obiecti; odiũ verò efficax ad illius deſtructionẽ: ſed, ſi voluntas aduertat, non poſſe ſimul eſſe productionẽ, & deſtructionẽ eiuſdẽ obiecti, nô poteſt conari ad illas ſimul ponendas: ergo neque habere odiũ, & amorem efficacia ſimul. Minor probatur: quia non poteſt voluntas efficaciter conari ad id, quod cognoſcit impoſſibile. Ceterũ, ſi Deus ſolus producat amorem, & odiũ; vel ipſe determinet voluntatem ad illorũ productionẽ; vel ipſa volũtas, licet ſe determinet, nô aduertat, non poſſe ſimul côiungi eſſe, & nô eſſe eiuſdẽ rei, poterunt dari ſimul in eadem voluntate odium efficax, & amor efficax circa idem obiectum; ita tamen vt nô poſſit vterque ſimul habere ſuum effectum de facto. Id conſtat ex ijs, quæ circa aſſenſum, & diſſenſum diximus diſp. 16. ſect. 7.

SECTIO V.

An poſſit dari actus voluntatis ſine præuia cognitione obiecti.

51 Commune ſemper fuit philoſophorum proloquium, *Nihil eſſe volitum, quin præcognitum.* Quod quidem experientiâ duce compertum eſt; neque enim vnquam voluntas amat, aut odit obiectum, niſi priùs bonum, aut malum eſſe nouerit per cognitionem: ergo neceſſaria eſt cognitio obiecti, ſaltem ex natura rei, ad eius volitionem, aut nolitionem. Et ratio à priori eſt: quia ſicut nulla potentia phyſica poteſt ex natura rei phyſice operari in ſubiecto, niſi hóc ſit phyſice applicatum illi; ita neque vlla potentia intentionalis poterit intentionaliter operari circa obiectum, niſi hoc ſit illi intentionaliter applicatum: atqui voluntas non poteſt ſibi applicare obiectum per ſuum actum, quia, cum is non ſit repræſentatio obiecti, nô poteſt eſſe id, quo ipſum obiectum præſens fiat volũtati: ergo indiget aliquo prænio illi applicante intẽtionaliter obiectũ: hoc autẽ nihil aliud eſſe poteſt, niſi cognitio: ergo, &c.

51 Eſt tamẽ difficultas, an de potentiâ Dei abſolutâ poſſit dari actus volũtatis ſine præuiâ cognitione obiecti? Et reſpôdeo affirmatiue cũ Palud. in 4. diſt. 49. P. Granad. t. 2. côtr. 2. de Actib. humã. tract. 3. diſſ. 2. ſect. 1. n. 8. PP. Cõ-

nimb.

ſimb. 3. de An. c. 13. q 3. art 2. ad 3. Argent. in 1. diſt. 1. queſt. 1. art. 4. Ocham ibid. q. 25. ad 7. neque obſcure id inſinuauit Ferrar. 3. contra Gent. cap. 89. §. *Ad euidentiam* circa finem illius. Proba tur: quia cognitio obiecti non eſt principium phyſice influens in actionem voluntatis; ſed conditio ſolùm intentionaliter applicans obiectum voluntati, vt infra probabo: ergo, ablatâ cognitione, manent omnia principia immediata actionis voluntatis: ergo non eſt, cur non poſsit de potẽtia Dei dari talis actio ſine præuiâ cognitione obiecti. Patet hæc conſequentia: quia ſine applicatione obiecti poteſt Deus dare voluntati concurſum, quem ex natura rei illi præberet, exiſtente tali applicatione: ſicut poteſt concurſum dare agenti phyſico in paſſum non applicatum phyſice, vt diximus in Phyſ. diſp. 27. ſect. 2.

52 Obijcies 1. voluntas ſæpe amat bonum fictum: atqui hoc nõ habet eſſe, niſi per cognitionem illud fingentem: ergo nullatenus poteſt illud amare, niſi præcedat cognitio illius. Reſpondeo 1. hoc argumentum ſolum probare, non poſſe dari amorem boni conficti, niſi præcedat cognitio dans illi eſſe; non veró probat, non poſſe dari amorem boni veri, & realis ſine cognitione illius, quia hoc habet exiſtentiam independenter à cognitione, & ideo ſolum eget illa vt applicatione, quam diximus poſſe Deum ſupplere. Reſpõdeo 2. nullam eſſe implicationem in eo, quod detur amor boni fictitij, nullâ præcedente cognitione illius: quia in eo caſu amaret voluntas bonum, quod exiſteret, ſi daretur cognitio (quæ de facto eſt poſsibilis) illud fingens: ad eum modum quo diſp. 9. ſect. 7. diximus, ſenſum externum percipientem exiſtentiã obiecti nõ exiſtentis attingere exiſtentiam, quæ daretur, ſi vere exiſteret. Vide quæ ibi diximus.

53 Obijcies 2. voluntarium ex Ariſt. 3. Ethic. c. 1. dicitur id, *quod eſt à principio intrinſeco* (hoc eſt à voluntate) *cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio*: ſed actus voluntatis ex natura ſua eſt voluntarius: ergo pugnat cum naturâ eius produci ſine præuiâ cognitione obiecti. Reſpondeo, de ratione voluntarij non eſſe, quod fiat actu; ſed ſolum quod petat fieri præcedente cognitione obiecti. Quod quidẽ daretur in actu volũtatis, qui ſine cognitione fieret, quia ex natura ſua peteret fieri præcedente cognitione.

54 Si autem diceretur, quod de ratione voluntarij eſſet actu fieri præcedente cognitione, dicendum etiam eſſet, rationem voluntarij non eſſe intrinſecam, & eſſentialem actui voluntatis; ſed compleri per denominationem extrinſecam prouenientem illi à cognitione propter rationem adductam pro noſtrâ concluſione. Hic aduerto, obiectum voluntatis eſſe *bonum, aut malum vt cognitum*, ita vt τὸ, *vt cognitum* non reduplicet rationem forma-

Digitized by Google

lem obiecti; ſed ſolum conditionem requiſitam ex natura rei, quã cum poſsit Deus ſupplere, iuxta dicta, poteſt etiam facere, quod voluntas verſetur circa obiectum non cognitum.

Voluntatis actus ſine prævia cognitione elicitus neque liber eſſet, nec procederet ab obiecto.

55 QVod talis actus non eſſet liber, eſt certum: quia ad libertatem requiritur, & quod voluntas ſit indifferens ad eliciendum, vel non eliciendum actum; & quod ipſa ſe determinet: atqui in prędicto caſu neque eſſet indifferens, cum nullam haberet notitiam conuenientiæ, aut diſconuenientiæ obiecti, ſeu actionis eliciendæ, quod per ſe requiritur ad indifferentiam, vt fatentur omnes: neque ſe determinaret voluntas, tum quia non poteſt ſe determinare is, qui non eſt indifferens ad vnum, vel aliud; tum etiã quia tunc operaretur voluntas miraculoſe ex eo, quod daretur illi à Deo concurſus, quem nullatenus exigebat, atque adeo iam tunc determinaretur à Deo, & nõ à ſe ipſa.

56 Quod vero tunc non moueretur ab obiecto, facile probatur: quia obiectum non aliter mouet voluntatem niſi intentionaliter, alliciendo videlicet illam ad ſui amorem: id autem non aliter præſtat, niſi per cognitionem, quæ dum voluntati proponit obiecti bonitatem, quaſi illam inducit, & trahit ad amorem talis bonitatis: ergo, deficiente cognitione, non poteſt voluntas dici moueri ab obiecto ad amorem.

57 Hinc fit, neque in eo caſu obiectum exercere munus cauſæ finalis circa illum actum: quia, vt dixi in Phyſ. diſp. 16. ſect. 5. obiectum non aliter exercet munus cauſæ finalis circa voluntatem, niſi illam mouendo ad ſui amorem: atqui, deficiẽte cognitione, non poteſt obiectum mouere voluntatem ad ſui amorem, vt probatum eſt: ergo, &c. Confirmatur; quia omnis cauſa debet præſupponi exiſtens ante effectum, phyſice quidem ſi ſit phyſica; & intentionaliter, ſi ſit intentionalis, qualis eſt finis: ſed obiectum non exiſtit intentionaliter, niſi per cognitionem, vt fatentur omnes: ergo, hac deficiente, non poteſt exercere munus cauſæ finalis. Ex his conſtat, obiectum in eo caſu ſolum ſe habere vt terminum amoris, quia ad hoc, vt ſit terminus, ſeu obiectum terminatiuum, ſufficit, quod ad illud dirigatur amor, etiamſi ipſum nullatenus præſupponatur ad amorem; vt dixi in Phyſ. diſput. 16. num. 50. & 51.

SEC-

SECTIO VI.
Quæ cognitio requiratur ad actum voluntatis?

58 CErtum eſt 1. requiri cognitionem ſpiritualẽ intellectus, & non ſufficere cognitionem materialem ſenſus interni. In id omnes conueniunt. Communis ratio eſt: quia omnis appetitus ex natura ſua eſt connexus, & ſubordinatus cognitioni ad eliciendum proprium actum: ſed appetitus ſpiritualis, qualis eſt voluntas, non poteſt ex natura ſua eſſe annexus, & ſubordinatus cognitioni materiali ad eliciendum proprium actum ſpiritualẽ: ergo tribuenda eſt illi cognitio ſpiritualis, cui annexus ſit ex natura ſua ad eliciendum talem actum. Minor probatur: quia id, quod ex natura ſua eſt annexum, & ſubordinatum alteri ad aliquẽ effectum producendum, non poteſt ex natura rei talem effectum producere, illo altero deficiente: ſed voluntas poteſt elicere amorem ſpiritualem, deficiente cognitione materiali ſenſus interni, vt de facto elicit in ſtatu ſeparationis animæ à corpore: ergo ex natura ſua non eſt annexa, & ſubordinata tali cognitioni ad proprium actum eliciendum; ac per conſequens tribuẽda erit illi alia cognitio ſpiritualis, cui annexa, & ſubordinata ſit ex naturâ ſuâ.

59 Si autem voluntas eſt annexa, & ſubordinata ex natura ſua cognitioni ſpirituali, hanc petet ex natura ſua tanquam conditionem proportionatam ad eliciendum proprium actum; ac proinde non ſufficiet cognitio materialis ſenſus interni ad talem elicientiam. Idque ex eo maxime confirmatur, quod res ordinis inferioris non poteſt ex natura rei ſupplere effectum proprium cauſæ ſuperioris ordinis: ſed hoc, quod eſt applicare obiectum voluntati ad eliciendum amorem ſpiritualem pertinet ad cognitionem ſpiritualem tanquã ad propriam applicationem obiecti ad talem amorem: ergo non poteſt ex natura rei ſuppleri talis applicatio à cognitione materiali.

60 Ratio à priori prædictæ concluſionis eſt: quia ad effectum producendum requiritur per ſe cauſa non vtcunque; ſed prout affecta conditionibus, quæ per ſe illam complent immediate, & intrinſece in ordine ad talem effectum producendum: ergo, ſicut ad effectum ſuperioris ordinis per ſe requiritur cauſa ſuperioris ordinis, ita etiam per ſe requiritur, quod conditio immediate, & intrinſece complens cauſam ad talem effectum producendum ſit ordinis ſuperioris. Patet conſequentia: quia, ſicut virtus cauſæ debet eſſe proportionata effectui, ita & conditio immediatè, & per ſe deſeruiens ad ipſius effectus productionem, vt conſtat ex ſubſiſtentia, quæ, cum ſit conditio intrinſece complens naturam ſubſtantialem in ordine ad

Digitized by Google

ſuæ operationes: ergo, cum effectui ſuperioris ordinis non proportionetur cauſa, niſi ſit etiam ſuperioris ordinis, nullatenus proportionabitur conditio per ſe, & immediate requiſita, niſi ſit ordinis ſuperioris. Cum autem cognitio ſit conditio per ſe neceſſaria ad eliciendam volitionem; & immediate conducens ad talem elicientiam tanquam affectio intrinſeca voluntatis, quia non aliter applicat illi obiectum, niſi illam informando, vt diximus diſp. 6. ſect. 1. neceſſarium erit, quod, ſicut volitio eſt ſpiritualis, ita etiã cognitio ad illam immediate requiſita ſit ſpiritualis.

61 Certum mihi eſt 2. ad actũ voluntatis ſupernaturalem prærequiri cognitionem etiam ſupernaturalem. Hoc eſt cõmune placitum fere omnium, exceptis nõnullis recentioribus. Et deducitur ex proxime dictis: quia ad eliciendam volitionem ſpiritualem non ſolum requiritur, quod principium phyſice eam producens ſit ſpirituale; ſed etiam quod ab intellectu ſpirituali applicetur illi obiectum per cognitionem ſpiritualem: ergo ad eliciendam volitionem ſupernaturalem, non ſolum requiretur, quod ex parte voluntatis detur principium ſupernaturale phyſice influens in ipſam volitionem; ſed etiam quod ex parte intellectus detur principium ſupernaturale eliciens cognitionem ſupernaturalem, quæ applicet obiectum voluntati.

An ad actum voluntatis ſufficiat ſimplex apprehenſio obiecti?

62 EST tamen difficultas: an ad actum voluntatis eliciendum debeat illi proponi obiectum per iudicium, vel ſufficiat ſimplex apprehenſio ipſius obiecti? Pro enodatione Noto 1. in voluntate dari actus quoſdam ſimplicis complacentiæ, ſeu inefficaces: alios efficaces. Hi ſunt, qui obiectum volitum exequuntur, ſaltem quatenus eſt ex ſe: illi, qui non ponunt effectum; ſed ſolum in eius bonitate complacent. Noto 2. duplex eſſe genus ſimplicium apprehenſionum. Vnum eſt earum, quæ ex ſe neque determinant, neque inclinant intellectum ad eliciendum iudicium determinatum circa vnam, aut alteram partem contradictionis. Talis eſt ea, qua apprehendo, *Turca ſedet*; quia non allicit ad aſſenſum, ſeu diſſenſum determinatum circa ſuum obiectum, & ideo, eâ poſitâ, eſt neceſſariũ inueſtigare rationes, quæ intellectum inclinent ad vnam, aut alteram partem.

63 Aliud genus eſt earum apprehenſionum, quæ ex ſe inclinant intellectum ad eliciendum iudicium circa ſuum [illegible] & ideo freq[illegible]dicimus, hoc, e[illegible]uidens, aut pro[illegible] [illegible]diuerſitate apprehenſionum) ex apprehenſione terminorum: quia videlicet, poſitâ apprehenſione terminorum, quaſi

quaſi allicitur, & ſuadetur intellectus ad eliciendum iudicium euidens, ſeu probabile circa tales terminos; vel quia ita clare proponit connexionem extremorum, vt intellectus nulla aliã indigeat ratione ad eliciendum aſſenſum; vel quia ſimul cum connexione extremorum proponit rationes, quæ intellectum moueant ad aſſenſum. Tales ſunt eæ, quibus hæc obiecta apprehendimus: *Quodlibet eſt vel non eſt: Mater diligit ſuum*, quarum prima inducit ex ſe ad iudicium euidens; ſecunda vero ad probabile: & propterea dicuntur eſſe iudicia virtualia. His poſitis.

65 Dico 1. Ad actum ſimplicis complacentiæ ſufficit, quod obiectum proponatur per ſimplicem apprehenſionem, etiamſi nõ ſit iudicium virtuale. Ita P. Vaz. 1. 2. diſp. 44. cap. 2. & 3. & pro ſe adducit Scot. Gabriel. Mai. Holcot. & recentiores Thomiſtas. Ratio eſt: quia ſimplex complacentia poteſt haberi de obiecto, quod actu iudicatur impoſsibile, vt conſtat in eo, qui ſimplici affectu amat conſeruationem poſſeſsionis mercium, quas quidem in mare proijcit, quia videt hic, & nunc eſſe impoſsibile aliter conſeruare vitam, quæ per ſe neceſſaria eſt ad conſeruandam poſſeſsionem talium mercium: ergo ad ſimplicem complacentiam non eſt neceſſarium iudicium de poſsibilitate obiecti (hoc enim non poteſt componi in eodem intellectu cum iudicio impoſsibilitatis ipſius obiecti, vt conſtat ex diſp. 16. ſect. 7.) ſed ſufficit cognitio bonitatis illius ſecundum ſe: atqui bonitas illius ſecundum ſe poteſt cognoſci per ſimplicem apprehenſionẽ: ergo hęc ſufficiet ad ſimplicẽ complacentiam voluntatis.

65 Dico 2. ſimplex apprehenſio, quæ non eſt iudicium virtuale, non ſufficit ad actum efficacẽ voluntatis. Pro hac ſtat P. Suar. in Met. diſp. 23. ſect. 7. n. 9. Lorca. de Actib. hum. diſp. 10. & P. Ripal. lib. 3. de Actib. ſupern. diſp. 62. n. 10. & eſt expreſſa ſententia Ariſt. lib. 3. de Anim. cap. 3. text. 154. vide P. Ripal. Ratio eſt: quia voluntas per amorem efficacem determinatur ad conſequendum de facto obiectum exequendo media, quæ neceſſaria ſunt ad illius conſecutionem: ergo non proponitur illi ſufficienter obiectum per cognitionem, quæ non inclinat ad aſſenſum futuritionis, ſeu poſsibilitatis ipſius obiecti potiùs, quam ad diſſenſum: qua enim ratione conabitur exequi de facto voluntas id, quod prorſus ignorat, an ſit poſsibile?

66 Confirmatur: quia ea apprehenſio nõ poteſt ſuadere intellectui futuritionem, aut poſsibilitatem ſui obiecti: ergo neque poterit mouere voluntatem ad amorem efficacem circa tale obiectũ. Patet conſequentia: quia, ſi ex ſe non eſt ſufficiens vt eliciat ab intellectu aſſenſum circa ſuum obiectum, multo minus erit ſufficiens vt moueat voluntatem ad amorem efficacem circa illud.

67 Dices: per ſimplicem apprehenſionem
pre-

prehenſionem (de qua eſt ſermo in concluſione) poteſt proponi obiectum vt futurum, aut poſsibile: ergo ſufficiens erit talis apprehenſio, vt voluntas illud amet efficaciter. Diſtinguo antecedens: poteſt proponi obiectum vt poſsibile, aut futurum tanquam per propoſitionem, quæ omnino ſuſpenſum relinquat intellectum ad aſſenſum talis futuritionis, aut poſsibilitatis, concedo: tanquam per propoſitionem inclinantem intellectum ad aſſenſum futuritionis, aut poſsibilitatis obiecti, nego anteced.ens. Et deinde nego conſequentiam. Neque enim credi poteſt, eam cognitionem, quæ nullatenus ſuadere poteſt intellectui futuritionem, aut poſsibilitatem ſui obiecti, poſſe mouere voluntatem ad amorem efficacem conſequẽdi de facto tale obiectum.

68 Inſtabis: voluntas eſt potentia libera: ergo quocunque modo proponatur obiectum, poterit ſe determinare ad illud conſequẽdum. Fateor, eſſe liberam ad conſequendum obiectum, ſi ſufficienter illi proponatur. Cæterum, cũ ſimplex apprehenſio, de qua loquimur in præſenti, non ſufficienter proponat obiectum ad amorem efficacem, vt probatum eſt, non conſtituitur libera per illam ad talem amorem.

69 Dico 3. ſimplex apprehẽſio, quæ eſt iudicium virtuale, eſt ſufficiẽs, & proportionata propoſitio obiecti ad actus efficaces voluntatis tam liberos quam neceſſarios. Ita P. Ripal. ſuprà n. 7. & conſentit P. Vazq. circa aliquos affectus efficaces. Probatur: quia appetitus brutorũ ex apprehẽſione boni conuenientis mouetur efficaciter ad proſequendum bonũ, & fugiendum malum: ergo & voluntas poterit moueri efficaciter in obiectum ex apprehenſione talis obiecti. Conſequẽtia eſt bona: neque enim minus efficax eſſe debet apprehenſio intellectus ad mouendam voluntatem, quàm apprehenſio ſenſus interni ad mouendũ appetitum. Antecedens videtur certum: neque enim bruta diiudicare poſſunt circa obiectum affirmando, aut negando aliquid de illo, cum hoc excedat eorum perfectionẽ, vt cõſtat ex dictis in Phyſ. diſp. 16. n. 43. ergo quilibet affectus efficax elicitus ab illis oritur ex ſola ſimplici apprehenſione: non tamen ex quacunque; ſed ex ea ſolum, quæ ſit iudicium virtuale; quia, videlicet, ſi eſſet coniuncta cum intellectu, vt coniungitur in homine ſenſatio interna, alliceret ſaltem remote ipſum intellectum ad iudicium.

70 Propterea Ariſt. 3. de Anima c. 7. text. 29. dixit: *quũ autem ſenſus iucundum, aut moleſtũ diſcernit, quaſi affirmauerit, aut negauerit, tum proſequitur, aut fugit*: ac ſi diceret: tunc appetitus proſequitur, aut fugit efficaciter obiectum, quando ſenſus illud proponit per cognitionẽ, quæ ſit quaſi affirmatio, aut negatio, hoc eſt, quæ licet ſit ſimplex apprehenſio; tamen ſe habet, vt affirmatio, aut nega-

negatio, quia ex ſe alliceret remo re ſaltem ad iudicium, ſi cũ intellectu coniungeretur. Plura hic omitto. Vnũ tamen aduerterim, nẽpe ex prædicta apprehenſione oriri frequenter in intellectu iudicium formale circa obiectum ipſius apprehenſionis: vnde ſemper impedietur iudicium oppoſitũ aut formaliter per formale illud ortũ ex prædicta apprehenſione; aut radicaliter per ipſam apprehenſionem, quæ ſecum non admittit fundamenta ſufficientia ad oppoſitũ iudiciũ; alioqui iam ipſa non eſſet iudicium virtuale, quandoquidem per fundamenta oppoſita vel determinaretur intellectus ad oppoſitum iudicium; vel ita ſuſpenſus maneret, vt ad nullam partem determinari poſſet, ſi nouæ rationes pro vna, aut altera parte non occurrerent.

Reijcitur alius actus intellectus, qui ſit imperium.

71 NOnnulli ex Thomiſtis docent, voluntatem præter cognitionem repræſentantem illi obiectum indigere ex parte intellectus ad volitionem liberam alio actu imperij, qui explicari ſolet hac voce, *Fac hoc*: quia putant, voluntatem aliàs indifferẽtem ad operandum, aut nõ operandũ nõ poſſe determinari ad hoc potiùs, quàm ad illud; niſi per illud imperium. Hæc ſententia mihi diſplicet: quia illud imperium vel determinaret voluntatẽ ad hunc actum ita, vt relinqueret illam indifferentem ad ipſum eliciẽdum, vel ita, vt non relinqueret illam indifferentem. Si primum: ergo non tollit indifferentiam voluntatis. Si ſecundum: ergo voluntas operatur neceſſario, & non vt potentia libera. Patet conſequentia: quia potentia neceſſariò operans, vt dicemus infra, eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ex parte actus primi ad agendum non poteſt non operari; potentia vero libera, quæ poſitis omnibus requiſitis ex parte actus primi ad agendum poteſt non operari: ſed per te illud imperium eſt requiſitum ex parte actus primi ad agendum, & eo poſito ita determinata eſt voluntas ad actum, vt non poſſit illum non elicere: ergo nunquam operatur libere voluntas.

72 Confirmatur; quia vel illud imperium elicitur dependenter à libertate eius, qui elicit ipſum imperium; vel non. Si primum: cum libertas primario ſit in voluntate, eatenus fiet libere, quatenus voluntas per proprium actum vult elici tale imperium: ergo iam datur actus liber voluntatis ante illud imperium: ac per conſequens non requiritur per ſe illud imperium ad omnem actum voluntatis. Si dicatur ſecundũ: cũ per te, illo poſito, nõ poſſit volũtas non operari, corruit omnino libertas. Patet: quia non datur libertas reſpectu alicuius actus, quãdo non datur poteſtas ad illũ cohibedũ: ſed per te non datur poteſtas in voluntate ad cohibendũ ſuũ actũ ante imperiũ intellectus, quia hoc nõ ſubeſt libertati illius; dein-

Digitized by Google

deinde, hoc poſito, non poteſt cohibere proprium actum; ergo non elicit illum libere.

73 Obijcies: voluntas ſecundum ſe eſt indifferens ad actus liberos: ergo eget aliquo determinante ad vnam partem contradictionis: hoc autem non poteſt eſſe aliud, niſi prædictum imperium: ergo requiritur tale imperium ex parte intellectus ad determinandam voluntatem. Probatur prima conſequentia: quia alias non erit ratio, cur voluntas eligat vnam partem contradictionis potiùs, quam aliam.

74 Aduerte duplicem diſtingui poſſe indifferentiam: vnã, quæ dicitur indifferentia libertatis, & dominij, & eſt illa, qua quis conſtituitur potens vnũ, vel aliud eligere pro ſuo libito: aliam, quæ dicitur indifferentia in completionis, & tunc datur, quando aliquod principiũ eſt indifferens ad hunc, vel illum actum, quia poteſt compleri per hoc, vel illud comprincipium ad illos producẽdos. Principium, quod eſt indifferens hac poteſteriori indifferentia, eget aliquo extrinſeco determinãte, quod illud compleat & in virtute productiua ſui effectus, qualiter completur, & determinatur potentia viſiua per ſpeciem nigredinis ad videndam nigredinem; &, per ſpeciem albedinis ad videndam albedinem. Principium vero indifferens priori indifferentiã non eget determinante extrinſeco; ſed ipſum ſe determinat, vt dominus ſuę actionis. Hac ratione ſe determinat Deus ad ſuas operationes liberas, & quodlibet agens liberum ad proprios actus.

75 Ad obiectionem ergo, diſtinguo antecedens: voluntas ſecundum ſe eſt indifferens ad actus liberos indifferentiã libertatis, & dominij, concedo: indifferentiã in completionis, nego antecedens. Et deinde nego conſequentiam: quia ipſa ſe determinat: alioqui, ſi ab alio determinaretur, non operaretur libere.

SECTIO VII.

Qua ratione intellectio concurrat ad actum voluntatis?

76 HIc diſputant nonnulli: an cognitio, ſeu intellectio concurrat efficienter phyſice ad actum voluntatis, vel ſolum ſe habeat, vt cõdicio illi applicans obiectum? Et, dicendum eſt ſolum ſe habere vt conditionem. Ita P. Vazq. 1.2. diſp. 36. cap. 3. & alij plures. Et eſt expreſſa ſententia S. Thomæ. 1.2. q. 9. art. 1. vbi ait voluntatem moueri ab intellectu tanquam à repræſentante obiectum. Et 1. p. q. 82. art. 4. dicit, alias facultates moueri à voluntate tanquam ab agente, voluntatem vero moueri ab intellectu per modum finis: non aliã de cauſã, niſi quia mouetur ab illo tanquam ab applicante finem: ergo ſentit, non eſſe cauſam efficientem phyſicam.

77 Probatur deinde ratione: quia concurſus phyſicus intellectionis non eſt neceſſarius ad actũ voluntatis ex eo, quod hic ſit voli-

tio ; vt concedunt authores illum adſtruẽtes:neq; ex eo, quod ſit volitio talis obiecti, quia , ſi ad hoc requireretur, maxime, vt voluntatem ex ſe indifferentem ad volitionem huius, aut illius obiecti determinaret ad huius volitionem (hanc rationem tradunt aduerſarii) atqui ad id non eſt neceſſarius influxus phyſicus intellectionis in volitionem:ergo non eſt admittẽdus. Minor probatur ; quia ex eo præciſe, quod cognitio applicet hoc obiectum, & non aliud, determinabit voluntatem ad volitionem huius potiùs , quam illius, etiamſi non influat in illam phyſice:ergo neceſſarius non eſt influxus phyſicus intellectionis ad hoc, vt voluntas determinate eliciat talem volitionem. Antecedens probatur:quia voluntas non poteſt operari, niſi circa obiectũ illi applicatum intentionaliter:ergo, ſi per cognitionem applicetur hoc obiectum, & non aliud, determinata erit ad volitionem huius potiùs, quam alterius. Si autem duo oppoſita applicentur , ipſa ſe determinabit pro ſuo libito iuxta dicta num. 71. & 72.

78 Hinc colliges. poſſe perſeuerare eandem numero volitionẽ variata cognitione , ſi ſuccedat alia proponens idem obiectum. Ratio eſt:quia volitio non oritur ſe ipſa à cognitione:ergo, variatâ hac, poterit illa perſeuerare. Antecedens probatur:quia cognitio ſolùm requiritur ad volitionem tanquam conditio applicans obiectum, vel tanquam cauſa moralis ſuadens; ſeu alliciens voluntatem ad volitionẽ: ſed actio phyſica agentis nõ oritur ſe ipſa à cõditione applicante obiectũ, ſeu ſubiectũ, vt concedunt omnes de calefactione, quę quidem non oritur ſe ipſâ ab approximatione calefacientis cum paſſo calefaciendo: neque oritur ſe ipſâ à cauſa morali , quia imperium voluntatis eſt cauſa moralis ambulationis externæ ; & tamen ambulatio externa non oritur ſe ipſâ ab imperio voluntatis; quis enim dicat ambulationem externam eſſe diuerſam ex eo, quod imperetur propter ſanitatem, aut propter videndum amicum? ergo volitio non oritur ſe ipſâ à cognitione: ac per conſequẽs perſeuerare poterit variatâ cognitione.

SECTIO VIII.

Quid ſit potentia libera: & qua ratione libertas conueniat voluntati?

79 POtentia libera ſic ab omnibus definitur: *Quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt operari, & [illegible] operari.* Circa primam par[illegible] adu[illegible] d[illegible] bus modis poſ[illegible] ci ali[illegible] ſitum ad operandum , ſe[illegible] ducendũ effectum. Primo [illegible] ſe habens e[illegible] ę actus primi, vel tanquam [illegible]tia operatiua, vel tanquam [illegible] litio ex parte potentiæ re[illegible] ad eliciendam operationem [illegible]cundo , vt actus ſecundus, vel [illegible] quid ſe habens ex parte actus ſecundi, [illegible] quidem

nihil

nihil aliud eſt, quàm actio, per quã producitur effectus. Dum ergo in definitione dicitur, *poſitis omnibus requiſitis ad operandum*, non eſt ſermo de requiſitis ex parte actus ſecũdi, hoc eſt, actionis, quia, cũ hæc ſit actualis productio effectus, eo ipſo quod ponatur hæc, neceſſe erit, poni effectum; ſed eſt ſermo de requiſitis ex parte actus primi: his enim omnibus poſitis poteſt agens liberũ actionẽ elicere; & ab ea ceſſare: in quo differt ab agente neceſſario, quod quidẽ, poſitis omnibus requiſitis ex parte actus primi ad operandum, non poteſt non elicere operationem: ſi vero deſit aliquod ex requiſitis, non eſt potens ad non agendum; ſed impotens ad agendum.

80 Additur *ad operandum*, operatione videlicet propriâ virtutis actiuæ; neque enim libertas exerceri poteſt per potentiam paſsiuã vt paſsiue concurrentem ad effectum, cum nõ ſit in eius poteſtate elicientia, aut nõ elicientia actionis; ſed ſubdita ſemper ſit agenti circa operationem; vt de ſe conſtat. Ratione huius particulæ excludunt aliqui potentiam liberam [illegible] ab hac definitione. Sed imme[illegible] ia vel Deus non exercet li[illegible] m, niſi producẽdo aliquid [illegible] extra; vel ſi eã exercet in actibus intrinſecis [illegible] oluntatis, eos producit virtual[illegible] atque adeò non [illegible] exercitium libertatis ſine actione, aut operatione formali, ſeu virtuali. De hoc tamen late Theologi in materia de volũtate, vbi Deo [illegible] proferã.

81 Denique ſubiungitur *poteſt operari, & non operari*: hoc eſt, eſt potens elicere operationẽ, & potens nõ elicere ipſam operationẽ. Itaq; in agente libero datur cõpleta potentia ad operandũ, & ſimul cũ illa potentia completa ad non operandũ; non quidem negatiua, quæ nihil aliud eſt, quã impotẽtia ad operandũ; ſed poſitiua, ita vt ſimul poſsit operationẽ elicere, & illam cohibere, ſumptâ ſimultate ex parte potentiæ; nõ vero ex parte operationis, & nõ operationis. Eſt dicere: datur in agente libero completa potentia; non quidem ad ſimul cõiungendã operationẽ, & non operationẽ; id enim implicat, vt ex terminis ipſis patet; ſed ita datur potentia cõpleta ad operandũ, vt ſimul cũ illa detur etiam potentia poſitiua cõpleta ad non operandũ, quia in inſtanti, in quo elicit operationẽ poteſt loco illius ſubrogare nõ operationẽ; alioqui non diſtingueretur ab agente neceſſario.

82 Ex hoc inferes, potentiam liberã debere talẽ eſſe, quæ poſitis omnibus requiſitis ex parte actus primi poſsit, quatenus ex ſe eſt, cõiungi tã cum operatione, quã cũ non operatione: quia omnis effectus cõponi poteſt cũ ſua cauſa cõſtituta iam in actu primo ad illum cauſandum; alioqui, ſi cõponi nõ poſſet cũ illa, qua ratione diceretur dari omnia requiſita ad illum cauſandũ? ergo, ſi potẽtia libera, poſitis omnibus requiſitis ex parte actus primi, tã eſt potens ad nõ operationẽ, quã ad operationem,

ne-

Digitized by Google

neceſſarium eſt, quod in actu ſecundò coniungi poſsit tam cum illa, quam cum iſta.

83 Hinc eſt, quod potentia libera non poſsit requirere ex parte actus primi aliquid, quod ita connectatur vi ſua cum operatione, vt repugnet coniungi cũ non operatione. Quia, ſi id, per quod cõpletur in actu primo ad operandũ, coniungi nequit vi ſuà cũ non operatione, nullatenus dici poterit tale agens, quod ſimul cũ potentia completa in actu primo ad operandũ, eſt potens ad non operandũ. Patet: quia id, quod ſimul eſt potens ad operandũ, & nõ operandũ, poteſt coniungi de facto tã cũ non operatione, quã cũ operatione, vt cõſtat ex proxime dictis: ſed agens, quod ad operandũ conſtituitur potens per aliquid ex ſe pugnans cũ non operatione, non poteſt coniũgi de facto cũ nõ operatione: ergo ſimul cũ potentia ad operandũ, non habet potentiã ad non operandũ. Minor facile probatur: quia, ſi agens non eſt potẽs ad operandũ, niſi per id, quod pugnat cum non operatione, neceſſarium erit, quod, poſitâ potentiâ ad operandum, non poſsit coniungi cum non operatione.

84 Dices: agens liberũ, quãdo eſt cõplete potens operari, ita eſt potens etiã non operari, vt poſsit cõiungi cũ nõ operatione in ſenſu diuiſo; nõ vero in ſenſu cõpoſito. Eſt dicere: ad hoc, vt agens liberũ dicatur ſimul poſſe operari, & nõ operari, neceſſarium nõ eſt, quod quãdo habet potentiã cõpletã ad operandũ, cõiungi poſsit cũ non operatione; ſed ſufficit, quod ex natura ſua ſit tale, cui ſi auferatur complementum potentiæ ad operandum, poſsit coniũgi ſimul cum non operatione.

85 Sed cõtra: ex hoc aperte ſequitur nunquam in agente libero dari ſimul potentiam ad operãdũ, & potentiam ad non operandum. Patet: quia quando eſt complete potens ad operandum, nõ eſt potens ad non operandũ: quandoquidẽ tunc per te nõ poteſt pro tunc ceſſare ab operatione, deinde, quãdo eſt potens ad non operandũ, nõ habet potentiam completam ad operandum: ergo &c.

86 Secundò: quia ea ratione non tribuitur agenti libero maior ſimultas potentiæ ad operandũ, & nõ operandũ quã agenti non libero, potẽtiæ viſiuæ, v.g. quia hæc ita eſt potẽs videre colorẽ poſitâ ſpecie ad illũ videndum, vt ſi hæc auferatur coniungi poſsit cum nõ viſione: ergo non habet minorẽ indifferentiã ad operãdũ, quãtũ tribuis agẽti libero. Probo cõſequẽtiã: quia hoc per te ideo dicitur indifferens ad operandũ & non operandum, quia, deficiente cõplemẽto requiſito ad operandum, poteſt non operari: atqui idem contingit in potentia viſiua, vt probatum eſt: ergo non magis concedis agenti libero, quam neceſſario.

87 Tertio quando deficit complementum ad operandum non tam dicetur agens liberum potẽs non operari, quam impotens operari: quia tunc ex eo poteſt coniungi

iungi cum non operatione; quia deficit complementum per ſe requiſitum ad operationem: ergo ex eo poteſt coniungi cum non operatione, quòd eſt impotẽs operari. Hoc autem non ſufficit ad rationem libertatis, quia hæc conſiſtit in ſimultanea potentia poſitiua ad operandum, & non operandum, vt fatentur omnes; ergo &c.

88 *Libertas* ſolet diuidi in libertatem *quoad exercitiũ*; & libertatẽ *quoad ſpeciem*. Sumitur hæc diuiſio ex S. Tho. 1. 2. q. 13. art. 6. Libertas *quoad exercitium* eſt poteſtas exercendi actum, & ab eodem cẽſſandi. Quod S. Thom. de veritate q. 22. art. 6. vocauit *poſſe velle & non velle*, quod eſt idem, ac poſſe exercere actum, & poſſe non exercere. Hæc vocatur libertas *contradictionis*, quia verſatur formaliter circa actũ, & eius omiſſionem, ſeu carentiam, quę contradictorie opponuntur. Libertas *quoad ſpeciem* eſt poteſtas ad exercendos actus diuerſæ ſpeciei, & aliqualiter oppoſitos. Dicitur libertas *quoad ſpeciem*, quia eſt poteſtas ad vnam, & alteram ſpeciẽ actus eliciendam. Hæ autem ſpecies debent eſſe aliquo modo oppoſitæ inter ſe: quia alioqui non tam diceretur poteſtas ad vnam vel alteram eliciendam, quam ad eliciendam vtranque, & non eliciendam. Si enim non opponuntur aliquo modo inter ſe, productio vnius non impediet productionem alterius, ac per conſequens non elicietur ab agente vna præ aliâ; ſed quælibet producetur præ ſua negatione, quod quidem pertinet ad libertatẽ quoad exercitium. Propter hanc rationem libertas *quoad ſpeciem* dicitur etiã libertas *contrarietatis*, quia videlicet verſatur inter actus aliqualiter oppoſitos. Deinde dicitur à S. Thoma libertas *circa obiecta*, quia, cum actus oppoſiti debeant habere diuerſa obiecta, vel, ſi vnũ tantum habeant, illud attingere debeant ſecundum diuerſam rationem, eo ipſo quod agens eſt potens ad eliciendos, ſeu eligendos actus oppoſitos, eſt etiam potens ad eligenda diuerſa obiecta, ſeu diuerſas rationes formales vnius.

89 Prædictæ duæ libertates ita comparantur inter ſe, vt libertas *quoad exercitium*, ſeu *contradictionis* non includat formaliter libertatem *quoad ſpeciem*; quia in hoc præciſe, quod eſt, poſſe exercere, & non exercere vnum actũ, non inuoluitur formaliter potentia ad exercendum actum oppoſitum. Libertas vero *quoad ſpeciem* includit formaliter libertatem quoad exercitium circa quamlibet ex illis ſpeciebus determinate; quia, eo ipſo quod poſſum elicere vnum actum, & alterum ſpeciei oppoſitæ, poſſum elicere, & non elicere quẽlibet ex illis. Propterea vtraque hæc libertas comprehenditur definitione libertatis ſupra adducta, quia vtrique cõpetit, *quod poſitis omnibus requiſitis ad operandũ poſſit agens operari, & non operari*. Prætereà differunt in eo, quod libertas quoad exercitium eſt poteſtas operandi,

&

& non operandi reſpectu vnius actus ſolum: libertas verò, quoad ſpeciem eſt poteſtas operandi, & non operandi reſpectu duorum actuum oppoſitorum.

90 Duplici libertati prædictę opponitur duplex *neceſsitas*: vna *quoad ſpeciem*; *quoad exercitium* altera. Neceſsitas *quoad ſpeciem* cogit ad vnam ſpeciẽ actus, ablatâ poteſtate ad aliam oppoſitam. Hæc aliquando cõponi poteſt cũ libertate quoad exercitium, quia poteſt contingere, quod neceſsitetur quis ad vnã ſpeciẽ actus circa aliquod obiectũ, caſu, quo operaturus ſit circa illud; & tamen non cogatur de facto talẽ actum exercere. Hac neceſsitate cogimur ad amorẽ boni vt ſic: quia, cũ bonum vt ſic non poſsit odio haberi, tenetur quis amare illud, caſu, quo operaturus ſit circa illud ipſum; nõ tamen tenetur, ſemper illud de facto amarẽ, quia poteſt ceſſare ab amore illius. Neceſsitas *quoad exercitiũ* cogit ad exercendum aliquẽ actũ, & poteſt eſſe duplex: vna, quæ cogit ad exercitiũ actus ſpeciei determinatæ; hanc habet ignis reſpectu calefactionis: altera, quæ cogit ad exercitiũ actus, non quidẽ huius ſpeciei determinate; ſed huius, vel alterius oppoſitæ disiunctim; hanc habet, qui efficaciter intendit finẽ, ſi illi proponãtur ad eius conſecutionẽ duo media oppoſita: quia in tali caſu ratione intentionis efficacis eſt neceſsitatus ad exequẽdũ vnũ, vel alterũ ex illis medijs; nõ tamẽ ad exequendũ vnũ determinate.

91 Hinc colliges, huiuſmodi neceſsitatẽ quoad exercitium cõponi poſſe cum libertate quoad ſpeciem, & ideo id, quod ſupra diximus num. 9. nempe libertatem *quoad ſpeciem* includere formaliter libertatẽ *quoad exercitium*, intelligẽdum eſt de libertate *quoad exercitium* cuiuslibet ex illis ſpeciebus determinate ſumptæ, quia, eo ipſo quod datur libertas inter duas ſpecies, poteſt exerceri, & non exerceri quælibet ex illis: nõ vero intelligendũ eſt de libertate quoad exercitium huius, vel illius ſpeciei disiunctim, quia, vt dictũ eſt, cum libertate quoad ſpeciem cõponi poteſt, quod quis ſit neceſſitatus ad vnã, vel alterã exercẽdã.

92 Libertas tam *ſpeciei*, quam *exercitij* diuiditur in *phyſicam*, & *moralẽ*. Libertas *phyſica* eſt poteſtas ad operandum, & non operandum phyſice; pręſcindendo ab eo, quod operatio ſit bona, vel mala moraliter. Hæc libertas completur per cognitionẽ, ſeu cognitiones repræſentantes operationẽ, ſeu obiectum vt conueniens, & diſconueniens ſenſui, ſeu appetitui ſenſitiuo; pręſcindẽdo ab eo, quod ſit conueniens, aut diſconueniens naturæ rationali vt operanti iuxta regulas rectæ rationis. Libertas *moralis* eſt poteſtas ad operãdum, & non operandum bene, vel male moraliter. Hæc cõpletur in eſſe talis per cognitionẽ, ſeu cognitiones repræſentantes operationem, ſeu obiectum eius vt conueniens, ſeu diſconueniens naturæ rationali vt tali, hoc eſt, vt

Digitized by Google

operanti iuxta regulas rectæ rationis.

93 Exemplum vtriuſque poteſt eſſe occiſio hominis:nam ſi hęc proponatur voluntati ex vna parte vt delectabilis, & ex alia parte vt diſconueniens ratione alicuius doloris mihi imminentis occaſione illius, nulla facta mentione bonitatis moralis, aut malitiæ, quæ in eius omiſsione, aut executione interuenire poteſt; in hoc caſu erit voluntas libera ad occiſionem libertate ſolum *phyſica*: ſi tamē tunc occurrat eſſe contra dictamen rectæ rationis alium occidere, iam erit voluntas libera libertate *morali*, quæ ſufficiat, vel vt peccet in occiſione alterius; vel vt bene operetur, ſi retrahatur ab occiſione ex eo, quod ſit contra dictamen rectæ rationis. Hæc diuiſio libertatis maxime obſeruanda eſt pro diſcernenda bonitate, & malitia actionum humanarũ. His poſitis.

Explicatur libertas voluntatis.

94 CErtum eſt 1. hominē operari libere. Id enim Fides docet, & quotidiana experientia clare oſtendit. Et 1. ſacra Pagina hanc tradit veritatem. Eccleſiaſtici 31. dicitur: *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & nō fecit*. Et alibi dicitur. *Ignis, & aqua appoſitæ ſunt tibi, ad quod volueris porrige manum*, & Mathæi 12. *Aut facite arborē bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum*. Idem conſtat experientia: quia ſæpe conſultamus de hac, aut illa re agenda, & deinde pro noſtro libito vnum, aut alterum eligimus. Deinde nullus eſt qui a pueris, amētibus, & dormientibus iniuria ſe affici exiſtimēt, etiamſi in eum iactent probra, & contumelioſa verba; ſecus ab homine vtente plena ratione: nō alia de cauſa, niſi, quia is libertate potitur; ſecus illi. Et ſane, ſi cordati homines non magis liberi eſſent in ſuis actionibus, quam pueri, amentes, & bruta; non eſſet, cur cōtractus iniremus cũ illis potiùs, quā cum iſtis; aut cur eorum facinora pœnâ capitis ſæpe plecterentur; ſecus iſtorum ſcelera. Videatur P. Hurt. diſp. 15. de Ani. ſect. 2.

95 Certum eſt 2. libertatē hominis reſidere in voluntate. Id cōſtat ex Concilio Trid. ſeſſ. 6. c. 5. vbi docet, tangente Deō cor hominis per ſpiritus ſancti illuminationem, & vocationē poſſe ipſum pro ſuo libito & aſſentiri, ac cooperari vocationi, & illam abijcere: atqui homo aſſentitur, & cooperatur vocationi, dum amat id, ad quod allicitur per vocationē; & eam abijcit, dum illud nō amat: ergo in voluntate reſidet libertas ex mente Concilij. Deinde ratione facile ſuadetur: quia libertas conſtituēda eſt in ea potentia, cui ita ſubditæ ſunt reliquæ potentiæ hominis, vt eas poſsit medio ſuo imperio & applicare ad operandum, & ab operatione reuocare: at hōc præſtat volūtas: ergo in ea reſidet libertas. Minor cōſtat experientia: quia poſito actu, quo voluntas vult manum moueri; ocu-

oculos applicari ad videndum; intellectum in hæc, aut illa attendere, illi obediunt, niſi impediantur ab aliquo extrinſeco. Præterea nunquam cenſemur libere bonū, aut malū eligere, quantumuis vnū, aut alterum cognoſcamus, aut illi per appetitum adhæreamus, niſi vnum, aut alterum per voluntatē amplectamur: ſignum ergo eſt libertatem eſſe in voluntate, & non in intellectu, aut aliâ potentiâ.

96 Explicandum tamen eſt, quænam requirantur, vt voluntas dicatur eſſe libera? Neque enim libertas illi cōuenit nude ſumptę. Et in primis, vt voluntas ſit libera in actu 1. ad amandum aliquod obiectum, neceſſarium eſt, quod ſiue per vnam, ſiue per duas cognitiones intellectiuas proponatur illi ex vna parte bonitas aliqua ad amādum obiectum; ex aliâ verò aliqua malitia in ipſo obiecto, aut difficultas aliqua in exercitio amoris talis obiecti. Ratio eſt: quia voluntas eatenus eſt libera in actu 1. ad amandum obiectum, quatenus eſt potens illud amare, & ſimul potens non amare, ſed non habet hanc potentiam ſine duplici illa cognitione intellectiua: ergo neque eſt libera in actu 1. ſine illa. Maior eſt ipſa definitio libertatis in actu 1. Minor probatur: quia in primis ex natura rei non eſt potens ad amandum obiectum ſine cognitione applicante illi tale obiectum, vt probatum eſt ſect. 5. num. 50. deinde non eſt potens poſitiue ad obiectum non amandum, niſi detur aliquid illam retrahens à tali amore, vt fatentur omnes: id autem nihil aliud eſſe poteſt præter cognitionem repræſentantem malitiam aliquam in ipſo obiecto, vel difficultatem in exercitio amoris talis obiecti: ergo vtraque prædicta cognitio requiritur, vt voluntas ſimul ſit potens ad amandum, & non amandum obiectum, ac perconſequens vt ſit libera. Iam, quod vtraque cognitio debeat eſſe intellectiua, cōſtat ex num. 58. Deinde ſi amor fuerit ſupernaturalis, eſt neceſſarium, quod cognitio inuitans ad ipſum amorem proponendo bonitatem obiecti amandi, ſit ſupernaturalis, vt conſtat ex dictis num. 61. Id, quod dictum eſt de libertate in actu 1. ad amorem dicendum eſt ſuo modo de libertate in actu 1. ad odium.

97 Secundo etiam requiritur peculiaris natura voluntatis: neque enim quiuis appetitus cōſtituitur liber in actu 1. per duplicem cognitionem repræſentantem illi bonitatem, ac malitiam aliquam in obiecto, quia, vt experientiâ conſtat, ſæpe datur in brutis cognitio inuitans ad proſequendum cibum ſibi conuenientē, & ſimul alia retrahens ab eius proſecutione (vt contingit, quando famelicus canis ex vna parte conatur cibum arripere, quem præſentem videt, & ex alia parte non audet perterritus timere fuſtis, quem paratum videt ad ſui percuſsionē) & tamē nō eſt liber, vt fatentur omnes: nō alia de cau-

ſa, niſi, quia appetitus ſenſitiuus non eſt talis naturæ, qui per dupli cem cognitionẽ conſtituatur potens eligere, & non eligere obiectum propoſitum; ſed ex ſe eſt determinatus ad id, quod vt melius illi proponitur: ergo libertas non competit voluntati ratione prædicati alicuius cõmunis cum quolibet appetitu; ſed ratione prædicati ſpecialis, per quod conſtituitur in ratione voluntatis.

98 Tertiò requiritur, quod voluntas impedita non ſit per aliquã diſpoſitionẽ: tali enim diſpoſitione poteſt affici, vt adhuc inſtructa duplici cognitione intellectiuæ repræſentante bonitatẽ, & malitiã aliquam in obiecto, non ſit libera in actu primo ad illud amandum, & non amandũ. Id conſtat in ſomniantibus, qui ſæpe rationes ſibi afferunt tam ad proſequendũ quã ad fugiendum obiectum ſibi propoſitum in ſomnis; & nihilominus nullus eſt, qui concedat, ſomniantes eſſe liberos ad obiectum illud proſequẽdum, & fugiendũ: quod quidem aliunde prouenire nequit, niſi quia voluntas eſt talis naturę, quæ adhuc inſtructa duplici illa cogitatione, nõ ſit Domina ſui actus in ſtatu coniunctionis cum corpore, ſi ſenſus ſint oppreſsi ſomno. Idem contingit in amentibus, & mente captis, quorum voluntas ita impeditur per prauam diſpoſitionem ſenſus interni, vt adhuc præuenta duplici cogitatione non poſsit libertatem aliquam exercere circa obiectum propoſitum.

99 Quarto requiritur, quod Deus voluntati paret concurſum ad actum liberum eliciendũ. Ratio eſt: quia nullus poteſt dari effectus cauſæ ſecundæ, qui non oriatur phyſice, & immediatè à Deo, vt late probauimus in Phyſica diſput. 14. ſect. 2. ergo non dabuntur omnia requiſita ex parte actus primi ad actum liberum voluntatis, niſi Deus ſit paratus ad concurrendum cum illa. Patet conſequentia: quia nõ dantur omnia requiſita ex parte actus primi ad effectum, quin omnes cauſę neceſſariæ ad illum producẽdũ ſint paratæ ad eius productionẽ: ergo, cum Deus ſit vna ex cauſis neceſſarijs ad effectum liberum producendũ, non dabuntur omnia requiſita ex parte actus primi ad illius productionem, niſi præcedat Deus paratus ad talem productionẽ. Qua vero ratione Deus paret cõcurſũ voluntatis? Theologus ediſces.

100 Multa hic ſcripſeram de libertate, imperio, omiſsione voluntatis, & de habitibus potentiarum; ſed ne hoc opus in magnum volumen excreſcat, ea nunc omitto. Secunda editio Deo volente, ea omnia dabit. Hic diſputant nonnulli de anima ſeparata; Sed quæ ad eius immortalitatem, ſpiritualitatem, & indiuiſibilitatem pertinent, dedi diſp. 1. huius operis, reliqua verò ad tractatum de Angelis reijcio. Vtinã dicta cedant in Dei gloriam, & honorem ſanctiſsimæ Deiparę Virginis Mariæ.

(? .)

FINIS.

IN.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

INDEX
DISPVTATIONVM, ET
SECTIONVM, QVAE
IN HOC OPERE DE ANIMA
CONTINENTVR.

LIBER PRIMVS, & ſecundus Ariſtotelis de Anima.

DISPVTATIO PRIMA.

De eſſentia, & quidditate animæ, pag. 3.

SECT. 1. *Prima definitio animæ explicatur pag.* 3.

An prædicta definitio ſit eſſentialis animæ? pag. 7.

SECT. 2. *Explicatur ſecunda definitio animæ. pag.* 8.

DISPVTATIO II.

De Diuiſione animæ, & eius informatione. pag. 11.

SECT. 1. *Examinatur communis animæ diuiſio. pag.* 11.

SECT. 2. *Vtrum omnis anima ſit actus informans? pag.* 14.

SECT. 3. *An in aliquibus viuentibus dentur plures animæ realiter diſtinctæ? pag.* 17.

Qua ratione anima rationalis contineat ſenſitiuam, & vegetatiuam. pag. 19.

Anima non producitur prius tempore, informatione. pag. 21.

SECT. 4. *An animus rationalis vt rationalis informet corpus, vel ſolum vt vegetatiuus, & ſenſitiuus? pag.* 22.

SECT. 5. *Quæ partes viuentis habeant animam? pag.* 25.

Quid de ſanguine, & reliquis humoribus? pag. 26.

Soluuntur obiectiones. pag. 28.

De lacte, & ſemine. pag. 31.

De roſtris auium, plumis, capillis, vnguibus, &c. pag. 32.

SECT. 6. *Vtrum pereat anima diſſoluta vnione. pag.* 33.

Hæc veritas ratione naturali comprobatur. pag 35.

Hinc deducitur ſpiritualitas animi rationalis. pag. 38.

DISPVTATIO III.

De Compoſitione animorum. pag. 39.

SECT. 1. *Animus rationalis non conſtat partibus integralibus. pag.* 40.

SECT. 2. *Animæ plantarum, & imperfectorum animalium conſtãt partibus integralib⁹. p.* 43.

Obiectio cõtra diuiſibilitatem animarum imperfectorum animalium. pag. 45.

SECT. 3. *An animæ perfectorum brutorum conſtent partibus integralibus. pag.* 46.

Prima concluſio contra ſecundam ſententiam. pag. 46.

Secunda concluſio contra primam

ſententiam.pagina.49.
SECT. 4. *An partes animæ ſint heterogeneæ.pag.54.*
Vnio non poteſt eſſe heterogenea ſi partes animæ ſint homogeneæ. pag.54.
Partes animæ ſunt homogeneæ. pag.56.
Partes animæ ſunt ſpecie diuerſæ. pag. 60.
SECT. 5. *An omnes animæ eiuſdem ſpeciei infimæ ſint æquales in perfectione indiuiduali? pag. 63.*
Satisfit obiectionibus.pag.66.
DISPVTATIO IIII.
De Ratione corporis prout diſtinguitur contra ſpiritum. pag.69.
SECT. 1. *Nonnullæ ſententiæ refelluntur.pag.69.*
SECT. 2. *Vera ſententia exponitur, & probatur.pag.73.*
SECT. 3. *Soluuntur obiecta.pag. 78.*
SECT. 4. *An repugnet ſubſtantia corporea completa ſimplex? pag. 82.*
Non videtur repugnare ſubſtantia ſpiritualis compoſita. p.86.
DISPVTATIO V.
De Conceptu vitæ pag.88.
SECT. 1. *Nonnulla ſupponuntur pag.88.*
Non omnis actio per ſe immanens eſt vitalis.pag.90.
Reſponſio Thomiſtarum conuellitur.pag.91.
Solutio P. Hurt. refellitur.pag. 92.
SECT. 2. *Duæ ſententiæ refutantur p.g.94.*
SECT. 3. *Vera definitio vitæ ſubſtantialis explicatur.pag.98.*
Viuens non eſt tale per ordinem ad omnes actiones proprias illius. pag.100.
Qua ratione conceptus vitæ conueniat Deo.pag.102.
SECT. 4. *Soluuntur obiectiones. pag.103.*
SECT. 5. *De Vita accidentali in actu primo.pag.107.*
SECT. 6. *De Vita in actu ſecundo ſeu actuali.pag.109.*
DISPVTATIO VI.
De Potentijs animæ in genere. pag.111.
SECT. 1. *Nonnulla ſupponuntur pag.111.*
Anima immediate concurrit ad actiones vitales.pag.112.
Prima probatio de actibus intentionalibus.pag.113.
Secunda probatio.pag 115.
Tertia probatio eſt inſufficiens. pag.117.
SECT. 2. *An potentiæ vitales diſtinguantur formaliter ab anima? pag.118.*
An materia ſit ſubiectum adæquatum operationum vitalium materialium? pag.120.
An intellectus & voluntas diſtinguantur formaliter ab anima? pag.123.
Qua ratione recipiatur in compoſito ſenſatio? pag. 123.
SECT. 3. *Soluuntur argumenta aſſerentium potentias diſtingui realiter ab anima. pagina. 124.*
SECT. 4. *De ſpecificatione potentiarum.pag.127.*

SECT.

SECT. 5. *Nonnullæ difficultates expediuntur. pag. 129.*

De Cauſa efficiente, & paſsiua potentiarum. pag. 129.

Anima ſola eſt cauſa efficiens potentiarum. pag. 131.

An potentiæ poſsint exiſtere ſine anima? pag. 132.

An potentiæ vitales poſsint recipi in ſubiecto non viuente? pag. 132.

An potentiæ materiales poſsint eſſe in ſubiecto ſpirituali? pag. 133.

An potentiæ ſeparatæ ab anima haberent perſeitatem poſitiuam? pag. 133.

DISPVTATIO VII.

De Speciebus intentionalibus pag. 135.

SECT. 1. *De exiſtentia, & natura ſpecierum impreſſarum. pag. 136.*

Species non ſunt eiuſdem naturæ cum obiectis. pag. 137.

Species ſunt ſimiles ſuis obiectis. pag. 140.

Species impreſſæ ſunt repræſentationes formales obiectorum. pag. 140.

Nonnulla conſectaria. pagina. 142.

SECT. 2. *Qua ratione concurrant ſpecies impreſſæ ad cognitionem? pag. 143.*

SECT. 3. *Ad quænam obiecta, & in quibus potentijs requirantur ſpecies ſuperadditæ? pagina. 148.*

SECT. 4. *De Cauſis ſpecierum impreſſarum pag. 152.*

SECT. 5. *De diuiſibilitate ſpecierum impreſſarum pag. 156.*

SECT. 6. *Concluditur doctrina præcedentis pag. 161.*

DISPVTATIO VIII.

De Potentijs animæ vegetatiuæ. pag. 166.

SECT. Vnica. *Quot ſint potentiæ animæ vegetatiuæ, & quæ eius munera? pag. 166.*

Potentia nutritiua diſtinguitur realiter à temperamento. pag. 167.

Potentia augmentatiua qua ratione diſtinguatur à nutritiua? pag. 169.

Potentia generatiua viuentis eſt idem realiter cum nutritiua. pag. 169.

An generatio ſit naturaliſsimum opus viuentis? pag. 171.

DISPVTATIO IX.

De Senſu, & ſenſibili. pagina. 172

SECT. 1. *Quid ſit ſenſus, & quotuplex pag. 172.*

SECT. 2. *Quid, & quotuplex ſit ſenſibile? pag. 173.*

SECT. 3. *Quot ſint ſenſibilia communia? pag. 174.*

Omnia ſenſibilia communia reduci poſſunt ad præſentiam ſeu extenſionem. pag. 175.

Satisfit obiectionibus. pagina. 177.

SECT. 4. *An ſenſibile proprium & commune per diuerſas ſpecies percipiantur. pag. 279.*

Vera ſententia duabus concluſionibus explicatur, pagina. 181.

SECT. 5. *An ſenſibile proprium ſine communi, & è contra ſen-*

Digitized by Google

ſentiri poſſit. pagina. 183.
Poteſt fieri abſtractio negatiua per ſenſus externos. pag. 185.
Quid de abſtractione poſitiua? pag. 186.
SECT. 6. An ſenſibile proprium indiuiſibiliter exiſtens poſſit percipi per ſenſum? pag. 188.
Obiectũ indiuiſibiliter exiſtens nõ poteſt naturaliter videri. p. 189.
Obiectum indiuiſibiliter exiſtens poteſt ſupernaturaliter videri. pag. 192.
Obiectum indiuiſibiliter exiſtens in ſpatio diuiſibili poteſt videri vt extenſum. pag. 194.
Species obiecti indiuiſibiliter exiſtentis non eliceret abſque nouo miraculo viſionem. pag. 195.
SECT. 7. An ſenſus externus poſſit percipere præſentiam, aut exiſtentiam obiecti quando hoc non eſt præſens, aut exiſtẽs. pag. 197.
Prima concluſio contra primam ſententiam. pag. 198.
Secunda concluſio contra ſecundam ſententiam. pag. 200.
SECT. 8. Vtrum aliquis ſenſus percipere poſſit obiectum ſpirituale, aut obiectum alterius ſenſus? pag. 201.
SECT. 9 An in ſenſu detur error circa eius obiectum? qag. 205.

DISPVTATIO X.

De Senſibus internis. pag. 208.
SECT. 1. De potentia viſiua, & eius obiecto. pag. 208.
Expediuntur aliqua de natura lucis pag. 211.
Expediuntur aliqua de colore. pag. 214.
Quo pacto requiratur lumen ad viſionem coloris? pag. 216.
Requiritur etiam lumen ex parte coloris ad eius viſionẽ. p. 218.
Qua ratione requiratur lumen ex parte coloris? pag. 220.
SECT. 2. De Auditu, & eius obiecto. pag. 222.
De Cauſa ſoni. pag. 225.
Qua ratione percipiatur ſonus? pag. 228.
SECT. 3. De Olfactu, & guſtu, ac eorum obiectis. pag. 232.
SECT. 4. De Potentia tactiua ſeu tactu. pag. 234.
Examinantur conditiones obiecti tangibilis. pag. 237.

DISPVTATIO XI.

De Senſu interno, & appetitu ſenſitiuo. pag. 243.
SECT. 1. De Operationibus ſenſus interni, & eius organo. pag. 243.
SECT. 2. Quotuplex ſit ſenſus internus? pag. 245.
Probatur concluſio de ſenſu communi, & phantaſia ſigillatim. pag. 246.
Phantaſia eſt idem realiter cum imaginatiua. pag. 249.
Æſtimatiua non diſtinguitur ab imaginatiua, & phantaſia pag. 250.
SECT. 3. Expediuntur aliqua de ſenſu interno. pag. 253.
Eſt tamen difficultas. 1. pag 253.
Secundo eſt difficultas. pag 254.
Tertio eſt difficultas pag. 256.
Quarato eſt difficultas. pag. 256.
Quinto eſt difficultas. pag. 257.
Sexto eſt difficultas. pag. 259.
Septimo eſt difficultas. pag. 259.

Octa-

Octauo eſt dificultas pag. 260.
SECT. 4. *Expediuntur aliqua de appetitu ſenſitiuo. pag. 260.*
Hic eſt difficultas 1. pag. 261.
Secundo eſt difficultas. pag. 263.

LIBER TERTIVS Ariſtotelis de Anima.

DISPVTATIO XII.

De intellectu, & eius obiecto. pag. 265.
SECT. 1. *De Intellectu agente. pag. 265.*
Nonnulla conſectaria. pag. 270.
SECT. 2. *De Intellectu poſsibili. pag. 273.*
De obiecto intellectus. pag. 276.
SECT. 3. *De ſpecificatione actuũ intellectus. pag. 279.*
SECT. 4. *An poſsit dari actus naturalis ordinis circa obiectum formale ſupernaturale? pagina 285.*
SECT. 5. *Nonnulla diſcutiuntur circa ordinem, & modũ quo intellectus ſua cognoſcit obiecta. pag. 289.*
An intellectus cognoſcat immediate ſubſtantias corporeas? pagina 290.
Quænam primo attingat intellectius ſingularia ne, an vniuerſalia? pag. 293.
Conciliantur duo Ariſt. teſtimonia. pag. 297.
SECT. 6. *De notitia rerum ſpiritualium pro hoc ſtatu. p. 299.*
SECT. 7. *An intellectus pro hoc ſtatu poſsit ſimul cognoſcere plura, vt plura? pag. 301.*
SECT. 8. *De Memoria intellectiua. pag. 304.*

DISPVTATIO XIII.

In quonam conſiſtat intellectio? pag. 306.
SECT. 1. *Nonnullis ſuppoſitis ſtatus difficultatis explicatur. pag. 306.*
Intellectio non conſiſtit in ſola actione ſine termino. pagina 307.
Species expreſſa dependet ab intellectu per actionem ſuperadditã. pag. 309.
Productio ſpeciei expreſſæ eſt realiter paſſio. pag. 310.
Species expreſſa vnitur per vnionem ſuperadditam. pag. 310.
Vnio ſpeciei expreſſæ producitur per diuerſam actionem, ac ipſa ſpecies expreſſa, & hæc repræſentat obiectum formaliter potentiæ. pag. 312.
SECT. 2. *Nonnullæ ſententiæ diſcutiuntur. pag 312.*
SECT. 3. *Vera ſententia. p. 317.*
SECT. 4. *Soluuntur obiecta pag. 320.*
SECT. 5. *De Verbo mentis. pag. 324.*
SECT. 6. *An intellectio poſsit produci à ſolo Deo ſine concurſu intellectus? pag. 327.*

DISPVTATIO XIIII.

De Triplici intellectũs [illegible] ne. pag. 326.
SECT. 1. *De Simplici [illegible] ſione. pag. 331.*
SECT. 2. *De Iudicio. pag. 334.*

SECT. 3. *An iudicium ſit vnus ſimplex actus, vel compoſitus?* pag. 337.
SECT. 4. *De Diſcurſu.* pag. 340.
SECT. 5. *An præmiſſæ obiectiuæ immediate attingantur per concluſionem formalem?* pag. 343.
Nonnulla conſectaria. pag. 347.
SECT. 6. *An aſſenſus præmiſſarũ neceſsitent ad aſſenſum concluſionis?* pag. 351.

DISPVTATIO XV.
De Euidẽtia, Certitudine, & Veritate. pag. 354.
SECT. 1. *De Euidẽtia.* pag. 354.
SECT. 2. *Nonnullæ difficultates expediuntur circa euidentiam.* pag. 358.
SECT. 3. *De Certitudine.* p. 360.
An intra idem genus certitudinis poſsit dari vnus actus certior alio? pag. 363.
SECT. 4. *Explicatur definitio veritatis, & falſitatis.* pag. 365.
SECT. 5. *An veritas formalis ſit aliquid diſtinctum ab actu vero?* pag. 371.
SECT. 6. *An eadem cognitio poſſit tranſire de falſa in veram, vel è contra de vera in falſam?* pag. 376.
SECT. 7. *De Veritate propoſitionum de futuro.* pag. 382.
De propoſitionibus de futuro contingente conditionato. pag. 388.

DISPVTATIO XVI.
De Diuiſione, & oppoſitione actuum intellectus. pag. 395.
De cognitione obiecti in alio. pag. 395.
De Intellectione intuitiua, & abſtractiua pag. 397.
SECT. 3. *An poſsit dari cognitio intuitiua attingens vnam formalitatem ſine alia eiuſdem obiecti?* pag. 399.
SECT. 4. *De Cognitione quidditatiua, & comprehenſiua.* pag. 403.
SECT. 5. (in corpore libri ponitur. 7.) *An aſſenſus, & diſſenſus circa idem omnino obiectum poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto?* pag. 405.
SECT. 6. *De Opinione, Fide, Dubio, Formidine, & Suſpicione.* pag. 409.
SECT. 7. *De Oppoſitione prædictorum actuum ſecundum ſe.* pag. 412.
SECT. 8. *Nonnulla expediuntur de actu practico, & ſpeculatiuo.* pag. 417.

DISPVTATIO XVII.
De Voluntate, eius actibus, & obiecto. pag. 421.
SECT. 1. *Quod ſit obiectum adæquatum voluntatis?* pag. 422.
SECT. 2. *An voluntas poſsit amare malum formaliter vt malũ; & odio habere bonum formaliter vt tale?* pag. 425.
An malum vt malum poſsit odio haberi, quin præcedat amor boni oppoſiti? pag. 429.
SECT. 3. *Varij voluntatis actus explicantur.* pag. 432.
SECT. 4. *De Oppoſitione actuum voluntatis inter ſe.* pag. 435.
SECT. 5. *An poſsit dari actus voluntatis ſine præuia cognitione obiecti?* pag. 436.
Voluntatis actus ſine præuia cognitione elicitus neque liber eſſet,

nis

nec procederet ab obiecto, pag. 438.

SECT. 6. *Qua cognitio requiratur ad actum voluntatis? pag. 439.*

An ad actus voluntatis ſufficiat ſimplex apprehenſio obiecti? pagina 440.

Reijcitur alius actus intellectus, imperium. pag. 443.

Qua ratione intellectio ad actum voluntatis? 44.

8. *Quid ſit potentia libera? & qua ratione libertas conueniat voluntati? pag. 445.*

Explicatur libertas voluntatis. pag. 450. 456

FINIS.

FINE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COMPLVTI.

APVD Antonium Vazquez
Typographum Vni-
uerſitatis.

Digitized by Google

R. SALVAREZZA
RESTAURO
Via Val Sassina, 55
Tel. 6…223
1971

Digitized by Google